UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque Ecclesiæ Præcepta

Tamburini, Tommaso


Dilingæ, 1697

urn:nbn:de:hbz:466:1-40032

Visual Library


Th. 2139 1

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

G. IV
16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


manet in bibliotheca
E.III
306.
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. THOMÆ

TAMBURINI

SOCIETATIS JESU

SICULI CALTASINETTENSIS,

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE
MESSANENSI THEOLOGIÆ PRIMARII
PROFESSORIS,

TRACTATUS QUINQUE
IN QUINQUE
ECCLESIÆ PRÆCEPTA.

OPUS POSTHUMUM.

CUM INDICE RERUM NOTABILIUM.

EDITIO PRIMA IN GERMANIA.

Cum Gratiâ & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis,
Et facultate Superiorum.

Collegii S. I. Paderbornæ 1697.



DILINGÆ,
Typis & Sumpt. JOANNIS CASPARI BENCARD,
Bibliopolæ Academici.

ANNO M. DC. XCVII.

Manet in bibliotheca
TAMBVRINI
in
Decal. praecept.
CAVARD.
de
Sacram. in gen.
F. II
30 b.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenbergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, posteaquam humiliter nobis exposuerit Noster, Sacríque Imperij fidelis dilectus, Joannes Caspatus Bencard, Bibliopola Augustanus, statuisse se Opus posthumum P. Thomæ Tamburini Soc. JESU, sive Tractatus ejusdem quinque, in quinque Ecclesiæ præcepta, ad publicos Usus in Germania prælo subjicere, atque eidem Operi ad lucem quantocyus edendo Operam se jam tum diligenter navare, sollicitum, ne locatorum hac in parte sumptuum & industriæ per fraudes aliorum ejusmodi libros temerè imitantium frustretur, demisse nobis supplicando, quo eam ob causam prædictos tractatus, quorum debita quinque exemplaria, jam tum ad Consilium nostrum Imperiale Aulicum transmisit, privilegio nostro Cæsareo communire, clementer dignaremur, Nos precibus istis pro ea, quam præseferebant, æquitatem benignè annuisse. Qui proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, & aliis quibuscunque librariam Negotiationem exercentibus seriò inhibemus & vetamus, ne quis prætactos P. Tamburini tractatus, per quinque annorum spatium à prima editionis die computandum intra sacri Romani Imperij, Regnorúmque & Ditionum nostrarum hæreditariarum fines simili aut alio quocunque Typo, Charactere vel forma, sive in toto, sive in parte, mutatisve titulis recudere, aut aliò recudendos dare, aut etiam alibi recusos apportare, venundare aut distrahere, clam vel palam citra dicti supplicantis, ejúsve hæredum expressum & in scriptis obtentum consensum ausit, vel præsumat; Si quis verò secùs faciendo, interdictum hoc nostrum neglexerit, aut violaverit, eum non solùm ejusmodi libris perperam quippe recusis & adductis (quos quidem supra nominatus Joannes Casparus Ben-

marcet in bibliis
TAMBVRINI
in
EVARRI
de
E III
306

card, ejúsve hæredes & ſucceſſores ubicunque locorum deprehenſos, ſeu propria authoritate, ſeu Magiſtratûs loci illius auxilio ſibi vendicare poterunt) de facto privandum, ſed & pœna inſuper quinque marcarum auri puri, pro ſemiſſe Fiſco noſtro Cæſareo ceu fraudis vindici, & ex reliqua parte injuriam paſſis pendenda decernimus mulctandum; dummodo tamen præfatum Opus nihil uſpiam, quod bonis moribus, ſacríque Imperij Conſtitutionibus quovis modo adverſetur, contineat, Privilegiúmque hoc noſtrum Cæſareum pro publica cautela in fronte impreſſum, ſuíque cenſuram exhibeat. Mandamus igitur univerſis ac ſingulis noſtris & ſacri Imperij, Regnorúmque ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis, ac fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus, cujuscunque ſtatus, gradus, dignitatis aut ordinis exiſtant, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine jus dicunt, juſtitiámve adminiſtrant, ne quemquam hoc Privilegium noſtrum Cæſareum impunè violare, ſpernere aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à nobis mulctâ eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, niſi & ipſimet graviſſimam noſtram indignationem in ſe laceſſere ac provocare voluerint. Harum teſtimonio literarum, manu noſtro ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ die decima tertia Novembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſexto, Regnorum noſtrorum Romani trigeſimo nono, Hungarici quadrageſimo ſecundo, Bohemici verò quadrageſimo primo.


LEOPOLDUS.

V. Sebaſtianus Wunibaldus
Comes à Zeyhl.

(L.S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

Franciſcus Winandus de Bertram.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD LECTOREM.

SI fortè advertas diversum in his quinque Tractatibus stylum ab illo, quem idem Auctor in aliis suis lucubrationibus usurpat, ne mireris, benigne Lector; hi enim sunt puræ ipsæ lectiones, quas minus nitidas, captui scilicet Tyronum congruentes, in Collegio Panormitano dictavit; imò dicebat, illis nequaquam ultimam se imposuisse manum, ut prodire in lucem sine reprehensione possent. Vale.

ALOY-

TAMEVRINI
VI
SECCI PANORMITANI
S. VARIA
E II
306.

ALOYSIUS FARDELLA
PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU In Provincia Sicula.

POteſtate ad id mihi facta à P. N. Thyrſo Gonzalez Generali Præpoſito, facultatem concedo, ut mandetur typis liber, qui inſcribitur (Tractatus quinque in quinque Eccleſiæ Præcepta) à P. Thoma Tamburino noſtræ Societatis compoſitus: virorum gravium atque ſapientum ejuſdem Societatis judicio examinatus, & probatus: ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & noſtro ſigillo munitas dedimus. Panormi, die tertio Maij, 1689.

ALOYSIUS FARDELLA.

TRACTA-

TRACTATUS I.

DE PRIMO ECCLESIÆ PRÆCEPTO. HOC EST, DE AUDITIONE SACRI.

UT omnia ex ordine comprehendam, quæ hoc Ecclesiastico præcepto ad moralem praxim pertinentia sunt deinceps explicanda, ijs capitibus utar, quæ in illo vulgari versu de circumstantiis comprehenduntur.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando?

CAPUT I.

QUIS.

1. INquires ergo primò, quinam obligantur interesse sacro diebus festivis, pro quibus adesse præceptum supponimus illud audiendi.

2. R. Sanè fideles omnes, qui rationis sunt compotes; nisi ex aliqua causa excusentur, de qua infra suo loco dicendum erit latè.

3. Dixi fideles, hoc est, Baptizati, nam infideles, ut item Cathecumeni, cùm non subdantur Ecclesiæ (quæ subjectio fit per Baptismum) legibus Ecclesiasticis non obligantur. Hæretici autem tenentur Ecclesiæ legibus; quia per Baptismum (quem suscepisse supponimus) facti sunt Ecclesiæ subditi.

Jam verò, ut responsio ad propositam quæstionem plenè intelligatur, de aliquibus personis est discurrendum, de quibus aliqua dubitatio solet esse, an eximantur, vel an excusentur? quæ duo sunt valdè diversa. Dicuntur enim ij eximi, seu esse liberi, quos Ecclesia obligare non intendit, ut sunt Infantes. Dicuntur autem excusari ii, ad quos Ecclesia suum præceptum dirigit, sed propter aliquod impedimentum, quo ij laborant, eos eadem Eccle-

TAMBVRIN
in
Eccl. præcept.
VARRI
de
E III
30/6

sia excusat, ut sunt V. G. qui ob infirmitatem in lecto jacent.

Pueri.

4. INquires secundò de pueris, quod idem est, ac inquirere; quanam ætate obligentur pueri ad assistendum Sacro?

5. R. Plures D. D. cum Sanchez *lib. 1. in Decalogum c. 1. 12. n. 6.* & Azor. 1. *parte lib. 7. cap. 2.* asserunt, obligari circa finem anni septimi; quia tunc præsumitur, jam usum rationis eos adeptos esse. Gobat verò *in Alphabeto auditionis Sacri cap. 140. asserit*, obligari post expletos annos octo: quia pueri, ait, communiter non adipiscuntur plenam rationis discretionem ante dictos annos octo. Omnium aptissimè Coninch. 3. *parte q. 83. art. 6. n. 286.* docet; rem hanc non tam esse definiendam annis, quàm maturitate ingenii; cùm enim aliqui priùs, aliqui posterius ita matureſcant, ut cognoscant, quid sit peccare mortaliter, quid sacro interesse, & quodnam discrimen sit inter malum, & bonum; ideò aliqui citiùs, tardiùs alii obligabuntur.

6. Hinc rectè idem Gobat ibidem fatetur, pueros rusticanos tardiùs obligari ad audiendum Sacrum, quàm pueros civiles, seu urbanos: quia illis communiter tardiùs lumen rationis oboritur, citiùs his, qui ob commercium cum doctioribus, multa cognoscunt; quæ in campis viventes cognoscere nequeunt.

Additque idem Auctor, puellas, sicuti priùs puberes fiant, (pubescunt enim anno 12. completo, cùm pueri anno 14. completo puberes fiant) ita priùs rationis usum assequi solere, quàm pueros, atque adeò citiùs obligari ad audiendum sacrum.

7. Atque ex his conciliare poterimus Azor, & Sanchez obligantes circa finem anni septimi, cum Gobat obligante post completos annos octo, nam fortassè in Germania, ubi scripsit Gobat, propter Regionis frigiditatem tardiùs pueri adolescunt, id quod non est in Regionibus, ubi Sanchez, & Azor scripserunt.

8. Regula igitur pro nobis illa erit, communiter sufficere ad obligationem annos septem expleviſſe, nisi ex individuatione personæ appareat, nondum obortam esse plenam rationis lucem: obortam autem esse, vel non esse incumbit parentibus examinare, vel magistris, qui sæpè agunt cum pueris: nam Confessarij, vel Theologi per unam, vel alteram, vel certè infrequentem locutionem cum illis veritatem hanc assequi, difficulter possunt.

9. Quæret alicujus pueri Pater: Meus gnatus nondum attingit annos septem, sed tamen video apertè eum perfectum rationis usum esse consecutum, & circa pietatis opera valdè esse propensum; obligaborne illum ad templum, audiendi causa sacrum, adducere?

10. R. Et quidem primò tibi parenti gratulor, quod filium habes similem sancto Thomæ, qui quinquennis cum esset, quærebat à magistro, quid sit DEUS, &S. Petro Cælestino, qui identidem dicebat Matri, *Mater mea,*

vobo

volo esse bonus servus DEI. Secundò dico; esse duas sententias: Nam Vilhalobos, Trullench, alijque cum Leandro *tract. 5. disp. 2. quæst. 6.* filium tuum obligant ad audiendum sacrum sicuti obligant ad abstinentiam à carnibus in diebus vetitis, quia jam utitur ratione, & ad omnes ratione utentes dirigit Ecclesia sua præcepta.

Castropalaus verò cum Joanne Sanchez, & Diana apud eundem Leandrum nequaquam obligant; quia lex Ecclesiæ fertur pro iis, qui regulariter rationis usum habent, atque adeò solùm pro illis, qui septennium expleverunt; cum enim per accidens sit, & rarò eveniat, quòd antea quis ratione polleat; de hoc non habetur ratio: Quare tu poteris filium istum tuum, secundùm hanc sententiam (quæ satis est probabilis) à prædicta auditione, ut etiam ab abstinentia prædicta carnium liberare.

11. Quæret secundò alterius pueri Parens: Meus gnatus licèt septem annos, immò & octo compleverit, nondum plenum habet rationis usum, ut ex clarissimis conjecturis agnosco; obligaborne illum ad audiendum sacrum adducere?

12. R. Non obligaberis: Hic enim computandus est inter Infantes; Siquidem usus rationis est, qui facit hominem egredi ab infantia, non autem merum tempus.

13. Quæret tertiò altera parens: meus filius, qui jam excessit septennium, valdè dubitò, an rationis usum perfectum acquisierit, quid faciam?

14. R. Illum cura, ut Sacro intersit; Ratio est, quia tunc præsumendum est, jam rationem acquisivisse: Præsumptio enim solet desumi ex communiter contingentibus: Communiter autem contingit, ut post septennium effulgeat rationis usus; contra esset, si dubium sit, an ante septennium quis acquisierit usum rationis, nam præsumendum tunc erit, non acquisivisse; quia communiter accidit, tunc ejusmodi usum nondum advenisse. Lege *Pasqualigum cum multis de Jejunio decis. 50.*

15. Quæret denique hac occasione inops alia mater: Ego filium ferè duorum annorum parvulum nutrio, quem, quia non habeo, cui illum domi custodiendum tradam, in templum mecum duco, quando ad audiendum Sacrum illuc accedo: Verùm dum sacrum fit, is perpetuò clamat, aut flet, aut nugas sine intermissione cum mea, & circumstantium perturbatione agit: quid consilij capiam, omittamne, missam, an ejusmodi perturbationem patiar?

16. R. Huic petitioni sic satisfacit *Gobat c. 15. in Alphabeto auditionis sacri n. 318. omitte omninò sacrum: non videtur enim esse tantum bonum spirituale auditio Sacri cum perpetua sollicitudine, & cura coercendi filij nugas, ut tibi procurandum sit, illi interesse cum notabili incommodo, perturbatione, & obmurmuratione cæterorum,* ubi adverte illud (*notabili.*)

Cæcus solùm, Surdus solùm, Mutus solùm.

17. INquires tertiò. Hi tenentúrne interesse sacro diebus festivis? R. Si quis sit solùm cæcus, vel solùm surdus, vel solùm mutus sine dubitatione tenebitur, perinde ac cæteri fideles: Neque obstat, eos non posse minutatim omnia missæ cognoscere; sufficit enim, quod exhibeant sacerdoti sacrificanti corporalem, moralemque præsentiam: id enim solùm requiritur, ut infra explicabimus, ad sacrum ritè audiendum: hi autem sine dubio, possunt dictam præsentiam exhibere, qua aliquo tandem modo, & ex quibusdam signis intelligant, quid fiat in missa.

Cæcus simul Surdus, & simul Mutus.

18. AT verò si quis sit cæcus simul, & surdus, mutusque, Fagundez *primo Eccl. præcepto lib. 2. c. 3. n. 3.* & Diana *parte 5. tract. 4. resol. 8.* ajunt, hunc, quamvis his tribus vitijs laborantem, obligari; quia moraliter loquendo, potest præsentialiter adesse, & ad id, quod fit, potest aliquo tandem modo attendere.

19. Negat obligari Gobat *in Alphabeto sacri audiendi n. 30. & 31.* qui enim, ait, his morbis affligitur, sive hos contraxerit à nativitate, sive postquam multoties pientissimè interfuerit sacro, non potest exhibere dictam moralem præsentiam, cùm nil prorsus Missæ intelligere, seu advertere possit, & solùm, instar lapidis, ante altare consistet. Sed certè hoc ipsum deberet Gobat probare: diceret enim Fagundez cum Diana, Ecclesiam obligando fideles ad audiendum Sacrum, illos obligare ad ponendum devotè id, quod possunt; is autem, qui tribus dictis defectibus laborat, potest saltem materialiter, & corporaliter coram sacrificante, devotione saltem externa, consistere: nisi forte aliunde excusetur, ut si V. G. non habeat modum adeundi in Ecclesiam, vel sit adeò rudis ingenij, ut non possit intelligere missæ mysterium.

Ego profectò, quia vix invenire possum eum, qui à nativitate cæcus est, & surdus, & mutus, habentem tantùm ingenij, ut possit apprehendere, quid sint mysteria missæ: ideò opinionem Gobat regulariter in hoc casu probabilem judico; id quod ipse forsàn insinuavit in illis verbis (& solùm instar lapidis &c.) Qui autem in majore ætate in tres illos defectus incidit, lapidi non est comparandus; nam propterea illum obligari puto.

Cæcus simul, & Surdus, sed non Mutus.

20. PRopter eandem rationem Gobat *ibid. n. 30.* liberat ab obligatione audiendi sacrum eum, qui sit cæcus, & surdus, quamvis non sit mutus, & affert Castropalaum *tract. 22. punct. 16. num. 4.* dicentem, hunc non posse more Christiano interesse sacro. Sed Ego censeo, debere corporaliter, eo modo, quo potest, adesse: apprehendo enim hunc aliquo modo devoto & Christiano adesse posse; idque juberi tunc ab Ecclesia: semper excipe, nisi

sit

sit tam rudis, ut mysterium missæ percipere nequeat.

Surdus simul, & Mutus, sed non Cæcus.

21. DEnique si quis sit solùm surdus, & mutus, multò magis obligabitur; quia is cùm habeat oculos expeditos, potest propriè interesse Sacro, quando in hos defectus incidit, postquam fuit instructus cognitione Sacri; quia potest advertere ad sacerdotem, divina mysteria operantem: quod si ab ortu fuit surdus, & tamen ingeniosus, (quales hi esse solent) ut, instruente aliquo, intelligat mysteria missæ, saltem in confuso, etiam propter eádem rationem n. præcedente dictam, obligabitur modo sc. quo potest, & ita sustinet Fagundez, & Diana locis cit. Intellige cum exceptione modò illatâ rudis ingenii, non valentis Sacrum mysterium percipere.

Famulis.

22 INquires 4. De famulis, qui propter occupationes injunctas à dominis, non rarò absunt à sacro.

Famuli hæreticorum, vel Infidelium.

23 REspondeo 1. de famulis Catholicis, qui hæreticis, vel infidelibus dominis inserviunt, mox de famulis, qui inserviunt fidelibus.

Famulus ergo prædictorum, si absque notabili suo damno commodè potest discedere à famulatu hæretici, vel infidelis, à quo frequenter impeditur festos dies catholicè servare, obligatur discedere; quia præcepta Ecclesiæ sine dubio obligant ad sui observationem, si grave, seu notabile damnum non affert observatio; Ita Bonacina *in* 3. *Præcepto decalogi, & disp.* 5. *de legibus punct.* 3. *num.* 16. alios citans. Dixi (frequenter) nam si rarò, non præsumenda est Ecclesia, famulum ejusmodi tam citò obligare ad discessum.

24. Qui verò in casu dicto sine suo notabili damno (quodnam illud sit, mox n. 31.) nequit discedere, non obligatur; excipe, si tamen non adsit periculum negandi fidem ob commercium cum hæretico, nec adsit contemptus Religionis Catholicæ. Ratio dicti est, quia nemo tenetur, cum suo notabili damno quærere commoditatem ad observanda præcepta Ecclesiæ: Sicuti enim non tenetur quis observare Ecclesiæ præceptum cum magno suo damno; sic multò magis non tenebitur commoditatem cum damno suo notabili quærere, qua præceptum observet. Ratio exceptionis est; quia est certi Juris apud omnes, mortaliter peccari ab eo, qui non relinquit proximum periculum peccandi; & item qui obedit imperanti aliquid in contemptum Religionis: nam sic qui amat periculum, in illo peribit, & obediens contemnenti, censetur ipse contemnere. Legite Azor *part.* 1. *lib.* 7. *cap. quæst* 1.

25. Quæres Primò, quandonam quis censetur imperare in contemptum Religionis? R. Quando quis mandat, vel prohibet eo fine, ut præceptum Ecclesiæ, tanquam superstitiosum, violetur; vel quando ex ejus violatione risus, & dicteria captantur, vel quando

imperans videtur velle sibi potiùs esse obediendum, quàm Ecclesiæ: vel quando ex circumstantiis colligitur, velle dominum hæreticum, ut per tales inobservationes incipiat, parvi fieri catholica Religio. Ratio datæ explicationis est manifesta; quia contemptis, aliquo modo ex dictis, veræ Religionis legibus, contemnitur ipse DEUS veræ Religionis author.

26. Quæres Secundò: quandonam est periculum, in casu, de quo loquimur, peccandi? periculum, inquam, proximum; nam ad deserendum periculum remotum, non est tanta obligatio.

27. R. Erit quidem periculum proximum, si occasione talis famulatus, quem hæretico, vel infideli impendis, sæpe etiam sine justa causa, leges Ecclesiæ non servas, edis V. G. carnes sine justa causa diebus vetitis, vel incipis dubitare de fide catholica, & similia: nam tunc certè discedere obligaris, quia, ut modo dixi, tunc amando periculum, peribis in illo; te ergo non absolvat Confessarius, nisi tam pernicioſum famulatum deseras.

28. Moneo autem hîc obiter, esse graves prohibitiones Ecclesiæ, ne quis Christianus famuletur Judæis, vel Saracenis, quas satis est, si legas apud Castropalaum *tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 9. n. 17.*

Famuli Catholicorum.

29. HÆc de famulis hæreticorum, vel Infidelium, accedamus nunc ad famulos Catholicorum.

R. Autem cum distinctione; vel enim dominus Catholicus tibi imperat servitia necessaria, propter quæ sacro interesse non potes; & tunc licitè obedies; quia nemo conditionem ex se licitam (qualis est hæc obedientia serviendi in necessariis) mutare tenetur, suumque licitum statum deserere, ut leges Ecclesiæ in alio statu servet, sicuti notat Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 9. num. 107.*

Vel idem Dominus tibi famulo imperat frequenter opera non necessaria, unde si tu illis insistas, legem Ecclesiæ, atque adeò missæ festivæ auditionem omittas; & in hoc casu, redit similis doctrina, quam modò dedimus de famulis hæreticorum; Si enim frequenter sic dominus tecum se gerit, & tu sine notabili tuo damno deserere illum potes, deserere omninò debes; secus nequaquam, quando non est contemptus præceptorum Ecclesiæ.

30. Quæres primò, quantum, & quale debet esse damnum, quod excuset famulum à deserendo ejusmodi Domino, qui non permittit, suos famulos ritè festivos dies observare?

R. Et sanè si de ipso Domino quæras? Ipsum mortaliter peccare (si secundùm morales circumstantias absit justa causa retinendi ita famulos in servitijs, ut nequeant adesse sacro, vel ut nequeant observare cætera Ecclesiæ præcepta) dubium non est; cui Domino potest merito aptari illud S. Pauli *ad Corinthios cap. 5.* Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli dete-

deterior, lege Suarium de *Eucharistia disp.* 83. *V. quintum caput.*

31. At si de famulo quæras? Respondeo, si is idcirco audiendum sacrum non accedit; vel labori non necessario vacat, quia vel verbera, vel graves injurias à suo domino timet, vel ipsum valde infensum haberet, vel domo ab eodem expelleretur, & ipse famulus non facilè reperiret alium dominum, vel si reperiret, ejusdem farinæ esset novus herus. R. inquam, hoc ipso pati notabile damnum, & sic non obligari ejusmodi dominum deserere. Lege Toletum *lib. 6. cap. 6.* & Castropalaum *tract. 9. punct. 10.* secus obligari.

Notanter dixi (notabile) nullo enim modo amplecti possum aliquorum doctrinam, quam Azor *part. 1. lib. 7. cap 7. quæst. 1.* ubi non displicere significat, nempe famulos habere justam excusationem, si jussu Domini die festivo laborem obeant non necessarium, (unde idem doceret de auditione Missæ) licèt nullum ex sua inobedientia damnum timeant, nisi duriusculam reprehensionem, vel rixam; non, inquam, amplecti possum; quia non est credibile, ob solum leve damnum Ecclesiam velle suas sanctissimas & gravissimas leges non observari, ut omnes communiter Authores notant, & præsertim Suarez loc. cit. Hanc autem Azorij sententiam, ut ipse illam absolutè refert, dico, me amplecti non posse propter rationem dictam levis damni respectu gravissimi Ecclesiæ præcepti; quod si id accidat famulo non semel, aut iterum, sed frequenter, & sæpe, ex illo capite se posset ab auditione festivæ Missæ, & laboribus servilibus excusare; quia duriusculum verbum, & levis rixa sæpe repetita, possent aliquando existimari grave malum, & maximè quia Dominus licèt leviter, minus satisfactum se ostendat, interius tamen graviter molestum ejusmodi famulum habere, atque eundem non invenientem alium dominum à domo repellere posset.

32. Quæres secundò: ille famulus, qui nequit reperire, nisi dominum, à quo recipiat dimidium ejus, quod à suo accipit, censebiturne patè notabile damnum, ita ut sit excusandus, si propterea dies festos ritè, jussu sui præsentis domini non colat?

33. R. Censebitur, immò etiam censebitur excusandus, si deserens hujus famulatum, amitteret tertiam partem sui soliti salarii; id enim, consideratis tam moderatis salariis, quæ hodie dari solent, & ordinaria inopia famulantium, videtur grave, & notabile damnum; ut notat Gobat *loc. cit. n.* 327. Unde etiam propter eandem rationem putat *num. 323.* te non teneri ante tempus constitutum discedere, si prævides tibi volenti audire Missam, vel nolenti die festo laborare, negandam ob tuum discessum esse majorem partem salarij.

34. Quæres tertiò; Habeo ancillam, quæ si citiùs à somno, & lecto surgeret, posset audire sacrum, & laborem, quem illi injungo, complere; possumne ego illam ad citiùs surgendum compellere?

35. R.

35. R. Si oporteret aliquid detrahere de somno ordinario, & rationabiliter moderato, certè compellere non poteris; habet enim illa jus ad consuetum somnum, sicuti ad assumendos consuetos cibos: & quando se tuo famulatui addixit, nunquàm huic juri se renunciasse præsumendum est, lege Suarium *loc. cit.* qui observat famulos teneri, vel ante, vel post sacrum expedire opera impedientia sacrum, si tamen adhibita mediocri diligentia, amotoque alio incommodo, possint vel differre, vel prævenire: atqui detrahere de moderato somno nimis incommodi est.

Excommunicatus.

36. INquires quintò; An excommunicatus licitè interfit sacro? Respondeo. Excommunicatus, sivè non toleratus (qui est ille, quem Ecclesia nominatim, & publicè denunciavit, & item ille, qui est notorius, seu publicus percussor clerici) sive toleratus (qui est, quicunque alius propter alias quascunque rationes excommunicatus præter duos jam dictos,) Excommunicatus, inquam, quicunque peccabit mortaliter, si interfit Missæ, vel notabili ejus parti: excipe, nisi excusset, vel ignorantia, vel aliqua gravis necessitas. Ratio dictæ responsionis est, quia Ecclesia graviter in odium excommunicati prohibet, ipsum adesse Sacro. Ratio exceptionis est, quia ignorantia inculpabilis excusat à voluntario, atque adeò à peccato, & consequenter ab ejus pœna, & quia Ecclesia non obligat suos ad sua præcepta observanda cum notabili damno: sicuti alibi sæpè dictum est: Ubi etiam semper excepimus contemptum, vel scandalum.

37. Hìc autem sunt tres dubitationes: Prima; An si quis sit nominatim, & publicè declaratus excommunicatus; sed ipse rationabiliter putat injustè sic fuisse damnatum, unde appellat ad tribunal superius, an inquam, durante lite, possit licitè interesse sacro, & cum aliis tractare, sicuti prius ante declarationem?

R. Cum Navarro *in consiliis lib. 5. conf. 6. n. 9.* licitè posse; quia pendente appellatione, suspenditur dicta declaratio, atque adeò pro tunc non judicatur ab Ecclesia nominatim declaratus, & sic publicata appellatione, poterit sine scandalo licitè adesse sacro.

38. Sed quid si hic innocens non appellavit, sed verè à parte rei fuit injustè declaratus, sed non potest manifestè, & indubiè demonstrare nullitatem suæ sententiæ?

39. R. Sanè tunc coram ijs, quibus constat innocentia, poterit audire sacrum, cumque ijsdem civiliter agere; quia verè, & coram DEO non est excommunicatus; at coram iis, quibus non constat, debet se gerere ut excommunicatus, siquidem secus contemneretur sententia Ecclesiæ, id quod notavit S. Gregorius *homil. 26. in Evangel.* dicens: Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta sit, Gregi timenda est; legite Layman *lib. 1. tract 5. part. 1. cap. 6. n. 3.* & Toletum *l. 1. c. 10. aliósque passim.*

40. Du-

40. Dubitatio 2. Quando aliquis excommunicatus velit (tamè cum peccato) interesse Sacro, ad quid obligabitur, vel ipse celebrans vel sacrum fortè audientes?

41. R. Si sit toleratus, ad nihil obligatur; quia ex Concilio Constantiensi liberantur à peccato fideles propter communionem cum toleratis, tum in rebus sacris, tum in profanis, licet ipsi excommunicati peccent, se ingerendo ejusmodi communioni: At verò si sit excommunicatus non toleratus, Sacerdos celebraturus Sacrum, eum ab Ecclesia exire jubeat; si nolit exire, incidit in aliam, seu novam excommunicationem, & vi expellendus erit opera Laicorum (esto sit Clericus) vel si laici expellere nolint, expellatur opera Clericorum. Quod si non possit expelli, Missa nullo modo inchoetur, immò si sit inchoata, desistat Sacerdos; quando tamen nondum perventum sit ad Consecrationem, vel ut alij volunt, ad illa verba: *Qui pridie, quàm paterentur*; quod si illuc perventum sit, pergat Sacerdos, usque ad sumptionem Calicis, quo sumpto, moneatur iterum excommunicatus, ut exeat à templo: quo tamen nolente, Sacerdos cum Ministro redeat in Sacristiam, ibique quod reliquum est sacri, perficiat.

42. Auditores tamen prædicti Sacri debent omninò & statim discedere, sub pœna peccati mortalis à talis Missæ auditione, & ne tantisper quidem licitè expectare ipsam etiam solam consecrationem, ut scilicet nullo modo intra tam sacra participent in consortio excommunicati non tolerati: hæc, & alia huc pertinentia legite apud Layman. *loc. cit. p. 2. c. 2. n. 6.* & Coninch *3. p. disp. 14. dub. 7. n. 52.*

43. Dubitatio 3. An excommunicatus obligetur petere absolutionem, ut possit licitè adesse sacro?

44. R. Ita putant Azor *p. 1. lib. 7. c. 2. q. 2. aliique*, Unde si non petat, peccabit iterum, ajunt, speciali peccato contra præceptum audiendi sacrum: Negat utrumque communis DD. sententia cum Dicastillo *disp. 5. de sacrificio Missæ dub. 10. p. 2.* Ratio est, quia non tenetur quis tam remota impedimenta tollere, ut adsit sacro; secus qui infirmus est, vel carcere detentus, vel captivus, teneretur ab his impedimentis se liberare, ut audiret sacrum, & ni faceret, peccaret; quod esset fidelibus nimis onerosum.

Dixi (tam remota) Nàm si tu excommunicatus haberes promptum, qui te posset, & vellet absolvere; vel qui te vellet à carcere, vel captivitate liberare; non excusareris, si renueres, maximè si renueres propter hunc finem, ne sic cogereris audire sacrum; id quod confirmatur ex illa ratione universali; quia quilibet obligatur tollere, si potest, proxima impedimenta, ut servet præcepta, sicuti infra suo loco *n. 81.* dicemus; at nunc facilè potes, ergo &c.

45. Quæres; Si quis excommunicatus verè pœniteat sui delicti; idemque petat absolutionem à potente eum ab excommunicatione absolvere; is autem (certè cum peccato) nulla justa causa motus, absolvere illum nolit;

liciténe tunc ejusmodi excommunicatus sacro intererit ? Idem erit, si huic verè pœnitenti non detur copia potentis eum absolvere.

R. Suarez de censuris *disp. 9. sect. 3. num. 2. cum aliis* licitè interesse hunc non posse, putat, & mortaliter peccare, si interfit ; Ratio est (inquit) quia dum ipse verè adhuc est excommunicatione ligatus, arcetur ab Ecclesia, à Missa, ob terrorem saltem alienum.

At profectò probabilissima est sententia Fagundez *p. Ecclesiæ præcepto lib. 3. c. 12. n. 12.* qui cum Navarro contra Suarium sentit, excommunicatum verè pœnitentem, posse occultè recipere Sacramenta, vel celebrare ; (multò magis ergò audire sacrum) quia est jam justus, bene dispositus, & per illum non stat, quominus absolvatur. Adde tamen petendam nihilominus esse absolutionem in foro externo, quando suppetit copia superioris potentis absolvere, ut nimirum appareat, revera ipsum obedire Ecclesiæ.

46. Instas, obligabitúrne prædictus verè pœnitens, qui sine sua culpa absolutionem excommunicationis obtinere non valet, obligabitúrne (inquam) quandoquidem potest licitè sacro interesse?

R. Quia sententia Suarii est etiam probabilis (ut fatetur idem Fagundez ibid.) poterit talis excommunicatus, quamvis verè pœnitens, illi sententiæ se conformare, seque ad auditionem sacri non obligare.

Interdictus.

47. INquires sextò de eo, qui sive personaliter, sive localiter est interdictus (juxta ea, quæ habentur in tractatu de interdicto) an scil. excusetur ab audiendo sacro?

48. R. Sanè excusatur, quia Ecclesia prohibet, ne interdictus sacro intersit, ut propter eandem rationem excusatur excommunicatus juxta modò dicta, quæ hìc sunt applicanda.

49. Sed dubitabis, an si quis habet privilegium V. G Bullæ Cruciatæ, quo ipsi conceditur tempore interdicti localis (si ipsi interdicto causam non dedit) posse adesse sacro, an, inquam, obligetur adesse?

50. R. Non obligari, tenent Avila, Victoria, Coninch, aliique cum Diana eos citante *p. 2. tract. 11 resp. 2.* & apud de Lugo de Eucharistia *disp 22. num. 12.* quibus adde Quintanad. *to. 2. Singularium, singulari 9.* quia nemo, ajunt, uti suo privilegio obligatur, juxta illud commune : Privilegiis utimur, quando volumus ; quod certè intelligitur, quando non est in præjudicium alicujus, ut certè non est in casu nostro.

51. Obligari sustinent Suarez, Navarrus, Sotus, Vivaldus, aliique quos citat, sequiturque de Lugo *loc. cit. n. 13.* quia præceptum audiendi sacrum obligat, quoties non habes legitimum impedimentum, seu quoties potes : at nunc posito privilegio tibi collato, jam potes ; ergo &c. sicuti carceri mancipatus obligatur sacro interesse, si illi carceris impedimentum auferat Judex.

In

In utramque partem pugnant prædicti Authores, ut latè habes apud Bardi *de Bulla Cruciatæ p. 2. tract. 2. c. 3. sect. 6.* & Trullench. *lib. 1. de eadem Bulla p. 3. dub. 6.* sed posterior certè est verior, & amplectenda, quam latè propugnat Thomas Hurtadus *p. 1. Resolutionum moralium c. 6. resol. 28.*

Impediti.

52. INquires septimò: Quinam aliis impedimentis constricti excusantur ab auditione sacri?

R. Sanè multi, & ex multiplici capite. Primò ex capite pertinente ad bona Spiritualia; Secundò ex capite pertinente ad bona corporis. Tertiò ex capite pertinente ad bona fortunarum.

53. Porrò in casu nostro legitimum impedimentum, quod moralem impotentiam affert, tunc adest, quando sine jactura boni mediocris æstimationis ex prædictis, aut sine magna difficultate, vel labore, nequit audire sacrum; Addit Suarez, non requiri causam admodum gravem, sed mediocrem; Plus addit Dicastillus *tract. 5. de sacrificio Missæ dub. 50. §. 2. n. 11.* nam excusatur, inquit, qui timet probabiliter quodcunque temporale, aut corporale incommodum, aut laborem. Hæc ille: qui profectò nimis benignè loquitur; commutetur igitur illud (quodcumque) in (notabile.)

Jam de singulis prædictis bonorum generibus erit nobis pro nostro instituto, nostraque materia singillatim discurrendum.

Impedimenta circa bona Spiritualia.

54 PRimò ergo excusaris ab auditione sacri, quando salva conscientia, nequis illi interesse: etenim dicimus, id non posse, quod sine peccato facere non possumus.

55. Hinc si quis bona fide, data promissione de gravi aliquo negotio, præsertim cum Sacramento; aut si quis mandato superioris justo compellitur domi manere, sanè, ut fidem, obedientiamve in re gravi servet, excusabitur.

56. Secundò Bonacina *de Sacramentis disp. 4 q. ultima punct. ultim. num. 3.* & communiter Authores absolutè eximunt ab audiendo sacro illum, qui adscriptus custodiæ ægroti, non habet, quem substituat. Vide, quæ mox dicam *n. 60.* ubi id distinctius explicabitur.

57. Tertiò excusaberis, atque licitè omittes Sacrum, si necesse sit ire ad audiendam confessionem graviter ægrotantis, & aliud sacrum non adsit.

58. Quartò excusatur mulier omittens sacrum si, quando exit, rixatur maritus, & propterea rumpitur pax inter eos, per rixam tamen alicujus momenti: huc reducunt plerique, quando ipsa debet parare prandium, & quando cibos parare debet pro conviviis, aut nuptiis; & quando Maritus est nimis Zelotypus, & non vult, ut uxor se præbeat aliis videndam. In his enim, & similibus, si timor uxoris est alicujus momenti, licèt peccet maritus,

ritus; non peccat uxor sacrum omittens, ita Dicastillus *n.* 210.

59. Quintò, quamvis non excusetur, qui omittit sacrum ob quodcunque etiam majus bonum spirituale non necessarium, licet utilissimum, qualis esset V. G. Voluntaria sumptio Eucharistiæ, tamen excusatur, si velit confiteri sua gravia peccata confessario, quem nunc habet, alium per multum tempus non habiturus; quia hæc non utilitas solùm esset, sed moralis necessitas se DEO reconciliandi.

60. Sextò, Excusaris, ob charitatem aliquando, vel misericordiam; hinc quando inservis ægro, non solùm excusaris, si ipsi sit necessaria tua præsentia, ne morbus augeatur, ut innuimus *n.* 56. verùm etiam, si te absente, non possint eidem applicari remedia convenienti tempore: Suarius etiam ait, quando morbus est gravis, satis esse, quod infirmus solus relictus illo toto tempore, quo abfueris, pati debeat laborem, & animi auxietatem, vel quid simile; Idem docet Dicastillus *loc. cit. n.* 189. aitque sufficere, si servitium sit infirmo valdè utile.

61. Dubitabis hìc, an excusetur quis, si illius accessus ad templum, ut interfit sacro, sit alicubi efficax peccati mortalis occasio? V. G. si puella sciat, se turpiter à juvene amatum iri, si illam ad Ecclesiam accedentem aspiciat, &c.

R. Valentia vult, debere illam se domi continere, nec interesse sacro, idque sub obligatione, ne scilicet cooperetur cum peccato juvenis. Ita, inquam, Valentia *tom.* 3. *disp.* 3 *q.* 18. *punct.* 4. At Suarez *loc. cit.* hanc licentiam quidem concedit huic puellæ, non accedendi ad Missam, ratione charitatis, quam potest exercere circa dictum Juvenem, ne peccet; licentiam, inquam, concedit: Sed sine obligatione non accedendi; quia, inquit, non debet ab illa puella tolli libertas sua, & spirituale suum augmentum ob crimen, seu scandalum passivum alterius.

Denique Castropalaus *tract.* 22. *punct. ultim. num.* 5. negat ejusmodi puellæ licere, se continere domi, sed obligat omninò ad accedendum ad Missam; quia urget illam præceptum grave Ecclesiæ, quod non est negligendum propter meram malitiam alterius.

Omnes hæ sententiæ sunt probabiles, quia bonis rationibus innituntur.

Impedimenta circa bona corporis.

62. EX hoc capite excusaris primò ab auditione sacri, si probabiliter times, ne in itu, vel reditu, vel in templo, in insidias inimici incidas, te occidere, vel aliquod notabile malum inferre volentis.

63. Secundò, si in carcerem te conjiciendum à tuis creditoribus, vel aliis (puta à satellitibus, vel ministris Justitiæ) prævideas.

64. Tertiò excusaris, si cum incommodo alicujus momenti surgere à lecto non potes; ut si quamvis convalueris ab infirmitate, adest prudentis judicio periculum reincidendi in illam; ad cognoscendum autem hoc periculum

lum Suarez Fill. cum Castropalao *loc. cit. num.* 4. dant hoc indicium, quando (aiunt) infirmitas impedit egredi à lecto, vel à domo, ad alia negotia, æqualis, vel minoris laboris, quàm sit, Missam audire, adesse censebitur ejusmodi periculum; secus non item.

65. Quartò, distantia loci à templo sæpe corporale impedimentum affert, maxime senibus, claudis, ex itinere, vel labore valde fessis, & similibus; dico igitur abstrahendo ab aliis circumstantiis, puta tempestatis, pluviæ, æstivi solis, ardoris, &c. Si loquamur ex solo capite distantiæ; & quidem de mediocriter valentibus, nec aliam excusationem habentibus, esse varias Doctorum sententias.

Suarez enim *loc. cit. vers. tertium caput* putat, sufficienter excusari eum, qui deberet pedes per tria milliaria nostra Italica ambulare ad inveniendum sacrum.

Henriquez *lib. 9. c. 25. n. 10.* non excusat rusticum robustum propter distantiam sex milliariorum.

Bonacina *loco cit. n. 12.* requirit ad excusandum à sacro sex, vel septem milliaria.

Dicastillus *tract. 5. de sacrificio Missæ dub. 10. § 1. n. 174.* negat duo milliaria sufficere ad excusandum (per se loquendo) quia Nobilis vehi curru potest, & mediæ sortis fœmina pedibus ire, maxime intra Urbem.

Marchinus *de ord. tract. 3. p. 3. c. 17. n. 19.* affert aliquos, quibus ad excusandum sufficit unius milliarii iter.

66. Verùm dicta hæc non satisfaciunt, quia nunquam in hac materia auditionis Missæ est attendendum ad solum caput distantiæ, sed etiam maximè est consideranda conditio personæ, viæ, pluviæ, tempestatis, & similium circumstantiarum, ut scil. omnibus perpensis, judicetur, an tale iter notabiliter difficile sit pro tali persona? Quis enim neget, difficilius esse duorum milliariorum iter fœminæ, præsertim delicatæ, vel prægnantis, quàm viro agresti, &c. recte igitur concludendum est cum eodem Dicastillo, qui denique sic concludit: *Itaque id absolutè judicio prudentis relinquendum est.*

67. Quæres primò, si non clarè, nec probabiliter sciam, sed solùm negativè dubitem, an mihi adsit periculum reincidendi in gravem morbum, si ad Missam accedam, excusarène tunc me possum ab illius auditione?

R. Suarez in simili de horis Canonicis, ait tunc petendam esse dispensationem; (utique ab Episcopo, vel alio Superiori juxta ea, quæ diximus de Jejunio.) At Castropalaus in eodem simili negat, esse opus dispensatione, sed licere, horas Canonicas omittere.

Utraque sententia probabilis est; unde ex hac Castropalai sequitur, stante dubio prædicto de infirmitate augenda per egressum ad audiendum sacrum, posse licite quempiam non audire, ut habet etiam expressè Dicastillus *loc cit.* Ratio est, quia licet sit dubium, an nocitura sit illa auditio, tamen periculum, an sit nocitura, cer-

tum est; in quo certo periculo scimus, Ecclesiam nos non obligare; immò aliqui putant, nec posse, quia non potest præcipere aliquid, quod sit contra præceptum quintum Decalogi, de non se exponendo periculo occisionis: quoniam ergo possessio, quam homo habet, non se exponendi periculo gravi mortis, est prior, (siquidem de jure naturæ) quàm sit præceptum recitandi officium, vel audiendi Missam; ideò illa possessio prævalet, non autem hoc præceptum: Ita Caramuel *lib. 3. Theologiæ Moralis, num.* 1395. & Joannes Sanchez *disp.* 15. *à num.* 7. latè idem dicentes de Jejunio in simili dubio.

68. Quæres secundò: si quis infirmus habet Oratorium Domi, obligaturne primò ibi audire sacrum, si ibi illud celebretur? Secundò obligatúrne conducere Sacerdotem, ut ibi sacrum faciat, solitam eleemosynam ipsi daturus, ut consequenter ipse infirmus illi interesse possit?

69. R. Ad primum, obligari, quando aliqua legitima excusatio non adesset; ut si febri laborans deberet à lecto surgere, & ad locum Oratorij se conferre cum notabili periculo, &c.

70. R. Ad secundum, non obligari conducere modo dicto Sacerdotem, ut is faciat sacrum in dicto Oratorio; quia præceptum audiendi Missam est, quando illa celebratur; ergo tunc illi à fideli assistendum est, non verò me Ecclesia obligat, ut meis expensis illam procurem; Legite Suarium *disp.* 88. *sect.* 6. licet sit illi contrarius Nunnus *q.* 83. *art.* 6. circa finem. Illud est mihi certum, quòd Sacerdos si tibi se offerat ad celebrandum sacrum, tu nequeas licitè eam oblationem non acceptare; quia qui ad finem ponēdum obligatur, obligatur etiam ad ponenda media ordinaria, quale est uti opera celebrantis ultrò oblata, ut docet Tannerus, Villalobos, alijque apud Dianam *p.* 2. *tract.* 4. *resol.* 8. *& p.* 9. *tract.* 1. *resol.* 19. Nam propter eandem rationem, quando Dominus curat celebrari sacrum in dicto Oratorio privato, ejus domestici, & famuli, nisi aliunde excusentur, obligantur illi interesse; quia tunc est, ac si ipsis ultrò offeratur Missa.

Impedimenta circa bona Honoris, & famæ.

71. PRimò, Dedecus existimatur in Dalmatia, puellas nubiles permitti à parentibus adire templa.

Idem in quibusdam locis dedecus reputatur, viduas non se domi continere toto primo anno suæ viduitatis.

Idem alicubi simile quid usurpatur, nam per aliquas hebdomadas fert usus puerperas se continere intra privatas ædes.

Hæ igitur consuetudines, licèt essent abolendæ, tamen si alicubi adeò sint fortes, ut verè notabile dedecus pariant, si non observentur, sunt tolerandæ, si ante lucem nequeant Missæ præcepto satisfacere.

72. Secundò, Matres remanentes domi ad custodiendam filiarum periclitantium, nec ad Ecclesiam pergere valentium, pudicitiam, excusantur; ut

ut notat Navarrus ; & Bonacina cum Castropalao *loc. cit. n.* 7. sic etiam eædem matres, vel nutrices, si infantes deserere non possent domi, nec ad Ecclesiam secum ducere, excusantur : vide, quid in simili supra *num.* 16. dictum est.

73. Tertiò, Huc etiam reducitur excusatio illorum, qui non habent vestem decentem, ita ut nequeant sine dedecore, aut gravi derisione, seu notabili pudore, comparere in publico.

Dubitat verò Gobat *n.* 190. an sit obliganda mulier V. G. ad petendam, Commodato, vestem, ut sic sacro interfit ; Ego verò hanc dubitationem solverem distinguendo ; si enim notabilis difficultas esset in petendo, vel in obtinendo ejusmodi vestem, mulierem illam (idem dic propter paritatem rationis de quacunque persona) non obligarem ; secus non esset ratio, cur illam obligare non deberem.

74. Huc denique etiam reducuntur, qui, vel quæ non habent comitatum necessarium juxta decentiam sui status : Item hæ puellæ aliàs honestæ, quæ putantur castæ, & tamen uterum gestant, ita ut celare se coram alijs non possint : Quod si hæ exeant ad Choreas, & alia vana, quomodo excusabuntur ab auditione sacri? Ita Pax Jordanus *tom.* 2. *lib.* 11. *titul.* 1. *num.* 86.

Impedimenta circa bona Fortunæ.

75. Excusantur primò custodes pecudum, vel vinearum, & similium : ut item excubitores, ad portas, ad turres, ad mœnia, si periculum sit alicujus venturi mali gravis. Illud tamen hic notandum, quando sunt plures custodes, & ab uno vel paucioribus possunt custodiri prædicta, teneri mutare vices, ne semper unus Missa privetur : Ita Dicastillus, qui tamen *loc. cit. n.* 179. non obligat hos ad conducendum pretio aliquem, qui suppleat : est enim hoc remedium extraordinarium, & molestum, ad quod in casu nostro non videtur quis obligari. Si possint custodes ovium V. G. sine periculo, antequam educant oves à caulis, audire sacrum, sanè debent, ut notat *loc. cit.* Pax Jordanus ; An obligentur surgere à somno ante ortum solis, ut audiant sacrum, quod tunc fortè celebretur, dixi in simili *n.* 35.

76. Excusantur secundò famuli eodem modo, quo suprà *à n.* 29. dictum est.

77. Excusantur tertiò Vectores mercium, itemque Cursores, notabile damnum timentes, seu magnas expensas facturi, si debeant expectare Missæ tempus. Universaliter enim, qui damnum notabile subiret suarum rerum, si Missæ aliquo die interfit, non obligatur ; quia non cum tanto dispendio pia Mater Ecclesia in hoc præcepto suos fideles obligat. Nam propterea pauper artifex, quamvis debeat regulariter Missæ interesse die festivo, quia breve est tempus, quo Missa durat ; tamen si inde ipse grave damnum esset passurus, licitè sacrum omitteret.

Sed quid de acquirendo lucro ; An scilicet Missa omitti possit sine culpa die festo

festo propter lucrum, quod mihi cessaret, si Missæ adessem?

R. Affirmativè; quando agitur de lucro notabili, & extraordinario; nam cæterum pro lucro diurno ordinario non eris excusandus, si aliud caput excusationis non afferas. Ratio responsionis est, quia, ut notat rectè Sanchez *lib. 5. consiliorum c. 2. num.* 19. notabile lucrum omittere, damnum grave est; Adde piam matrem Ecclesiam non esse præsumendam, ita severè in hoc præcepto agere cum suis, ut velit, eos omittere propter Missam magnum lucrum, & extraordinarium.

78. Denique huc reducuntur itinerantes, & navigantes, quando, vel Missa carent, vel notabilis esset difficultas divertendi ad illam inveniendam. Ut item si deberet quis amittere necessarium, vel valdè utilem comitatum; unde Gobat *loc. cit. num. 497.* excusat eum, qui in longo itinere (non in modico) deberet sine socio iter peragere: permolestum enim est, toto die iter peragere sine comite, atque adeò id reducitur ad necessitatem moralem, nec ad meram solam utilitatem.

Hoc tamen dictum omninò limitandum ad personas nobiles, vel alicujus considerationis, nam cæterum rusticus per multos dies iter facit incomitatus, sine ulla, vel cum modica molestia.

De incipiente iter die festo sine spe inveniendi sacrum in via, vide mox *num.* 83.

Ponentes, vel non auferentes impedimenta.

79. INquires septimò: quid sentiendum sit de voluntariè ponentibus aliquod impedimentum, quo posito, non potest quis interesse sacro?

R. Peccare eos mortaliter, qui absque justa causa ipso die festo impedimentum ejusmodi voluntariè ponunt; parique modo mortaliter peccare, si non auferant eo die festo tale impedimentum, quando sine notabili incommodo possunt; Ratio est, quia quilibet quando obligatur ponere aliquem actum, obligatur etiam ponere media necessaria ad illum, nunc verò in nostro casu medium necessarium ad audiendam Missam est non ponere, vel tollere ea impedimenta.

80. Objicies, At licitè potest quis die festo, quo in sua civitate celebratur festum de præcepto, exire ab illa, perventurus eodem die mane in aliam civitatem, ubi non celebratur ejusmodi festum de præcepto; quod est ponere, seu assumere impedimentum ad Missam audiendam; & tamen sine peccato non interest sacro; ergo cur idem non esse debeat in casu nostro?

81. R. De Doctrina, quæ assumitur in antecedente hujus objectionis, & de peregrinis quando obligantur audire sacrum, dum per transitum versantur in aliquo loco, vel ad illum se conferunt, ubi festum de præcepto non adest, dicemus satis in tractatu de Jejunio *c. 2. n. 27.* & consequenter de auditione Missæ, de qua eadem est ratio. Quantum verò specialiter pertinet

net ad præsentem objectionem, satis respondimus ibidem *c.10. n.*44. Item de Jejunio, quod idem dicendum est de Missa. Breviter autem diximus; aliud esse excusari à præcepto, aliud non afficì obligatione præcepti: Unde diximus, quod qui exit à suo territorio, excutit legitimè à se præceptum, sicuti excutit, quando legitimè dispensatur; atque adeò tunc illo non afficitur; & consequenter ad illud servandum non obligatur; At qui ponit impedimentum in eo ipso die festivo, adhuc ipse subditur præcepto; quia per positionem voluntarii impedimenti non excutit à se obligationem præcepti; atque adeò illo astringitur, & consequenter contra illud faciet, si illud sine causa voluntariè non observat.

82. Dictum autem est (eodem die) at verò quid dicendum, si quis impedimentum ejusmodi ponat in proximè præcedenti die, vel diebus remotè festum præcedentibus?

83. R. Si ponat in præcedentibus remotè diebus (id autem bona fide, & non ex intentione negligendi Missam) non peccat eo die festivo omittendo sacrum; quia non obligatur tam remota impedimenta tollere, seu non ponere ad se reddendum aptum ad Missæ auditionem, quam mater Ecclesia cum tanto rigore non præcipit: si verò ponat proximè præcedenti die, V. G. die Sabbati; ad quem proximè sequitur dies præceptus Dominicæ, alij affirmant peccare, quia proximum impedimentum tollere, vel non ponere quisque debet, ut Ecclesiasticas leges observet; alij verò negant; quia putant, hoc non esse, nec censeri impedimentum proximum: nam tunc esset, & censeri deberet proximum, quando tolleretur, vel non tolleretur tribus, V. G. vel duabus horis, antequam præceptum adveniret; quia tunc solùm moraliter, & rationabiliter adesse, & urgere præceptum censeretur, non autem ante diem; lege hæc latiùs apud Castropalaum *tom.1. disp.1. de legibus punct.*21.

84. Hinc si mulio V. G. eodem die festi, vel ante paucas horas egrediens à civitate non habeat aliquam excusationem ex nuper positis; obligatur omninò sub mortali (ut notat Suarez cum Gobat *de Ebrietate c.27. àn.*98.) audire sacrum priusquam egrediatur, si non sit habiturus in via, vel in vicino termino opportunitatem audiendi: quia tunc, ut dictum est, urget præceptum, cui ipse subditur; at si egrediatur (bona utique fide, & non ex intentione sacrum negligendi) diebus remotè præcedentibus non obligatur propter rationem modò dictam.

CAPUT II.

QUID?

Quid sit Missa.

1. INquires primò, quidnam intelligitur nomine Missæ, quando de Missæ auditione tractamus?

Respondeo. Intelligitur Sacrificium novæ legis, quatenus involvit omnia, quæ ex præscripto legis fiunt, atque dicuntur.

cuntur à prima formatione Crucis ad pedem altaris, usque ad finem secundi Evangelij: Ita Dicastillus *disp. 5. dit. n. 18.* qui inde colligit, Missam, quam vocant siccam, quæ fieri consuevit in navibus, vel triremibus, quando distant à terra, non esse illam, de qua loquimur; in hac enim sicca Missa nulla peragitur consecratio, solúmque recitatur Epistola, Evangelium, & aliquæ preces.

Inde etiam colligit Azor *1. p. lib. 7. capit. 7. quæst. 6.* non esse obligationem audiendi hanc siccam die festivo, quia præceptum Ecclesiæ est de audienda vera Missa, veroque sacrificio.

2. Propter eandem etiam rationem non est obligatio audiendi illam Missam, quæ celebratur in Paraseve (hoc est) in die Veneris Sancti, si fortè tunc sit festum de præcepto: Ratio est, quia illa non est vera Missa, verumque sacrificium, nec enim in ea fit consecratio, sed fit Communio ex præconsecratis die præcedenti, vide quæ dicam *c. 7. n. 6.*

Quid sit audire Missam?

3. INquires secundò, quidnam sit audire Missam, seu quod idem est, quid sit interesse sacro?

Respondeo. Non est verba Missæ intelligere, quod plebei, & rustici non possunt; nec est audire Sacerdotem sacrificantem, quod surdi nequeunt; nec est videre eundem, quod cæci non possunt: Est igitur esse præsentem sacrificio Missæ, & vacare DEO, ut recte habet Sylvester *V. Missa 2. p. q. 6.*

4. Sed hoc ipsum quid est? Respondeo. Id distinctiùs explicant Suarez, & Dicastillus; Suarez *de Eucharistia disp. 88. sect. 2.* sic habet: verbum audiendi Missam non potest aliâ ratione commodiùs explicari, quàm ut fideles secundùm moralem, & corporalem præsentiam assistant Missæ; ita ut, quantum in ipsis est, audire, vel videre, seu percipere aliquo modo possint ministerium Sacerdotis.

Dicastillus *dicta disp. 5. n. 19.* sic ait; nomine auditionis Missæ intelligitur moralis illa, & corporalis assistentia, qua quis adest Missæ, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel certè ibi existendo, comitando, aut sociando, cæteros videntes, vel audientes, ita ut moraliter censeatur præsens illi actioni.

5. Verùm adhuc urgeo; & quænam est ejusmodi corporalis, & moralis præsentia?

Corporalis præsentia.

6 RESpondeo. Corporalis præsentia est ea, qua quis suomet Corpore existit præsens in eo loco, ubi celebratur Sacrum, seu qua quis est corpore ita præsens Missæ, ut quantum est in ipso, possit aliquo modo percipere ministerium Sacerdotis, seu quid agat, vel dicat Sacerdos. Clariùs id explicat Reginaldus *lib. 9. n. 12.* Corpore (ait) censetur Missæ interesse, qui sic præsens est, ut possit aliquatenus cognoscere, quid faciat Sacerdos celebrans, & in qua parte Missæ versetur; nec obstat, quòd maneat post altare, aut post parietem extra Ecclesiam (ut fieri soleat,

soler, cùm locus non est capax totius multitudinis) dummodò moraliter censeri possit, esse de numero eorum, de quibus in Canone dicitur, *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio*) hæc Reginaldus.

Moralis præsentia.

7. MOralis autem præsentia est ea, qua quis sacro adest, ut homo ratione præditus, non ut brutum, aut infans; atque adeò, qua quis assistat sacro liberè, & religiosè, seu humano, & religioso modo, volens nimirum aliquo tandem modo attendere ad divina, juxta ea, quæ de attentione dicemus infrà in circumstantia, Quomodo.

8. Dixi, liberè, id quod hìc supponimus: nam cæterum an satisfaciat præcepto is, qui invitus, & vi compulsus est præsens sacro, est quæstio suo loco infra exagitanda *c. 5.*

Ex dictis collige duo, alterum quoad moralem præsentiam, alterum, quoad corporalem.

Dormiens, vel dormitans in Missâ.

9. QUoad prius collige, nec ebrium, nec dormientem, immò nec eum, qui perfectè per extasim est extra se, de quo iterum dicam *c. 6. num. 9.* audire legitimè sacrum; quia quamvis prædicti habeant præsentiam corporalem, non habent moralem, quâ humano modo illud audire possunt.

10. Quid si quis non dormiat, sed solùm dormitet, dum Missæ interest?

Respondeo. Aut illa somnolentia ligat sensus per notabilem sacri partem, ut secundùm morale judicium non censeatur sic dormitans posse attendere ad rem sacram, & tunc dicendus erit neglexisse illam notabilem sacri partem, & consequenter præcepto non satisfeciisse; sive illa somnolentia sit voluntaria, sive involuntaria; semper enim æquè impedit humanam præsentiam; aut dicta somnolentia est tam tenuis, & interrupta, ut permittat aliqualem (etiam moraliter loquendo,) attentionem ad longè majorem, potioremque sacri partem, & tunc non est mortalis, etiam si voluntaria sit, quia talis dormitatio comparatur illis actionibus externis, quæ non tollunt omnem attentionem exteriorem, de qua attentione infrà dicetur in circumstantia, Quomodo.

Auditio Missæ extra Januam Ecclesiæ &c.

11 QUoad posterius, collige, eum, qui extra Januam Ecclesiæ audit Missam, aliquando præcepto satis facere, aliquando non item. Si enim Ecclesia est tam angusta, quales sunt plures Ecclesiæ in pagis, & parvis oppidis, quæ potius sacella sunt nominanda, quàm Ecclesiæ, sanè præcepto satisfit ab illis, qui extra Januam ad altaris prospectum audiunt sacrum; quia in tam parva distantia satis adest morali, & humano modo præsentia: at verò si Ecclesia sit quoquo modo angusta,

si tu sis extra Januam, & non sis ad altaris conspectum, nec facias unum cum multitudine occupante eandem parvam Ecclesiam, non eris morali modo præsens, atque adeò præcepto non satisfacies.

Pari modo puto, si ex choro à solo Ecclesiæ sublevato, velis audire Missam, quæ celebretur in cappella ejusdem Ecclesiæ, quæ Missa ab existente in dicto choro Ecclesiæ (ut est in hoc nostro Collegio) nec auditur, nec videtur, puto, inquam, te non satisfacere præcepto, cùm tamen satisfacias, si inde audias Missam, quæ celebretur in altari majori, quia pro Cappellis non adest præsentia corporalis, moralis adest pro altari majore.

Quid si ex dicto choro sublevato audiam, quamvis non videam?

Respondeo. Puto, te neque satisfacere; quia licèt sic aliquid Missæ ad tuas aures perveniat, tamen non adest in te corporalis præsentia: sicuti si quis existens in publica platea, vel supra tectum Ecclesiæ, vel in sua domo, Missam cantatam audiret, nihil illius videns, quia non esset præsens corporaliter, præcepto Missæ non satisfaceret. Neque dicas: Cæcus, quamvis nihil videat, tamen satisfacit; ne id dicas, inquam, quia cæcus supponitur corporaliter esse in Ecclesia; at qui est in choro sublevato, vel in platea, vel supra Ecclesiam, vel domi suæ respectu cappellæ, seu altaris, seu Ecclesiæ, quæ non videntur, nec censetur, nec est corporaliter præsens in loco, ubi Missa celebratur.

12. Præterea te audientem Missam ex loco extra Januam, quæ est ad latus prædicti altaris majoris nostri prædicti Collegii, puto non satisfacere, si Janua sit clausa, vel foribus ligneis, vel tapero; quia tunc non adest moralis corporalis præsentia jam dicta, cum tamen satisfacias, si fuerit aperta; quia tunc adest dicta præsentia, quando altare est in hoc prospectu, & Ecclesia est angusta, ut mox dicam *n.* 13.

Quid si ex fenestra habitationis meæ prospiciam altare, eaque omnia audiam, quæ communi voce recitat Sacerdos, satisfaciámne præcepto, inde Missam audiendo?

Respondeo Suarez *disp.* 88. *de Eucharistia sect. 3.* negare: sic satisfieri præcepto, idemque dicit Diana *part. 4. tract. 4. resolut.* 154. additque sic se respondisse Marchioni Hyeracensi in specie facti: Verùm meliùs, modo jamjam explicando concedit de Lugo *disp. 22. de Eucharistia n.* 21. cum Dicastillo *de Eucharistia tract. 5. disp. 5. à n.* 59. casus enim duplici potest evenire modo; Primò, ut à fenestra sit modica distantia usque ad altare; Secundò, ut sit magna: in primo modo satisfacis, in secundo nequaquam: Ratio est, quia in primo adest corporalis, moralisque præsentia, quæ paulò ante explicata est, quæque est necessaria pro auditione sacri: Cum ergo inde in primo modo, ut supponimus, altare prospicias, & sacrificantem aliquo tandem modo audias, videasque, cur non diceris sacrum legitimè audire? at cum in secundo modo hæc non adsint, præ-

sentia

sentia necessaria non aderit; unde nec legitimè sacro assistes.

13. Denique si velis in ampla Ecclesia, qualis est V. Gr. nostra Panormitana Cathedralis, si sit tota Ecclesia plena multitudine, audire sacrum ex janua ejusdem Ecclesiæ, ipsi altari maximo opposita, ubi celebratur, satisfacis præcepto: siquidem potes ex signis, & gestis Missæ aliqua, quæ à celebrante fiunt, colligere; & tunc humano, & morali modo pro omnibus, atque adeò pro te verificatur illud (& omnium circumstantium.) At si vel nulli, vel rari illud sacrum audiant, tu ex janua non poteris humano more dici esse ex illis, qui sacerdotem sacrificantem circumstant.

14. Quoad illud de distantia modò memorata, esse modicam absolutè in hac materia, de qua loquimur, putat de Lugo, esse distantiam triginta passuum. Alij distinguunt in hunc modum; si inter tuam, vel Ecclesiæ januam, fenestramve intercedit platea aliqua (sanè non ampla) tunc si inter te spectatorem sacri, & ipsum sacerdotem complures alij sint interjecti, qui simul audiant sacrum; quia cum illis compluribus unũ moraliter facis, præcepto satisfacies, si secũdùm modo dicta distes triginta circiter passibus: si verò nulli sint interjecti, vel admodum rari Missam audientes, tunc triginta passus nimiam distantiam afferent, unde requiritur tunc alia minor, quam nonnulli determinant, esse viginti circiter passuum, sed certè puto id debere judicio prudentis determinari, ut scilicet, omnibus positis circumstantiis, expendatur, an judicanda sit tunc præsentia moralis, nec ne?

15. Hactenus dicta quà confirmantur, quà explicantur sic à Dicastillo *loc. cit.* cum enim ipse ex Hispania veheretur in Italiam classe triremium in comitatu Mariæ Imperatricis, cujus erat Concionator, dicit, se solere, & ferè mille hominum, qui erant in comitatu, attendere ex ipsa navi illis sacris, quæ fiebant in littore: nec quemquam dubitasse, quòd tunc adesset ipsorum præsentia moralis: poterant enim omnes inde aliqua ratione cognoscere quid ageretur à Sacerdotibus. Addit, nihil esse communius, quàm quòd milites etiam è suis tentoriis audiant sacrum, quod fit audientibus omnibus in campo publico ad distantiam viginti, vel triginta passuum, unam in utroque casu multitudinem constituntes.

Integra Missa est audienda.

16. INquires tertiò; An tota, & integra Missa sit die festivo, sub pœna peccati mortalis audienda?

17. Respondeo, sanè tota, & integra per se est audienda, nisi excipies parvitatem materiæ: si enim notabilem partem Missæ negligas, lethaliter delinques; si verò modicam, solùm peccabis venialiter; nimis enim rigidus esset legislator, qui juberet sub pœna capitis, aut æternæ damnationis, ne vel minima pars rei imperatæ prætermitteretur; quæ est ratio universalis de excusatione à mortali ex materiæ parvitate.

Verùm illud est, quod hìc quæritur, quænam sit notabilis pars, quæ non item; id quod explicabimus sequentibus dictis.

18. Dico primò. Qui negligit adesse consecrationi simul, & communioni, notabilem partem, atque adeò cum mortali eam prætermittet; Ita Basæus *verbo Missa 8. n. 2.*

Quamvis enim videatur primò aspectu pars parva; quia tamen notabilitas, de qua loquimur, non desumenda præcisè est ex multitudine verborum, aut actionum, sed maximè ex præstantia earum; consecratio autem, & communio sunt partes sacrificij præstantissimæ, cum vel utraque, vel in alterutra consistat essentia sacrificij; ideò qui eas negligit, sat notabiles negligit partes.

19. Dico secundò. Qui omittit totum illud, quod dicitur à Sacerdote ad pedem altaris; quique dumtaxat omittit ultimum Evangelium, ne venialiter quidem peccat; quia tam modica pars judicatur moraliter nulla. De re enim tam parva est illud: Parum pro nihilo reputatur. Ita Dicastillus *tract. 5. disp. 5. n. 38.*

20. Dico tertiò. Si omittas, vel consecrationem, vel solam communionem, te peccare mortaliter, putat Castropalaus *tract. 22. punct. 16. num. 6.* cum alijs, quos ipse citat. Te solùm venialiter, judicat Suarez *loc. cit. sect. 2.* alijque: Utrumque probabile, quia probabile est, alterutram esse, & non esse parvitatem; non verò utramque, quam notabilem esse, modò diximus *num. 18.*

21. Dico quartò. Si omittes, quæ dicit sacerdos in pede altaris, usque ad Epistolam exclusivè, peccas venialiter, immò etiam si omittas, usque ad Epistolam inclusivè; quia omittis modicam partem, ita Turrianus, Navarrus, cum Dicastillo *loc. cit. n. 15.*

22. Dico quintò. Si accedas ad Missam post Evangelium, & omnia sequentia audias, quamvis aliqui te damnent de mortali, tamen Suarez, Dicastillus, Castropalaus citati, te à mortali liberant, modò permaneas, usque ad finem ultimi Evangelij, quia adhuc consistitur in modica, nec notabili Missæ parte.

23. Dico sextò. Laymano *tract. 7. c. 3. n. 3.* videri duriusculum damnari de mortali illum, qui venit ad Missam circa offertorium, & cætetis sequentibus partibus adest: Verùm id nimis laxè dictum esse, notat Gobat *in Alphabeto audientium Missam num. 135.*

24. Dico septimò. Si incipias interesse sacro, finita Epistola, quamvis non inchoato Evangelio, & discedas, finita communione, peccas mortaliter. Ita Suarez, Castropalaus, alijque citati; quia ex particula principij, & ex particula finis constituitur una notabilis, & gravis pars.

Quòd si ab ipso primo initio audire sacrum cæpisti, audiasque usque ad Communionem inclusivè; imò etiam exclusivè, te solius venialis damnat, Gobat *n. 138.* citans Suarium; sed illud, etiam exclusivè, nimis laxè dictum mihi esse videtur.

25. Dico

25. Dico octavò. Si omittas partem Missæ usque ad Evangelium inclusivè, quando aliqui te damnant de mortali, ut innuebam *num.* 22. te tamen à mortali excusat Navarrus, si cum primùm Domum redieris, privatim eam partem legas; sed meritò Suarez, & Dicastillius citati id nequaquam probant: siquidem privata illa lectio nequit dici pars sacri.

26. Quæres hìc, si quis die festivo veniat in templum, & inveniat Missam processisse usque ad Præfationem v.g. nec aliam Missam celebrari speret, quam audire possit, obligarúrne illas partes, quæ supersunt, audire?

27. Respondeo. Obligari, & universaliter puto, quocunque tempore accedas, si remanet pars notabilis perficienda, & aliam audire die illo festivo tu non speres, vel non possis (puto inquam) te illam partem sub obligatione mortali audire debere; Ratio est, quia generalis est regula, ut qui non potest totum facere, faciat saltem partem notabilem, quando ea fieri potest, & est dividua. Ita tamen id intelligas, ut possis saltem interesse, vel consecrationi, vel communioni. Si enim utrisque interesse nequeas, nequis interesse sacrificio, atque adeò cætera audire non sunt Missa, quam præcipit Ecclesia. Ita Laym. *loc. cit. n.* 5.

Partem Missæ audire ab uno sacrificante, partem ab alio.

28. INquires quartò. Quandoquidem, modo explicato, tota est Missa audienda; est ne necesse, ut illa sit audienda ab uno eodemque Sacerdote; Clariùs; satisfaciam nè præcepto, si unam partem Missæ V. G. ab initio, usque ad consecrationem audiam ab uno Sacerdote, aliam verò partem, usque ad finem, successivè audiam ab alio eodem die?

29. Respondeo. Probabile esse; te satisfacere, atque adeò te non peccare tunc mortaliter; at si id facias sine causa, te gravissimum peccatum veniale committere, docet Medina apud Laymano *loc. sup. cit. c.* 3. *n.* 3. sic enim à communi consuetudine fidelium recedis.

Ratio autem, quòd in rigore satisfacis præcepto, est, quia Ecclesia non præcipit, ut audiatur tota Missa unius, sed ut tota audiatur; auditur vero tota, quando omnes illius partes audiuntur; esto non omnes proveniant ab uno, eodemque Sacerdote. Ita Castropalaus *loc. cit. n.* 8. alijque plures, quos citat Diana *part.* 2 *tract.* 17. *resol.* 18. *par.* 5. *tract.* 4. *resol.* 52.

Dixi hoc esse probabile; nam cæterum probabilius esse puto, te sic non satisfacere præcepto, quia ex illis duabus partibus nequaquam conflatur unum sacrificium, cui interesse jubet Ecclesia, sed sunt duo semisacrificia, quoad integritatem.

30. Diana *in resol. cit.* 25. ingerit nobis scrupulum, ait enim, non esse dubium, quod satisfaciat præcepto ille, qui priorem Missæ partem audit priùs, & posteriorem posteriùs, sed difficultatem esse, quando priùs ab uno Sacerdote posteriorem partem, & deinde ab alio audit priorem. Verùm hæc disparitas non est apponenda, quasi peccetur

cetur moraliter hoc secundo modo; nam & ipse idem Diana, ait, se non audere, hunc de mortali damnare, & merito, quia ratio modo allata *n 29.* æquè probat de primo modo, ac de secundo.

Duas, vel plures partes Missæ simul audire à diversis Sacerdotibus.

31 INquires quintò. Quid si non successivè, sed simul audiam duas, vel plures partes à duobus Sacerdotibus, vel pluribus celebrantibus, me præsente, in altaribus commodè proximis, quando, (ut ex dictis de præsentia morali necessaria ad Missam colligitur) sufficienter omnibus illis partibus sum moraliter præsens, si, inquam, sic audiam, satisfacióne præcepto?

32. Respondeo. Quidquid dicant nonnnulli apud Dianam, *dicta res. 28. & ad par. 5. tract. 14. resol. 52.* te nullo modo satisfacere, quia, ut docet Suarius, *Sect. 2. citata*, & Barbosa, *in capitulum Missas, n. 3.* illa simultas, seu conjunctio diversorum sacrorum, facit penetrationem talem, ut Dei cultus, quem Ecclesia jubet exhibendum esse die festo per auditionem Missæ, arctetur ad brevissimum tempus, cùm tamen Ecclesia velit, ut extendatur, quantum solet extendi recitatio, seu auditio unius Missæ. Adde eum, qui vovet; vel eum, cui Confessarius imponit pro pœnitentia peccatorum assistentiam trium v.g. Missarum, non intendere tres Missas uno, eodémque tempore, sed diverso, quia secus non esset proportionata pœnitentia pro allatis peccatis; Ita ergo Ecclesia, quando tradit præceptum audiendi Missam, non intendit uno, eodémque tempore plures Missæ partes audiri, sed diverso; quia secus oratio exhibenda Deo die festivo nimis brevis esset. Legite Castropalaum *loco citato.*

Cui Missæ assistendum.

33. INquires sextò, quænam Missa ex præcepto audienda est die festivo? sufficit ne, v. g. illam audire, quam sub ritu Græco Græci Sacerdotes celebrant?

24. Respondeo, sufficere; quia nullum est præceptum de qualitate Missæ, adeoque quamcunque audieris, satisfacies obligationi: Quare, dummodo Missa peragatur Ritu Catholico, si illam Missam audias, quam suo Ritu, suáque lingua celebrat Catholicus Sacerdos Græcus, sive cujuscunque nationis, Ecclesiæ præcepto satis obedies.

35. Propter eandem rationem satisfacies, sive Missam, cui tu assistis, celebret Sacerdos Catholicus de Requiem, sive de Sancto, vel de feria, vel de Dominica, etiam si is, sive bona fide, sive mala erraverit in ea recitanda, quando secundùm Missalis rubricas ea recitanda non erat, sed recitari debuerat de alio Sancto, &c. Ratio est, quia præcipitur ab Ecclesia audiri Missam, non verò hanc, vel illam; Lege Azor *1. p. lib. 7. c. 3. q. 5.* idem dico, quando Confessarius imponit pœnitenti, ut illam audiat, & quando fidelis promittit, per votum Deo, sacrum audire; nisi quid aliud tu, vel Confessarius expressè intendatis.

CA-

CAPUT III.

UBI?

Quo in loco audienda est Missa.

1. INquires primò. Ubinam Missæ interesse debeo, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciam?

2. Respondeo. In quacunque Ecclesia, immo (excepta peculiari quadam prohibitione, quam *n.* 6. mox asseram) in quocunque loco: quamvis plures Sacri Canones velent celebrari Missam in loco non Sacro; posito, quòd ibi Sacrum celebretur; nec ulla lex requirit, ut in loco Sacro audiatur; quare si Sacerdos, certè cum peccato, celebret Missam in loco profano sine legitima Pontificis facultate, peccabit quidem ipse, sed non peccabunt ij, qui illi Sacro intersunt, si non sunt cooperati ad illam in eo illegitimo loco celebrandam (excepta prædicta mox afferenda prohibitione) & consequenter præcepto satisfacient.

3. Dices, nonnè *in capit. ut dominicis, de Parochis, & alibi*, ijdem Sacri Canones obligant fideles ad audiendam Missam in propria Parochia?

4. Respondeo. Ita quidem erat olim, sed hodie sive ex universali consuetudine, sive ex declaratione Pontificis, abrogata sunt ejusmodi antiqua jura, ita ut nunc cuilibet integrum sit, ubicunque prædicto præcepto satisfacere. Sane Tridentinum *sess. 22.* in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missarum, solùm decernit, ut Episcopi moneant populum, ut frequenter, ac saltem Dominicis diebus, & solemnibus festis ad suas Parochias accedant: Nota illud, (moneant) non ergo obligat. Ita Suarez *loc. cit. sect.* 2. alijque passim. Vide etiam Zerolam in praxi Episcopali *p. 2. v. Parochia num.* 3. & Joannem Gallemart in Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 4. qui afferunt declarationes Cardinalium, quibus inhibentur Episcopi, ne pœnis Ecclesiasticis cogant Parochianos, ut accedant ad suas Parochiales Ecclesias ad Missas, & ad concionem ibidem audiendas. Vide etiam de Lugo de Eucharistia *disp. 22. n. 3.* Non est igitur approbandus Gaugericus in summulam Cajetani V. Festum, multas rationes accumulans ad probandam obligationem satisfaciendi huic præcepto in Parochia. Dictæ enim rationes convenientiam solùm hodie probant, non necessitatem, posita consuetudine in contrarium, solaque monitione Tridentini.

5. Quòd item satisfieri possit præcepto, audiendo Missam in Ecclesijs Regularium, est fortior alia ratio; quia nempè sunt multa privilegia summi Pontificis, id ipsis concedentis, quæ privilegia, si est otium, vide apud citatos.

6. Inquires secundò. Quænam est peculiaris prohibitio, quàm *n.* 2. innuimus, hic explicandam?

An in Oratoriis privatis Sæcularium.

7. REspondeo. Et quidem priùs recolendum est, summum Pontificem

tificem solere viris aliquibus primarijs concedere licentiam, ut possint erigere in suis ædibus privatum, & decens Oratorium, cujus decentia sit visitata, & approbata à proprio loci Episcopo, ut liceat deinceps in illo celebrari sacrum; sine præjudicio tamen Parochorum; hoc est, ne immediantur decimæ, Primitiæ, & oblationes debitæ Parochis; Ponuntur autem in ejusmodi concessione duæ limitationes, quæ faciunt ad nos.

Prima est, ut ex vi talis licentiæ non nisi unum sacrum fiat: & præterea in quibusdam festis, ut fiat nullum; hoc est, in Paschate Resurrectionis, & Pentecostes, & Nativitate Domini, aliisque festis solemnioribus anni, ut esset festum Patronorum principalium, & similium; Dico autem (ex vi talis licentiæ) Nam ex alio Privilegio, qualis est Bulla cruciatæ, alia est ratio, de qua mox dicam.

Secunda limitatio, ut ibi non satisfiat præcepto Ecclesiæ, nisi à Domino, seu Patre familias, cui concessa est licentia habendi Oratorium, & alijs domesticis, qui in Brevi Pontificis exprimuntur, & additur in aliquibus brevibus, ut nec satisfiat ab illis familiaribus, qui dicti Domini servitijs non sunt necessarii.

Jam ex his limitationibus duo in controversiam veniunt; Primò, an qui non sunt domestici, hoc est externi, & item familiares non necessarij, si audiant illam unam missam in communibus festis non exceptis concessam, nihilominus præcepto satisfaciant?

Secundò, an item satisfaciat quicumque audit Missam, quæ ibi fortè celebratur ultra unam concessam, vel quæ, in festis illis solemnioribus exceptis, dicatur, quæ certè minùs legitimè, (quare cum peccato, quia esset contra limitationem Pontificis) celebretur?

8. Respondeo ad primum, esse distinguendum; Nam vel loquimur de familiaribus prædictis non necessarijs, vel loquimur de externis, qui ad Dominum prædictum non pertinent.

Quoad priùs dico, familiares prædictos non necessarios, præcepto Ecclesiæ nequaquam satisfacere, quia clarè Pontifex excludit, his verbis; *Volumus, quod familiares servitiis tuis non necessarij ibidem Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur.* Quæ verba adeò sunt clara, ut Homobonus, Pellizzarius, & Castropalaus docentes, hos satisfacere, non sint audiendi, quamvis Gobat, qui nobiscum sentit *n. 356. in Alphabeto sacrificantium*, eosdem citans, enunciet ibidem, eos loqui probabiliter; sed certè, quia verba Pontificis sunt nimis clara, ego hanc probabilitatem non video, ut non vidit Diana *p. 9. tract. 1. res. 3.*

At verò, quoad posteriores dico: si in Brevi adest clausula, quam modò retuli *n. 7.* (*ut ibi non satisfiat præcepto, nisi à Domino, & domesticis*) res item est clara, quòd nimirum externi non satisfaciant; siquidem per illud, (*non nisi*) excluduntur quicunque externi. Verùm si hæc clausula non adest, sed

adest

adest illa alia, quam ego sæpè vidi in Brevibus (in tua, & familiæ tuæ celebrari facere liberè, & licitè possis, indulgemus) probabile puto, externos, qui ad Dominum non pertinent, & non per se, sed per accidens in talis Domini ædes ingrediuntur, præcepto satisfacere: Ratio est, quia ex una parte per hæc verba non excluduntur externi, & per illam aliam (volumus, ut non satisfaciant, familiares non necessarij) solùm familiares non necessarij excluduntur: Externi igitur, cùm non sint familiares, possunt gaudere ea doctrina, per quam nuper diximus, fideles satisfacere huic præcepto, ubicunque Missam audiant, quod facere non possunt prædicti familiares; quia hi manifestè à Pontifice excluduntur: & quidem meritò non excluduntur externi, excluduntur verò familiares non necessarij: nam familiares hi, cùm vivant in domo Domini, facilè Ecclesias non frequentabunt (qui est finis Pontificis in dicta exclusione familiarium non necessariorum) contenti nimirum Missa illa domestica: At externi prædicti non ita facilè aberunt ab Ecclesijs, sed communiter solùm per accidens illam domesticam Missam audituri supponuntur: Ita colligo ex doctrina, quam de Hospitibus dicti Domini affert Diana *loco citato resolut. 6.*

9. Respondeo nunc ad secundum; An scilicet aliquis audiendo Missam in Oratorio prædicto, vel in solemnioribus festis, vel aliam ab illa una concessa, præcepto satisfaciat? Dico, eodem modo, quo præcedenti numero diximus, esse hìc respondendum, nimirum familiares non necessarios nequaquam satisfacere; quia sunt excluſi à Pontifice, at externi illi, qui per accidens ædes Domini ingrediuntur, probabile est, quòd satisfaciant; si in Brevi non adest illa clausula (nisi à Domino, &c.) ratio est, quia pro ipsis ex una parte non adest ejusmodi clara exclusio, ut suppono: & ex alia sic per Ecclesiam concedi judicatur ab Ecclesia; cum his sine inconvenientia faveat doctrina allata, quę modò docuit, missę præcepto satisfieri per quamcunque Missam, ubicunque celebratam. De his Oratorijs privatis multa nos diximus in opusculo de Sacrificio Missę, & plura item afferuntur à dictis Diana, Pellizzario, Gobat, quibus adde Pasqualigum de Missa, omninò videnda ab eo, qui plenam de illis cognitionem habere velit.

Privilegia Bullæ Cruciatæ circa prædicta.

10. Subinquires: quidnam concedatur habenti Bullam Cruciatę in hac materia?

11. Respondeo. Habenti Bullam Cruciatę concedit summus Pontifex tres facultates, quę ad nostram tractationem in præsenti faciunt. Primò, ut Sacerdos quilibet (sed si religiosus sit, cum licentia sui Superioris) habens Bullam possit in dicto Oratorio, sive proprio, sive alieno in dictis diebus solemnioribus Paschatis, &c. laicus, qui Bullam habet, possit in dicto Oratorio suo, vel alieno facere celebrare Missas, etiam plures in dictis solemnio-

ribus diebus: Secundò, ut in alijs diebus, in quibus ex vi concessionis Oratorij solùm una missa poterat celebrari, possit eodem modo, sive in proprio, sive alieno Oratorio facere celebrare Missas plures. Tertiò, ut ij familiares servitijs Domini non necessarij, & ij omnes quicunque externi, qui in die festivò per Missam in ejusmodi Oratorio; sive suo, sive alieno celebratam, satisfacere præcepto non poterant, legitimè possint, si bullam habeant: Ecce igitur quantum est hoc privilegium, quod ita etiam probat Bardi *in expositione Bullæ p. 2. tract. 2.* cum alijs à me citatis *in Opusculo de sacrificio missæ lib. 1. c. 4. §. 4. n. 36.*

Advertendum autem, quoties quis uti voluerit dicto Oratorio privato ad prædicta, quæ sunt ex privilegio Bullæ, debere illum aliquas preces DEO effundere pro unione Principum Christianorum contra Infideles, eorumque contra eosdem infideles Victoria: sufficere autem unum Pater, & Ave; & ejus omissionem, nec irritare privilegia, nec esse, nisi veniale, ibidem dictum à nobis est.

In Oratorijs privatis Religiosorum.

12. INquires secundò. Quandoquidem Mendicantes, & eorum privilegia participantes, possunt ex privilegijs summi Pontificis in proprijs conventibus, ubi aliqui ex ipsis residunt, habere Oratorium probatum à Provinciali, si ad usus duntaxat sacros deputatum sit, & ab eodem visitatum, ut latè habetur apud Suarium, Castropalaum, Dicastillum relatos à Diana *p. 9. resol. 32.* Inquires, inquam, an in his Oratorijs privatis dictorum Religiosorum possit quis Missam audire, & satisfacere præcepto Ecclesiæ?

13. Respondeo. Utique, posse; quia ex una parte quilibet in quocunque loco celebretur Missa, ei potest assistere, & præcepto satisfacere, ut nimis sæpè dictum est: & ex alia nulla clausula legitur in privilegijs prædictis à summo Pontifice concessis, per quam ullus excludatur.

In Oratorijs Episcoporum.

14. INquires tertiò. Quoniam Episcopus, etiam titularis, potest pro sua, vel suorum (saltem ipso præsente) mera commoditate in suo palatio ordinario, aut urbano, aut rurali constituere Oratorium privatum, non solùm ubi permanenter degit, verùm etiam ubi per transitum invenitur, quamvis in aliena diœcesi (non autem Romæ propter reverentiam summi Pontificis) ut habet latè Diana *p. 9. tract. 1. resolut. 34. 36. 38.* Inquires (inquam) An ibi quilibet ex fidelibus sacrum audiens, præcepto satisfaciat?

Respondeo, satisfacere; idque, si non ob alias rationes, certè propter modò dictam, quia nimirum in hujusmodi privilegio Episcoporum nulla quoad hoc adest exclusio, vel limitatio.

CA-

CAPUT IV.

QUIBUS AUXILIIS?

An Missæ præcepto satisfiat per alium?

1. INquires primò. An indigeat quis alterius auxilio, vel saltem possit ab alio auxilium petere ad audiendam Missam, atque ad satisfaciendum præcepto?

2. Respondeo, sanè nullo alterius auxilio indigere, nec ullo uti ad hunc effectum posse; quamvis enim valeat quis eleemosynam, quam erogare pauperi debet, dare per alium, non tamen idem facere potest de auditione Missæ; Ratio est, quia præceptum audiendi Missam est personale, quale est præceptum jejunandi, communicandi, confitendi, quæ à propria persona debent fieri, non ab alia: Eleemosyna autem ideò fieri potest per alium, quia etiam sic illam facit propria persona, quæ debet, cum faciat (ut supponimus) cum propria pecunia, seu per propria bona, quamvis per alterius operam.

An cum consortio excommunicati.

3. INquires secundò. Cum Missa, quæ est actio per se publica, à me sit audienda, præsentibus communiter alijs, quasi me audientem comitantibus, & quasi nobis invicem adjuvantibus in eo publico cultu, licitène audiam, si ex illis præsentibus sit aliquis excommunicatus?

Respondeo. De hac re satis diximus supra *c. 1. àn. 41.*

An à Sacerdote excommunicato?

4. INquires tertiò. Quando Sacerdos est excommunicatus, ego fidelis licitène possum interesse sacro, quod fortè in die festo (sane cum peccato) celebrat ejusmodi Sacerdos?

5. Respond. Quando est excommunicatus vitandus, hoc est, excommunicatus nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, nullo modo licet, quare si alio sacro careas, excusaberis ab audienda Missa, etiamsi festum illius dici sit solemnissimum; Ratio est clara, & mediocriter Doctis vulgata: quia Ecclesia graviter prohibet fideles communicare cum vitandis, maximè in rebus sacris; quare tunc audiens præter incursionem in excommunicationem minorem, de qua fusè agitur in tractatu de excommunicatione, mortaliter peccares; At si non est vitandus, quales sunt alij præter duos prædictos, licitè audies illud sacrum ab excommunicato non vitando celebratum; quia id concessit Martinus Quintus ad conscientias fidelium sedandas, ut mox num. 9. breviter innuam: unde tu si alio careas, teneberis hanc die festo audire, siquidem nullum jus hodie prohibet communicare in sacris cum excommunicato tolerato; non potes tamen ab illo petere, ut faciat; quia sic cooperareris cum illo in peccato, quod is committet, dum in

excommunicatione celebrat, lege Castropalaum *tract. 22. punct. 16. n. 9.*

6. Sacro Sacerdotis hæretici cogniti ex alio capite non potes licitè interesse, quamvis nondum sit denuntiatus; quia nimirum sic videreris ipsi favere, vel ipsius hæresim approbare, quod scandalum esset maximum.

An à Sacerdote suspenso, vel interdicto?

7. INquires quartò. Quid si Sacerdos sit suspensus, vel interdictus? Respondeo. Fagundez & Suarez apud Thomam Hurtadum mox citandum docent, quòd fideles non tenentur vitare suspensum ab ordine, vel interdictum, ne ordines exerceat, sive suspensus fuerit per sententiam Judicis, sive per Jus Canonicum, quamvis sit denuntiatus nominatim, ac declaratus suspensus, vel ut interdictus. Ratio est, ajunt, quia solùm excommunicatum vitandum tenemur vitare; obligatio enim vitandi est proprius effectus excommunicationis: Quare, si Sacerdos v. g. etiam nominatim suspensus ab ordine, hoc est, prohibitus à legitimo Superiore, ne ordinem exerceat, idque per legitimam publicationem, ipse tamen Missam celebret, peccabit quidem ipse celebrando, non verò peccabo ego eam Missam audiendo: unde si alio Sacro caream, obligabor huic Missæ interesse die festivo. Hæc illi.

8. Hanc Doctrinam meritò, ita universaliter prolatam, rejicit Thomas Hurtadus *1 par. resol. moralium tract. 1. cap. 7. resol. 25. §. 2.* citátque plures, Toletum, Navarrum, Valentiam, Bonacinam, Marchinum, aliósque. Ratio est, quia est distinguendum modo simili, quo distinximus num. 5. si enim ejusmodi Sacerdos est suspensus, sed non nominatim denuntiatus, vel interdictus, possumus quidem licitè cum illo communicare, audiendo ejus Missam, & consequenter obligabimur, illam audire in die festo, si alia fortè nobis deest.

9. At si per promulgatam sententiam est denunciatus nominatim, licitè cum ipso communicare non possumus, ejus Missam audiendo; unde si alia Missa non suppetat, ab audienda Missa, etiam die festo excusabimur.

Hujus autem distinctionis ulterior ratio est, quia Martinus Quintus, qui voluit fidelium conscientiis consulere, eodem modo loquitur de excommunicato, ac de suspenso, & interdicto, quoad illos vitandos in administratione Sacramentorum, aut aliis divinis officiis. Ecce verba prædicti Pontificis:

Ad evitanda plura pericula, & subveniendum Conscientiis timoratis statuimus, ut nemo post hac teneatur, excommunicatum in administrando, aut recipiendo Sacramento, aut aliis Divinis Officiis, ratione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à Jure, evitare, si talis sententia, prohibitio, suspensio, censura, non fuerit promulgata, aut denunciata specialiter, aut expressè contra aliquam personam à Judice.

10. Hactenus Pontifex: Adverte autem, sicuti modo advertimus de excommunicato, etiam tolerato, quòd quam-

quamvis licitè Missam audias, quam celebrat Sacerdos suspensus, vel interdictus, non denunciatus, non potes autem licitè à tali Sacerdote petere, vel talem Sacerdotem adjuvare, illi in Missa quandocunque ministrando; nam hoc esset cooperari cum peccato Sacerdotis; quod ex regula generali (modo alibi explicato cum suis exceptionibus) de non cooperando cum peccato alieno, non licet.

An à Sacerdote concubinario?

11. INquires quintò. Quid de Missa Sacerdotis concubinarij? & quidem recolendum est, quod concubinarius (qui est non solùm ille, qui inhonestam mulierem domi retinet, sed etiam ille, qui foris extra domum ad illam per modum habitus, ut libet, accedit) concubinarius, inquam, si sit Sacerdos, immò si sit Clericus, inter alias pœnas etiam suspensionis ab ordinibus subjacet, sed post sententiam ex Tridentino *sess. 25. cap. 14.* Quare fac, aliquem Sacerdotem esse concubinarium, cui inflicta sit per sententiam prædicta pœna suspensionis, inquiris, an ejus Missam, quam is cum peccato celebrat, audire ego licitè valeam, & per illam præcepto satisfacere?

12. Respondeo. Huic inquisitioni responderi facilè potest ex præcedentibus; Nam si is Concubinarius non solùm per sententiam suspensione affectus, sed etiam per sententiam fuerit ut suspensus nominatim declaratus, ac denuntiatus; non potes licitè ejus Missæ interesse, quare per illam, nec potes, nec debes præcepto satisfacere: at si non sit nominatim declaratus, poteris, & debebis, modò illum non invites ad celebrandum, quia hoc esset cooperari cum ejus peccato, ut modò dictum est.

13. Dices: ergo licitè possum audire sacrum, quod celebrat concubinarius etiam publicus, & notorius antequam contra illum fulminentur dictæ sententiæ.

14. Respondeo. Ita profectò hodie, abstrahendo ab aliquo inconveniente, quod posset occurrere, ut si ejus Missam v. g. audiendo, rationabiliter fortè judiceris, ejus concubinatum approbare, vel quid simile, juxta regulas generales de scandalo.

Dixi, hodie, nam temporibus Divi Thomæ, & antiquioribus non erat licitum, ut notat dictus Thomas Hurtadus ibidem; quem, si est otium, lege.

An audiens Missam debeat esse jejunus.

15. INquires septimò. An liceat audire Missam, maximè ex præcepto, mihi, qui jejunus non sum, atque adeò, an jejunij auxilio indigeam ad satisfaciendum huic Ecclesiæ præcepto?

Respondeo. Si sumptio cibi, vel potus non turbet ullo modo attentionem, modestiámque requisitam in audiendo sacro, non committes culpam, cibum illum, vel potum præmittendo; Ratio est, quia ubi non est lex, ibi non est prævaricatio, ut habetur ad Romanos quartò; & consequenter, nec culpa; atqui non extat ulla lex scripta, vel non scripta de hac re, quare solùm pec-

peccaretur edendo, ante sacrum, quando ita multum ederetur, vel biberetur, ut debita mentis attentio, & oratio ad Deum impediretur. Nam certè vulgata est illa paroemia. Plenus venter non orat libenter: præciso autem hoc inconveniente, & secundùm communes regulas, præciso contemptu, non esset peccatum, nec veniale quidem, non jejunum interesse sacro.

His autem ita dictis, sunt nihilominus fideles adhortandi, ut propter reverentiam tanti mysterij, nisi necessitas veniam det, molestè non ferant, jejunos audire sacrum.

CAPUT V.
CUR?

Qua intentione Sacro assistendum?

1. INquires primò. Cur Missa diebus festivis audienda nobis est? quod est quærere, qua intentione, vel quo fine moveri debemus ad illam audiendam?

2. Respondeo. Tres hîc quæstiones tractari posse.

Primò. An, qui vult satisfacere huic præcepto, debeat habere voluntatem, seu intentionem audiendi Missam?

Secundò. An debeat habere intentionem audiendi Missam, ut rem sacram? Et insuper intentionem satisfaciendi præcepto Ecclesiæ.

DE I. QUÆSTIONE.
Hoc est,
De intentione audiendi Missam.

1. DIco igitur primò, omnino debere habere hanc primam intentionem; quia ejusmodi actus voluntatis internæ est physicè necessarius, ut in rerum natura ponatur aliquis actus humanus externus; Nam propterea hic actus internus potest ab Ecclesia præcipi, & de facto illa hunc præcipit, dum præcipit actum externum auditionis Missæ, quia physicè talis auditio humana consistere non potest sine voluntate audiendi. Nam propterea hæc prima intentio semper habetur ab eo, qui Missam solùm etiam externè audit. Cùm, ut dixi, id commune sit omnibus actibus externis humanis; qui enim legit v. g. librum, vult efficaciter librum legere: qui venatur, qui piscatur, &c. vult venari, vult piscari, &c. seu, quod idem est, habet intentionem legendi, venandi, piscandi, &c. de hac igitur primæ intentionis necessitate nulla rationabilis dubitatio esse potest in nostro casu de auditione Missæ.

DE II. QUÆSTIONE.
Hoc est?
De intentione audiendi Missam, ut rem Sacram.

4. DIco secundò. Omninò item debere haberi secundam intentionem: nimirum intentionem audiendi Missam, ut rem sacram & pertinentem ad Dei cultum; idem est in aliis simi-

similibus præceptis Ecclesiæ, de recitandis v. g. Horis Canonicis, &c. Ratio est, quia quamvis hæc intentionis secunda species non sit necessaria ad physicum actum internum, requiritur tamen ad eundem externum, ut bonum, ut honestum, ut meritorium, eandémque intentionem potest, & solet Ecclesia præcipere; quia præcipit actum bonum, & honestum, qui talis non esset sine prædicta intentione; quis enim dicat satisfieri præcepto Missæ ab hæretico, qui Missæ sit præsens, ut Missæ cæremonias observet, & illas irrideat?

5. Dices: Ergo Ecclesia potest præcipere actus internos, dum tamen vulgata Theologorum, & Canonistarum doctrina sit, quòd Ecclesia non judicat de interioribus.

6. Respondeo, Actus interni duplicis sunt generis: Alij sunt purè interni, ut est actus internus contritionis, amoris Dei, & similium; atque hos non præcipit, sed solùm cupit à fidelibus Ecclesia: Alij non sunt purè interni; sed relati ad actus externos, illi scilicet, qui necessarij sunt ad ponendum actum externum honestum & bonum; ut quando Ecclesia præcipit v. g. susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, etiam præcipit, saltem cordis attritionem pro tali Sacramento ex Christi instituto necessariam: quando præcipit orationem vocalem, præcipit aliquam attentionem, illam scilicet, quæ est necessaria ad ponendam vocalem orationem honestam, & meritoriam, &c. Dico igitur, posteriorem hanc, de qua noster est sermo, posse ab Ecclesia præcipi, & præcipit de facto: Unde hancà te debere poni, ut præcepto auditionis Missæ satisfacias, certum est; non verò necessariò illam priorem.

7. Quòd autem posteriorem hanc possit, & soleat Ecclesia præcipere, illa præcipua ratio afferri potest; quia nimirum, cùm Ecclesia debeat per suas leges dirigere homines ad æternam beatitudinem, videtur sanè Christus Dominus dedisse ipsi potestatem decernendi leges cum conditionibus, & circumstantiis iis internis, quæ refundant honestatem in actus externos, ut sic meritorij sint æternæ vitæ: tales autem sunt leges de auditione Missæ, de recitatione horarum, de susceptione Sacramentorum, & similes; quæ nisi haberent positivam connexionem cum actu honesto interno, honestatem ipsæ non haberent.

8. Adde inconvenientiam, quæ à contraria sententia consequeretur; nam si hæc intentio volendi Missam audire, ut rem sacram, ac pertinentem ad Deum, non esset necessaria ad satisfaciendum præcepto; Ille hæreticus, de quo modo n. 4. dixi, qui audit sacrum, ut irrideat, vel blasphemet; & illa mulier, quæ Missæ adesset, ut suum amicum Sacerdotem turpiter aspiceret sacris vestibus indutum circa altare operantem; & ille novus Sacerdos, qui hac unica intentione expresè assisteret Sacerdoti, ut solùm disceret cæremonias; & ille Canonicus scholaris, qui solùm, ut memoriæ mandaret v. g. Psalmos David, legeret Breviarium, sequeretur, inquā, quod hi præcepto satisfacerent, quod nimis esset inconvenienter, & falsò dictum.

9. Stet igitur, ut satisfacias præcepto de Sacro audiendo, te debere habere intentionem interessendi Missæ, tanquam rei sacræ, seu cum intententione exhibendi DEO cultum. Ita Sanchez *disp.* 88. *de Sacramentis sect.* 3. Bonacina *de Sacramentis disp.* 4. *quæst. ultim. punct.* 11. *n.* 4. Molina *tom.* 6. *tract.* 5. *disput.* 58. Basæus *tom.* 1. *v. Missa*, 8. *num.* 7. quicquid in contrarium conetur probare Dicastillus *de Sacrificio tract.* 5. *disp.* 5. *dub.* 7. *à num.* 83.

10. Duo autem hìc sunt advertenda. Primò, intentionem prædictam, non necessariò debere esse expressam, seu explicitam: sufficit enim implicita, qualem habent, qui soliti interesse Missæ, tanquam actioni sacræ ingrediuntur Ecclesiam, cogitando velle audire sacrum juxta morem boni Christiani: nisi enim constet de contrario, præsumuntur ingredi cum prædicta secunda intentione; si non adsit (ait Suarez *loc. cit.*) voluntas contraria præcepto, sufficit ad illud implendum, voluntas audiendi Missam, quia omnis, qui non excludit, censetur hac in re includere, quod debet.

11. Secundò, est advertendum, sive sciendum, id quod notat Gobat *in Alphabeto auditionis sacri num.* 197. Non est necesse (ait) ut sacro interssis per modum orationis: Ratio est, quia ipsummet sacrificium non habet per se rationem orantis, sed alterius actus specie distincti; Ergo nec auditio, seu assistentia debet necessariò habere rationem orantis; Et sine dubio sanctissimè Missam audiret, qui toto tempore occuparetur partim in agendis Christo Domino gratijs: partim in perpendendis Mysterijs; quæ illic repræsentantur: quare non assentior Bonacinæ, & Basæo *loc. cit.* asserentibus, auditionem sacri imperari per modum orationis; sed potiùs, ut rectè pronuntiat Suarez *loc. cit.* sufficere, si sub sacro, vel ores, vel DEO te submittas, cùmve honores; vel saltem attendas ad ea, quæ Sacerdos dicit, facitque, tanquam ad res sacras, & Lessius *in consiliis Moralibus*, *v. Missa casu secundo* post Medinam, satisfacis (ait) præcepto, si adsis cum reverentia, ut sacrificium cum tua præsentia honores. Hactenus Gobat.

12. Verùm si hic Author dicat, Missæ auditionem non præcipi per modum orationis per se sumptæ, benè dicit; Nam sic nomen orationis significat petitionem, seu preces, quibus aliquid postulamus à DEO: At Ecclesia præcipit per modum orationis largè dictæ, quando auditionem Missæ præcipit; quo pacto omnis ipsa meditatio rerum divinarum, ipsæ actiones gratiarum, ipsæ Divinæ Majestatis adorationes dicuntur orationes, sub quibus legitimè sacro, diviniſque alijs officijs assistimus.

DE III. QUÆSTIONE.

Hoc est,

De intentione audiendi Missam, ut satisfaciat Præcepto.

13. Dico tertiò. Ad implendum præceptum de auditione Missæ,

sæ, non esse necessariam tertiam intentionem illam de satisfaciendo præcepto, seu de obediendo Ecclesiæ: sufficit enim, ut re ipsa obediatur, & sacrum audiatur piè, ac religiosè. Ratio est, quia nulla lex, sive divina, sive humana præcipit, ut quando volumus facere actionem præceptam, dicamus; Volo hoc facere, quia præceptum est: Volo hoc omittere, quia prohibitum est; omnes enim Legislatores putant, sibi satisfieri, obedientiamve præstari, si absque contraria voluntate executioni mandetur, id quod præcipitur. Legite Sanchez *lib. 1. summæ cap. 13.* Suarium *loc. cit. sect. 3. & Hom. 2. de Religione lib. 2. cap. 26.* Castropalaum latè *tom. 1. de legibus tract. 3. disput. 5 punct. 17. n. 12.*

14. Ex hac Doctrina prædicti DD. colligunt primò, eum, qui ignorans, vel immemor, esse diem festum, audit sacrum, si postea comperiat, esse festum, non teneri interesse alteri sacro, etiamsi offeratur ipsi (ut notat Suarez *sect 3. cit. 1.*) occasio optima iterum audiendi. Ratio est manifesta ex prædictis, quia jam fecit, quod præcipit Ecclesia.

15. Colligunt secundò. Eum, qui die festo audiens manè sacrum dicat: nolo satisfacere præcepto auditione hac; nam volo satisfacere per alterum sacrum, mox à me audiendum; colligunt, inquam, non obligari alterum audire, quia jam implevit præceptum; & sufficit, si dicat intra debitam tempus, ne peccet ex conscientia erronea, jam implevi præceptum per sacrum prius; Solùm tunc mortaliter peccaret non audiendo iterum, si fortè voviset aliud sacrum audire, non autem si solùm propositum habuit audiendi.

16. Colligunt tertiò. Eum, qui, die festo audiens sacrum, dicat: nolo satisfacere præcepto Ecclesiæ hoc sacro; sed nolo etiam alterum hodie audire, colligunt, inquam, hunc peccare quidem ex pravo affectu inobedientiæ; sed tamen, quia materialiter facit, quod lex præcipit, observare legem: unde, si illum pœniteat mali illius animi intra tempus, quo Missæ adhuc celebrantur, non obligabitur aliam audire, sed potest dicere, ut modò diximus, jam per illam auditam Missam præcepto satisfeci; debebit tamen illum pravum inobedientiæ affectum, utpotè peccatum mortale, confessioni sacramentali subjicere.

17. Dices: Ille solus satisfacit præcepto, qui præcepto obedit; at qui non vult satisfacere præcepto; non obedit; Ergo prædictus *num. 16.* non satisfacit.

Respondeo, distinguendo minorem; Qui non vult satisfacere præcepto materialiter, & re ipsa (quod solùm requirit Ecclesia) non obedit; concedo minorem: qui non vult satisfacere solùm internè, non obedit, nego minorem, & consequentiam: solùm ergo prædictus ex malo affectu peccat, ergo solùm formaliter non obedit, ut dictum est, sed obedit materialiter.

18. Colligit quartò de Lugo *disp. 4. de justitia n. 46.* alios citans, idem, quod dictum est de præcepto Ecclesiæ,

intelligi de voto : quare si vovisti audire hodie sacrum, vel Coronam Sanctissimi Rosarij recitare, illudque audias, & hanc recites immemor voti, immò etiam memor, sed nolens per illam Voto satisfacere, adhuc satisfacis, & potes intrà debitum tempus dicere ; jam voto satisfeci : idem etiam erit de pœnitentia à Confessario injuncta, ut habet Suarez, & Clamas apud Gobat *in Alphabeto auditionis Sacri à n. 206.* atque hæc propter rationes dictas de præcepto Ecclesiæ ; votum enim, & pœnitentia imponuntur ad modum precepti, ut docent omnes, & nos alibi sæpè docuimus.

19. Superest hìc notabilis quæstiuncula : fac, excommunicationem legitimè esse latam contra non audientem sacrum V. G. in die Natalis Domini, vel contra non communicantem in aliquo die ex diebus Paschalibus ; Petrus autem audiat quidem sacrum, & communicet, dicens : nolo per hanc Missam, & per hanc Communionem implere præceptum, & deinde nullam aliam Missam audiat, nullamque aliam Communionem faciat ; quæro : An hic incidat in excommunicationem prædictam ?

Respondeo cum Gobat *loc. cit. n. 204.* hunc peccare quidem mortaliter per formalem inobedientiam contra Superioris præceptum ; sed non fore reum excommunicationis ; siquidem hic verè, & re ipsa audivit sacrum & fecit communionem præceptam, juxta ea, quæ hactenus declarata sunt.

De intentione mala.

20. QUæres primò. An qui audit Sacrum ex intentione mala, v. g. ex vana gloria, vel ex aliquo pravo fine mortaliter, satisfaciet præcepto ?

Respondeo, si is audit piè, & religiosè modo supradicto, hoc est, sacro assistit, ut rei sacræ, & pertinenti ad Dei cultum, licèt addat illum alium malum finem, satisfaciet præcepto per auditionem illam ; esto peccet ob prædictum alium finem ; Si verò solùm hunc malum finem habeat, certò non satisfaciet, quia tunc deficit intentio audiendi sacrum, ut rem sacram, quæ est intentio, quam explicuimus num. 4. nam propter eandem rationem, si templum ingrediaris tantùm, ut ibi exspectes amicum, & interim celebretur sacrum, non satisfacis præcepto ; quia pari modo tibi deest prædicta secunda intentio. Ita expressè de Lugo *de Eucharistia disp. 22. n. 23.*

De audiente Missam metu, vel vi.

21. QUæres secundò. Qui sacro interest : Primò, propter metum, v. g. sui Magistri vel Pædagogi, ne ab illo pœnam subeat, satisfacitne Ecclesiæ præcepto ? Secundò, quid de eo, qui compulsus manibus v. g. pedibúsque ligatis, illud audit ?

Respondeo ad primum, satisfacere, modò de facto audiat illud, ut rem sacram ; nam ex communi doctrina S. Thomæ 1. 2. *quæst* 6. *art.* 2. metus non tollit voluntarium liberum, & neque tollit

tollit intentionem interessendi Missæ, tanquam rei sacræ: quòd si in aliquo casu hanc intentionem tolleret, sanè præcepto non satisfieret, ut ex dictis patet; Et idem esset in jejunante; vel recitante Horas Canonicas, metu compulsus, dummodò, ut dictum est, hæc exhibeat, ut sunt res sacræ, &c.

22. Respondeo ad secundum cum distinctione; Si enim ejusmodi puer, vel homo, manibus, pedibúsque devinctus, contra omnem suam voluntatem esset in templo, dum fit res divina semper intra se nolendo ibi consistere; nec volendo Missam audire, quamvis de facto invitus audiat, non satisfaceret præcepto; quia non interesset Missæ, ut rei sacræ, sed illi interesset, ut cuilibet loquenti, vel legenti; id quod non sufficit, ut dictum est à num. 4. Ita Sanchez, Suarez, Castropalaus citati; At si is, quandoquidem ibi invenitur constrictus, (ubi fit sacrificium, moveatur ad illud tanquam ad rem sacram audiendam,) utique satisfaciet, ut jam nimis sæpe dictum est.

Scio, Dicastillum *loco cit. num. 7.* docere, etiam coactum priore modo satisfacere: Ipse enim sustinet, Ecclesiam non præcipere actum internum, nec purum, nec relatum ad externum, sed meram, & materialem dumtaxat externam actionem, sed propter ea, quæ diximus *à num. 4. prædicto*, nulla ratione est audiendus.

CAPUT V.

QUOMODO?

Quo situ audienda est Missa?

1. INquires primò. An semper audienda sit Missa genibus flexis.

Respondeo, ita quidem, ob reverentiam Christi Domini congruum est, ut reipsa fideles omnes usurpant, & quidem discooperto à viris capite, licèt non necessariò sine pileolo, excipe tempus, quando legitur utrunque Evangelium, tunc enim usus laudabilis fidelium docet, esse standum, ut significetur, eos esse promptos ad illud contra infideles propugnandum. Cæterum, si quis Missæ interesset, sive stans, sive sedens, sive etiam jacens in lecto, ut occurrere solet, quando quis infirmus audit fortè sacrum in Oratorio privato, satisfacit plenè præcepto; quia nulla est lex, quæ hujusmodi situm in Missa audienda præcipiat; Nec puto (idemque propter eandem rationem) venialiter peccari ab eo, qui propter meram commoditatem stans, vel sedens, illi interest, remoto semper scandalo, vel contemptu.

2. Hîc incidit illa quæstiuncula; quid meliùs sit, quando legitur utrumque Evangelium, si est expositum in altari, in quo Missa celebratur, SS. Corpus Christi, se erigere in pedes, angeniculatum remanere?

Respondeo, semper mihi visum est, meliùs esse, se erigere in pedes; quia sic videtur magis Deo placere illa animi protestatio, volendi fidem defende-

re, quàm sola illa animi submissio per geniculationem exhibita: Servetur tamen usus, qui fortè increbuit in tua regione: Nam uniformitas fidelium in divino etiam cultu, permaximè Deo, & ejus Ecclesiæ placet.

Qua Attentione?

3. INquires secundò. Qua attentione mentis Missæ est interessendum?

Respondeo. Duplicem attentionem distinguunt Theologi, externam aliam, aliam internam.

4. Externa consistit in negatione distractionis externæ, id est, in negatione ejus negotij, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ, quale esset v. g. velle historiam legere, confabulari, ludere, depingere; pecuniam numerare, aleis, vel latrunculis ludere, & similia.

Interna est ipsamet animi, seu mentis, & intellectus applicatio ad sacrum, hoc est, ad ea, quæ in ipso peraguntur; Hæc autem applicatio interna triplex est, scilicet, vel primò, applicatio mentis ad sola verba, actionesque Sacerdotis, id est, ad solas cæremonias verbales, aut reales; vel secundò, ad Mysteria illis cæremonijs significata; vel tertiò ad Deum, seu ad res ad Deum pertinentes: Primam applicationem ex his esse bonam; secundam meliorem, tertiam optimam esse, passim notant DD.

5. His ita distinctis, dico primò. Si quis ultra prædictam externam applicationem afferat, dum sacro assistit, applicationem aliquam ex his tribus internis sufficientissimè complet obligationem probi Christiani, ac satis, superque implet præceptum Ecclesiæ; Id ex se patet, ut docent omnes.

6. Quare si quis sub sacro deliberatè cogitat de rebus quibuscunque sanctis, ac pijs: si quis exercet actus internos aliquarum Virtutum: si quis orat petendo à DEO beneficium aliquod, vel eundem animo adoret, vel eidem gratias agat, &c. sufficienter censebitur ad DEUM attendere, & Ecclesiæ præcepto satisfacere.

7. Idem propter eandem rationem dic, ut notat Suarez *loc. cit.* alijque de eo, qui dum audit Missam, recitat cum intentione orandi Psalmos, vel alias orationes etiam illas, quæ ex obligatione recitare tenetur, quales sunt Horæ Canonicæ pro obligatis eas persolvere, vel orationes vocales impositæ pœnitenti à Confessario, vel sibi à seipso per votum: Ratio est, quia talis attentio ad ejusmodi res divinas moralem assistentiam, seu præsentiam nequaquam tollit. Immò dum Sacerdos secretè orat, recitari orationes aliquas à fidelibus Missam audientibus, bonum consilium est, etiam in auditione Missæ de præcepto. Siquidem mentis evagatio ad res alias impertinentes, hac ratione meliùs evitabitur: unde vides obligatum ad dictas orationes, sive ex voto, sive ex alia obligatione, dum eas recitat in Missa diei festivi, unico actu duas obligationes adimplere, modo non se obligaverit ex voto v. g. illas orationes extra tempus Missæ recitare.

8. Hîc movere aliquis dubitationem posset; An scilicet, dum docemus,

mus, posse fideles licitè in auditione Missæ de præcepto recitare horas Canonicas, aliásve preces, intelligamus, id solùm licere memoriter eas recitare, nec sit fas, eas ex Breviario, seu libro legere? Ratio dubitationis est, quia attentio ad Missam videtur difficiliùs consistere cum recitatione, seu lectione ex libro, quam cum recitatione ex memoria; legens enim non videt sacrificantem: at orans ex memoria videt.

Verùm non est hìc scrupulus Fidelibus ingerendus, nam DD. omnes, dum docent posse recitari horas Canonicas in Missa, absolutè id docent, & eo consueto modo, quo horæ persolvi solent: solent autem legendo ex Breviario, quia Ecclesia illud requirit à fideli audiente Missam, ut sub sacro oret, sic ita attendat, ut non impediatur externis actionibus à Missa avertentibus; eo modo, quo dictum est supra de præsentia morali, per quam aliqua mysteria Missæ advertantur, id quod regulariter, qui Breviarium legit, advertit; secus, quia non adesset præsentia moralis, certè non satisfaceret præcepto.

Addit Dicastillus *tract. 5 de Eucharistia disp. 5. num. 117.* attentionem illam, qua solùm attenditur, cum verba Breviarij rectè pronunciantur, sufficere tam ad sacri, quàm ad Breviarij satisfactionem. Rectè id additum esse pronuncio.

Notat autem Henriquez *lib. 9. cap. 21. num. 5.* expedire, ut attendatur ab obligato ad horas Canonicas magis Breviario, quàm sacro; eo quod non teneatur Missam percipere auditu, & intellectu. Ita Henriquez, sed certè non video discrimen; siquidem nec Breviarium teneor intelligere, vel audire; cum satis sit pronunciare, quamvis me ipsum non audiam, ut alibi dictum à nobis est. Semper igitur est attendendum, ut cum legis prædictas preces, & simul Missæ assistis, habeas, ut diximus, præsentiam moralem, & illam habeas attentionem, qua aliqua mysteria Missæ advertas, modo supra explicato.

9. Suarez *loc. cit. sect. 3.* docet, illum habere debitam attentionem, qui toto sacri tempore ita rapitur consideratione rerum divinarum, ut planè non advertat, quid agat, vel quid dicat, aut quò pervenerit sacrificans: certè hoc mihi difficilè est, quia sicuti diximus supra *c. 2. n. 9.* de dormiente, vel rapto in extasim, sic non apparet quomodo is habeat præsentiam moralem, & more humano consuetam: nam & ipsemet Suarez, & clarius Dicastillus, ut nos retulimus supra ibidem *num. 8.* dixit, ad præsentiam moralem requiri, ut aliquo modo percipere quis possit ministerium Sacerdotis. Dicendum igitur est, prædictum, qui totus sit in consideratione divinorum, ut nihil advertat Missæ, non satisfacere præcepto, nisi fortè talis sit contemplatio, ut relinquat applicationem ad aliqua tandem, quæ fiunt à Sacerdote.

10. Dico secundò. An sola externa attentio, quę non habeat negotiationem avertentem à Missa, quamque præscripsimus *num. 3.* an (inquam) sit

sit sufficiens ad satisfactionem præcepti, major est difficultas : Et quidem hæc quæstio est communis cum recitatione Horarum Canonicarum, vel aliarum precum ex obligatione; quamvis enim auditio Missæ non sit propriissimè, & expressè oratio, ut dixi *cap. 5. num. 31.* & ut notat Suarez *loco cit. sect. 3.* & de Lugo *de Eucharistia disp. 22. sect. 2.* & Ecclesia non tantam attentionem exigat in auditione Missæ, quæ solùm est auditio, quam in recitatione horarum, quæ simul est locutio cum Deo : tamen non est negandum, eas esse valde similes ; nam propterea id, quod de attentione hîc dicimus, intellectum volumus de utraque.

11. Ajo igitur, esse probabile, satisfieri præcepto, nec peccari mortaliter ab eo, qui die festivo adhibet Missæ solam externam applicationem, cui non sit adjuncta prædicta negatio *dicto n. 4.* explicata ; quamvis enim necessariam esse attentionem internam, hoc est internam applicationem mentis ad Missam, vel officium, sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad cerimonias sacrificantis, sive ad Deum, doceant communiter Vasquez, Sanchez, Suarez, innumerique alij citati à Diana *part. 1 de Horis Canonicis resol. 2. & p. 3. resol. 101.* oppositum tamen, id est, solùm prædictam externam satis esse ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi citati à prædicto Diana *loco cit.* & non pauci ex Recentioribus Coninch, Gaspar Hurtadus, ipse Diana, & probabile vocant Lessius, Henriquez, Layman, Victorellus, de Lugo, eos citans *disp. 22. de Eucharistian. 27.* legite etiam Caramuel, *tom. 1. Theologiæ Moralis n. 1377.* Ratio potissima hujus probabilis sententiæ est; quia falsum assumunt adversarij, dum contendunt, actualem internam attentionem esse de substantia orationis; unde cum Ecclesia præcipiat orationem, necesse est, præcipere etiam dictam attentionem; falsum, inquam, hoc est, ut patet in forma extremæ unctionis, quæ consistit in oratione, & tamen si Sacerdos voluntariè, aut involuntariè distrahatur, conficit Sacramentum. Substantia igitur orationis non consistit in actuali attentione : patet item, si tecum loquar, legendo aliquem v. gr. supplicem libellum, vel aliquid dicam ex memoria; dicor enim tunc tecum loqui, etiamsi voluntariè distrahar : Patet denique in emittente votum solemne Professionis ; nam etiamsi cum actuali distractione legat, vel proferat formulam votorum, adhuc valet votum. Vide hæc latius explicata apud de Lugo, *loco cit.*

Dixi, non peccari mortaliter ab adhibente solùm applicationem externam : nam peccari venialiter, ferè omnes docemus, si aliqua ex tribus illis attentionibus internis consultò non adhibeatur. Ratio est, quia est naturalis quædam indecentia assistere rei tam sanctæ solo corpore, & colloqui cum DEO in oratione, & tamen esse animo alienissimo à tanto mysterio, & à Deo; consultò, inquam, nam cæterum si sese distractiones ingerant, & tu illas respuas admittere, quando eas advertis, ne de veniali quidem debes esse solicitus ; Caramuel *tom. 1. Theologiæ*

regu-

regularis num. 61. innuit, esse probabile, nullum peccatum committi, ne veniale quidem, ab eo, qui horas ex obligatione recitat cum sola mera attentione externa; Ratio esse posset, quia hæc sola præcipitur ab Ecclesia; sed non est audiendus; quia ratio hujus peccati venialis non ducitur ex violatione præcepti, sed ex naturali indecentia, ut dictum est.

Ex dictis ergo sequitur primò, quòd qui die festo occupat se, dum Missam audit, in actionibus manuum, pedum, oculorum, aurium, linguæ per notabilem ejus partem, si eæ sint obstaculo omni attentioni, is non dicetur adhibere ne externam quidem attentionem; atque adeò peccat, nec præcepto satisfacit: & sequitur secundò, quòd si se occupat in levibus quibusdam actionibus, quæ omni attentioni non obstant; ut si quis paucis cum amico loquatur: si brevem Epistolam legat, & similia; peccat quidem venialiter, sed præcepto satisfacit.

Confirmatur prior sequela; quia *in c. Dolentes de celeb. Missarum*, præcipitur, ut officium divinum celebretur studiosè pariter, ac devotè: sed non præcipitur in hac probabili sententia ab Ecclesia devotio interna: ergo præcipitur saltem externa; At qui ludit, qui loquitur, qui scribit per notabile tempus, ne extrinsecam quidem devotionem habet, ut dictum est.

Confirmatur sequela posterior, quia Navarrus *de oratione, & horis Canonicis cap. 13. num.* 47. excusat à culpa mortali eum, qui totam tertiam, aut vesperas percurrit, se vestiendo, colligendo herbas, & uvas, instruendo ignem, pectendo caput, lavando manus, & vultum, tendendo oculos in viridarium, prospiciendo in ripam, vel fluvium, juxta quem ambulat: Navarrus ergo putat, hæc esse levia, quæ debitam attentionem in oratione non tollunt; idem igitur de levibus actionibus, quæ sub sacro fortè intervenirent, dicendum est; quæ scilicet non tollunt, quin audiens aliquo tandem modo cognoscat, quid faciat, dicatve sacrificans. Ratio autem, quòd non tollant, est, quia tales prædictæ actiones judicio prudentum, & ex ipsa experientia, cum fiant ex consuetudine, non requirunt attentionem tantam, ut distrahant ab attentione debita Missæ, vel orationis, secus verò qui ludit, pingit, &c.

16. Addit Navarrus, leve item esse, si quis oret ex obligatione, & interim pennam aptet ad scribendum; sed certè hoc exemplum approbare non debeo; quia aptare cultro calamum requirit diligentem attentionem, quæ certè avocat à sacro; nisi fortè ita breviter te expedias, ut sit parvitas materiæ, atque adeò leviter distrahatur animus.

17. Sequitur secundò ex dictis, ut si quis externam dictam attentionem habeat, sed mente vagetur etiam voluntarie ad alias quascunque cogitationes, peccet venialiter sic audiens Missam die festivo: excipe nisi forte adeò quis ab his cogitationibus abripiatur; ut hæ impediant, quò minùs testari possit de rebus gestis in sacro, ita ut aliquo tandem modo non advertat, quid in

in illo fiat, tunc enim non adesset præsentia moralis, & humana, ut supra diximus *n* 8. de vehementi contemplatione, & raptu seu extasi.

18. Quæres hac occasione primo. Qui tempore sacri versat deliberato animo sceleratas cogitationes, ac turpia desideria, teneturne in confessione dicere, se eas volvisse tempore sacri?

Respondeo, obligari diceret Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de orat. cap. 13.* indicat enim ita se sentire de fovente illas cogitationes tempore orationis. Verùm rectiùs Gobat *in Alphabeto auditionis sacri n.* 241. ait, se non prospicere hac in re circumstantiam notabiliter augentem malitiam essentialem talium distractionum; ideo se abstinere à tam gravi censura: ineautum enim est, addit, & malum, affirmare aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel evidenti ratione, ut inquit Gabriel *in 4. dist. 15. art. 3. in fine*, subdens, hoc esse ponere laqueum pedibus ambulantium.

19. Dictum autem est de cogitationibus; nam, quid de actibus turpibus externis, satis explicabimus *in tractat. de Communione cap. 9. n. 4.*

20. Quæres secundo. Quomodo duo, quæ in præcedentibus dicta sunt, cohærent? Dictum est enim *num.* 3. legentem historias, dum Missæ interest, non satisfacere: dictum autem est etiam *n.* 7. legentem horas Canonicas satisfacere, at in horis Canonicis sunt lectiones, quæ continent historias, ergo posterius dictum non cohæret cum priori.

Respondeo. Cohæret; cùm enim dicimus; legentem historias, non satisfacere, intelligitur de historijs profanis; Unde rectè Reginaldus *lib. 19. n.* 13. notat, legentem aliena à devotione præcepto non satisfacere; & ratio est, quia lectio libri profani, sive alicujus Poetæ, sive Philosophi, sive alterius generis non sacri, est actio exterior, quæ sua natura avertit animum ab attentione ad res divinas: ergo est actio prohibita fieri, dum auditur Missa: at lectiones historiales Breviarij animum non avertunt à rebus Divinis.

21. Instas Primò. Quid, si quis legat, dum Missæ assistit, libros pios, vel pias historias V. G. Vitam Sancti Francisci, opera spiritualia Gersonis, Rodriquez, Arias, Granatæ, & similia? Quid si secundò quis legat tunc orationes, seu preces alias diversas à Breviario, vel Rosario?

22. Respondeo. Quoad hoc posterius sentio cum Gobat *in Alphabeto audit: Sacri n.* 246. qui rectè putat lectionem libri cujuscunque precatorij optimè stare cum auditione sacri; quia hujusmodi est, ait, praxis universalis Ecclesiæ. Addo ego, hujusmodi lectionem esse veram orationem ad DEUM, quam in auditione Missæ intendit Ecclesia.

23. Quoad prius, id est, quoad alios libros pios, qui non continent orationes, & preces, sed instructiones spirituales, vel spirituales narrationes vitasque, & facta sanctorum, concedit, eum, qui hæc in Missa legit, præcepto satisfacere idem Gobat *n.* 253.

li-

licèt, ut ipse idem addit, non audeat consulere. Fundatur tota ejus ratio tum in paritate, cum legente Breviarium: si enim, inquit, legens Historias Breviarij, satisfacit Ecclesiæ præcepto, cur non, si legat similes alias pias, sive historias, sive instructiones, sive quid simile; tum quia ejusmodi lectio est de se apta ad excitandos pios motus animæ.

24. Verùm hæc opinio mihi nullo modo probatur; quia lectio historiarum Breviarij est oratio ex Ecclesiæ intentione, & instituto: quare æquivalet libris precatorijs: at historiæ aliæ, quamvis piæ, vel instructiones spirituales, licèt pertineant ad cultum DEI, nihilominus nec in se, nec ex institutione Ecclesiæ sunt orationes, vel orationi æquivalentes, earumque lectio instruit potiùs intellectum, quàm movet immediatè ad pios voluntatis actus; Adde praxim universalem Ecclesiæ; difficulter enim invenies fidelem aliquem, qui ejusmodi lectionem faciat, dum Missam de præcepto audit. Unde etiamsi nulla inveniretur disparitas inter legentem historias alias pias, satis esset sensus communis fidelium ad has excludendas ab audiente Missam die festivo.

25. Sequitur tertiò ex dictis, non esse moraliter præsentem Missæ eum, qui, dum illa celebratur, confitetur sacramentaliter; vel eum, qui ejusmodi sacramentalem confessionem seriò, & cum mentis applicatione suscipit, atque adeò hos non legitimè satisfacere præcepto de assistentia Missæ: Ratio est, quia non sufficit pietas actionis ad ejusmodi satisfactionem, si hæc pietas distrahat, seu excludat moralem assistentiam. distrahit autem in casu nostro; quia actio externa confessionis, sive pœnitentis, sive confessarij impedit ipsum externum cultum attendendi per orationem ad religiosam devotionem Missæ; Sacramentum enim confessionis, licèt pijssima actio sit, non est tamen oratio, nec propriè, nec æquivalenter, ut ex dictis patet.

26. Thomas Hurtadus *de Residentia p. 1. resol. 8. subsec. 5. n. 26.* sustinet, eum, qui audiens Missam, cum Patre spirituali colloquitur de rebus divinis, non satisfacere; quia illa locutio, quamvis admodum pia, divertit ab attentione Missæ: at verò eum, qui dum audit Missam, confitetur peccata coram confessario, intendens suscipere eorum absolutionem, præcepto Missæ satisfacere: Ratio est, ait, quia locutio illa cum Patre spirituali divertit ab attentione Missæ, quia est locutio de DEO; confessio autem, non divertit ab attentione Missæ, quia est locutio ad DEUM, cujus loco est confessarius.

27. Profectò hæc distinctio placere non potest, æquè enim utraque divertit ab attentione necessaria Missæ; neque enim quælibet pia operatio stat cum attentione necessaria etiam solùm externa Missæ; sed illa, quæ est oratio, ut modò probavimus, qualis non est confessio, nec locutio de rebus pijs, nec etiam receptio cujuscunque Sacramenti. Et sanè si stares in hoc puncto de confessione, quæ sit locutio ad DEUM, deberes consequenter concedere, solùm pœnitentem satisfacere

præcepto auditionis Missæ, non verò Confessarium, quia Sacramentum administrans non loquitur cum DEO, &c.

CAPUT VII.
QUANDO?

Quibus diebus est audiendum Sacrum?

1. INquires primò. Quandonam, hoc est, quo die ex obligatione fideles tenentur interesse sacro?

Respondeo. In omnibus Dominicis diebus, & festivis de præcepto. Omnes autem dies festivi de præcepto reducuntur ad quosdam dies Sanctissimæ Virgini, ac Sanctis dedicatos, omnibus satis cognitos; sunt autem inter festivos, etiam connumerandi ex universali regula illi omnes, quos Constitutio synodalis præcepit, & non abrogavit consuetudo, nec summus Pontifex fortè rejecit, quoque eadem consuetudo legitimè introduxit.

2. Pro quibusdam festis, de quibus emergit dubium, An ex obligatione mortali inducti sint? Esto hæc brevis, & sufficiens regula. Esse scilicet observandos sub gravi culpa eos, quos magna populi pars observat; si autem multi festum non violant, violant multi; verùm Prælati silent, judicandum est, eos festos, esse ex libera populi pietate introductos, atque adeò sub culpa nequaquam obligare: multa quæ huc faciunt, dicemus infra *n. 25, & seqq.*

3. Manè diei commemorationis defunctorum, & diei Cinerum, primo Quadragesimæ non est festum de præcepto, nisi in aliqua diœcesi adsit particularis lex, certè in nostra Panormitana non adest.

An in die Paraſceves?

4. INquires secundò. Si quod festum de præcepto incidat in diem Paraſceves, hoc est in die Veneris sancti: obligamurne interesse sacro, ut si fortè tunc incidat festum Annunciationis Sanctissimæ Virginis, vel alicujus Patroni principalis civitatis?

5. Respondeo. Non obligamur. Ita memini, me dixisse in superioribus *c. 2. n. 2.* Ratio est, quia lex obligat fideles ad audiendam Missam, at illa, quæ recitatur in die hoc, non est Missa (Immò peccaret mortaliter Sacerdos, si tunc Missam celebraret, ut cum triginta ferè Doctoribus notat Pasqualigus *de Missa q. 155.*) Siquidem tunc solùm Sacerdos communicat ex præconsecratis præcedenti die. Addo sic declarasse sacram Congregationem apud Gavant. *in Rubricas Missalis part. 4. tract. 10. num. 24.* Ita cum Molfesio, Haldus, Fagundez, Barbosa (etiam ante dictam declarationem) *part. prima cap. 11 de Parochis n. 47.* contra Vasquez, Nunnum, aliosque, qui ante dictam declarationem obligabant.

6. Quæret hìc aliquis per hanc occasionem. Cum diximus peccari mortaliter à Sacerdote Missam in Paraſceve celebrante, sanè ex eo, quod faceret contra Ecclesiæ prohibitionem in re

re gravi; Quæret, inquam, duo: Primò rationem dictæ prohibitionis: Secundò, An in casu necessitatis dandi Viaticum moribundo, liceat tunc Sacerdoti Missam celebrare?

7. Respondeo ad primum, rationem prohibitionis rectè explicari, à S. Thom. 2. *part. quæst. 37. art. 2. ad 2.* quem omnes sequuntur; quia scilicet in die Veneris Sancti ab Ecclesia recolitur memoria Passionis Christi, prout realiter gesta est, & ideò congruum non judicat repræsentari illam mysticè per reconsecrationem Sacramenti: adde ipsam sic velle ostendere mœstitiam publicam ob mortem ejusdem Domini.

8. Respondeo ad secundum: sanè opinio est probabilis, quòd in dictò die licet ministrare Eucharistiam fidelibus, & item probabilis, quòd non liceat; (præter viaticum, quod ministrari proximè morituris posse, immò & debere, docemus omnes.) At an celebranti tunc possit, ad dandum viaticum, si desint particulæ præconsecratæ, major est difficultas.

Ad quam respondet Henriquez *lib. 9. Summæ cap. 9. num 6. litt. 5.* referendo nonnullos, asserentes, licere tunc celebrare, quia nimirum urgeret necessitas.

9. Sed hæc responsio sic absolutè, & sine limitatione prolata, non est approbanda, ut non approbatur à Pasqualigo *de Missa q. 356.* Ratio est, quia Ritus celebrandi Christi Passionem cum cessatione Sacrificij, ad publicum Dei cultum pertinet, qui non est postponendus privatæ necessitati, cui aliter subveniri potest: ut jam subdo.

Dixi enim (sine limitatione non licet) nam cæterum, ut idem Pasqualigus innuit, licebit, si celebratio fiat secretè. Ratio est, quia aliquando aliqua, quæ non licent publicè fieri, secretò licent ex *c Tuæ fraternitati de Clerico Peregr. ibi, si forsitan eorum aliqui* (*hoc est*, Sacerdotum peregrinantium) *secretò ex devotione celebrare voluerint, poteris sustinere.* Confirmatur, quia dum sic secretò missa illo die celebratur, non fit turbatio publici, eo die non est sacrificandum, nec impeditur prædicta mœstitia publica, &c.

11. Sed quænam tunc Missa recitari debet, cum nulla pro die illo sit assignata?

Respondet Pasqualigus *loco cit.* in rigore posse celebrari quamcunq; Missam, quæ cæteris diebus celebrari potest; meliùs tamen fore, si celebretur Missa votiva Passionis Christi Domini, quæ congruit illi tempori, vel Missa votiva de Sanctissima Eucharistia, quæ congruit fini intento, nempe fini dandi Viaticum infirmo, vel Missa pro Ægrotis, quæ congruit fini celebrationis, hoc est, fini adjuvandi Infirmum. Hæc ille; sed certè congruentiùs Missa votiva Passionis Domini tunc esset præferenda.

In die Jovis, & Sabbati sancti.

12. AT verò in diebus Jovis, & Sabbati intervenientibus in hebdomada majori, obligamur certè interesse

esse Sacro, si ii incidant in diem festivum de præcepto, siquidem tunc celebratur propriè vera Missa, verúmque Sacrificium. Verùm adverte, si immemoratis diebus peragatur unica tantùm Missa solemnis; facilè aliquem excusari, quando nonnisi cum notabili incommoditate illi interesse posset: quam tamen excusationem multi Episcopi amovent, ut profectò amovere omnes debent, concedendo, ut incidente in illos dies præcepto, plures Missæ privatæ celebrentur, quot nimirum sufficere videbunt ad commoditatem populi; in defectu Episcopi absentis, quando Parochus non prævidit hanc concessionem ab Episcopo postulare, posse ipsum per se prædictas privatas Missas celebrandas curare: mihi dubium non est: Missa autem Sabbati Sancti incipiet in eo casu à Kyrie Eleison, relictis nimirum Prophetiis, quæ potiùs pertinent ad officium solemnitatis, quàm ad ipsam Missam, & relicto introitu, qui in illa Missa non adest.

Quando Sacerdoti non datur posse Missam audire, an teneatur ipse celebrare?

13. INquires tertiò. Si Titius Sacerdos die Dominico v. g. non inveniat Sacerdotem alium, qui eo die celebrare possit, aut velit, unde ipse Titius Missam audire ab alio recitatam non valeat, tenetúrne ipse Sacrificium offerre, ut sic præcepto de audienda Missa satisfaciat? Ratio dubitandi est, quia fideles obligantur quidem interesse sacro, sed quando illius est copia, non verò illud celebrare.

14. Respondeo, huic inquisitioni rectè respondet Gobat *loco cit. num* 40. teneri; addens, duos Theologos de hac affirmativa responsione immeritò dubitâsse, subdítque has rationes; Primam, quia consuetudo Ecclesiastica sic habet, ut scilicet omnes, etiam Sacerdotes, Missæ interfint die festivo, si tunc non celebrent; secundam, quia qui celebrat, audit Sacrum, siquidem alioquin Sacerdos celebrando, sed de audiendo; immò Suarez *de Eucharistia d.* 88. *sect.* 4. ait, celebrantem perfectiùs Missam audire, quàm circumstantes: si igitur potest audire celebrando, omnino obligabitur. Tertiam, quia Sacerdos, qui tempore Paschali non habet, à quo percipiat communionem, obligabitur ipse consecrare, & communicare, ut præceptum servet. Quartam, quia qui tenetur ad finem, tenetur (ut omnes docent) ad ponenda media, saltem ordinaria; at celebratio Missæ usitatissimum est, & ordinarium medium ad illam audiendam.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis responsio, hoc est, jam in promptu esse Missam, quando adest Sacerdos ipse, qui celebrare potest.

15. Sed est privilegium celebrare; nemo autem tenetur suo privilegio uti. Respondeo, negando, id privilegium esse; est enim quasi naturalis proprietas Sacerdotis, qui ad hunc finem ordinatur, nempe ut celebret.

16. Sed sunt non pauci, qui mallent audire Missas quatuor, quàm unam facere: Respondeo, hoc provenire ex eorum vitio, quod proinde ipsos excu-

sare

sare non debet: secus, si ea difficultas proficisceretur ex notabili dolore, in stando vel legendo, vel in scrupulis irremediabilibus. Hactenus ex dicto Authore.

Quando celebrans submissa voce celebrat, an à fidelibus satisfiat Præcepto?

17. INquires quartò in hunc modum: Sacerdos proximè præcedenti die Dominico, adeò submissa voce celebravit, ut ne verbum quidem Missæ omnes, qui interfuimus, audiverimus, satisfecimúsne præcepto?

18. Respondeo, tibi, & circumstantibus favet his verbis Beja Lusitanus *in responsis casuum Bononiensium editis Anno 1589. fol. 97.* In nostra religiosissima Lusitania (inquit) ut devotioni, & contemplationi sacrificantium consulatur, in more est positum, submissâ adeò voce privatas Missas dicere, ut nonnisi à se solo sacrificans audiatur, & ab eo, qui Missæ inservit, quoad ultima verba, quibus est respondendum, & tamen quicunque ástant, & sacrificio sunt præsentes, legem de audienda Missa in die festo se adimpleviſſe putant, licèt nihil omninò audiant, vel percipiant, dummodo actu humano erecti, genuflexi, adorantes ibi adsint, & cætera facientes, quæ ab aliis fieri in diversis particulis Missæ solent: nec ullus è Catholicis Episcopis, & doctissimis Confessoribus est alicui injectus scrupulus, quòd præceptum de audienda Missa sint transgressi ij, qui voces Sacerdotum sacra facientium non perceperint.

19. Hæc Beja, cum quo absolutè sentio, quoad fideles ejusmodi sacris interessentes: At verò quod attinet ad Sacerdotes tam submissè celebrantes, nulla urgente necessitate, sed solùm, ut suæ devotioni serviant, nec laudare, nec approbare possum: & ratio est, quia sic Sacerdotes Lusitani rubricas Missalis non observant, quę rubricę alia, summissa voce, alia, voce elata, recitanda disponunt: præterquam quòd fraudantur fideles de spirituali fructu, qui enasci solet ex auditione Orationum, Evangeliorum, Epistolarum, Symboli fidei, & similium. Adde tertiò, Missam, licèt privatim celebratam, esse per se ministerium publicum, ut alibi explicuimus; quare, ut ritè peragatur, non est ad solam privatam Sacerdotis devotionem restringenda.

20. Porrò juvat opponere Bejæ Lusitano Hispanum Navarrum, de quo Navarro, Sà *v. Missæ num. 50.* sic habet; Navarrus peccare ait, Missam ita submissè celebrantem, ut circumstantes non possint audire. Vide ergo ingeniorum diversitatem? Beja de devotione illud idem prædicat, quod Navarrus de peccato condemnat; non tamen puto, quòd possit condemnare de mortali, cùm non appareat manifestum caput, unde tanta peccati gravitas colligatur; & prudenter S. Thomas *in quodlibet 9. quæst 7. num. 15.* sic monet; *Periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur.*

21. Quæret ex hac occasione aliquis, quid dicendum, contra de eo, qui

qui secretas Missæ orationes alta, seu elata voce profert?

Respondeo huic quæstioni, si sermo sit de verbis consecrationis Gobat *in Alphabeto Sacrificantium* sic satisfacit: qui vocem adeo intendit, ut minister sacra verba consecrationis audire queat, excusandi sunt, quia non adest præceptum grave de secreta consecratione, gravis verò venialis damno, quando quis ad sex, vel octo passus vocem consecrationis intendit: mortalis verò, qui ad quadraginta audiri consuevisset. Hæc ille; sed profectò hoc de mortali nimis rigidè dictum esse videtur (excepto notabili scandalo, vel contemptu, vel animo inducendi novum Ritum) idque propter eandem rationem, quam modò innuimus ex S. Thoma.

22. Si verò sermo sit de aliis orationibus, quas secretè dicendas disponunt rubricæ; respondet Quartus *in rubr. Missalis parte 1. titul. 16. dub. 1.* se putare, peccare mortaliter eum, qui alta voce legit totum Canonem, vel partem ejus notabilem, vel notabilem partem aliarum precum, quæ secretò recitari debent, si id fiat, vel animo inducendi novum Ritum, vel cum scandalo aliorum. Hæc ille; & quidem rectè, si notes tamen hanc ultimam conditionem (si id fiat &c.) quod nos etiam in simili advertimus modò num. præcedente.

Quando Antecessores Civitatis voverunt celebrare idem festum, an successores teneantur interesse Sacro illo die.

23. INquires quintò. An successores & posteri obligentur ad festa, quæ voverunt eorum majores, & sic an obligentur tunc interesse sacro? Ratio dubitandi est, quia nemo potest suo voto alium à se ligare, alioqui tenereris fieri Religiosus, si tui Parentes Religioni te devovissent.

24. Respondeo. Certum communiter putatur à Doctoribus, quòd obligentur; Ratio est, vel quia primò, ex justitia legali, seu ex observantia erga Antecessores tenentur Posteri rata habere, & confirmare ejusmodi vota pro bono publico emissa, & non inducentia valde magnum onus, ut notat Bonacina *de voto p. 5. n. 20.* & Fillucius *tract. 26. num. 162.* Vel secundò, quia Episcopus, vota illa approbando, mandavit ea servari à posteris, ut tenet Suarez *lib. 4. de voto cap. 10.* & Laymann *lib. 4. tract. 4. cap 10. n. 9.* lege etiam Thomam Sanchez *lib. 4. summa cap. 15. num. 16.* Addit Navarrus *in Manuali cap. 12. num. 8.* hanc obligationem oriri ex vi contractus, & promissionis transeuntis in successorem universalem; quam tamen rationem difficulter se credere, dicit Gobat *in Alphabeto auditionis Sacri n. 86. vel 3.* ut habet Pasqua. *in observationibus super Lauretum num. 22.* quia voti obligatio afficit quidem regulariter tantùm expressè voventes, sed aliquando

quando etiam voventes tacitè, quatenus voluntas successorum censetur moraliter inesse in voluntate Antecessorum viventium.

Quisnam legitimè dies festos instituit sub obligatione audiendi Sacrum?

25. INquires sextò. Quisnam indicere valet festos dies, in quibus nos interesse sacro teneamur?

26. Respondeo. Dies indicere festivos pro universali Ecclesia in honorem Dei, & Sanctorum (utique Canonizatorum, vel etiam Beatificatorum) pertinet ad Romanum Pontificem summum, pro Diœcesi, vel Oppido ad Episcopum modò mox explicando *n. 28.* Eandem vim habet legitima consuetudo, sive universalis pro tota Ecclesia, sive peculiaris pro Diœcesi, vel Oppido; legitima, inquam, quia ex se consuetudo sola, orta dumtaxat ex populi observatione, ejusmodi vim non habet, nisi quando, saltem tacitè, Prælati consensum includeret, quo pacto jam esset legitima. Ratio est, quia id pertinet ad jurisdictionem spiritualem, quam nullam habet Populus, sed habent solùm Prælati, quibus eam Christus Dominus communicavit. Id quod non ita se habet in jurisdictione temporali; hanc enim primitus residere in populo, ob hoc tamen Principibus secularibus communicatam esse ad meliorem gubernationem docemus omnes.

27. Subinquires, si quando Princeps mandet observari aliqua festa, ut ob insignem victoriam; ob coronationem Regis, immò etiam ob reverentiam alicujus Sancti de Republica benemeriti (quæ non accedente Prælati jussione festa sæcularia, non verò sacra appellari ritè possunt) ésne obligatio tunc Missam audiendi, & consequenter à servilibus abstinendi?

Respondeo, non esse obligationem in conscientia ex virtute religionis audiendi Missam, vel abstinendi à servilibus, solùm enim tunc externa festivitas indicitur, & externa abstinentia à negotiis prohibetur. Interim tamen non nego, contra legem civilem peccari posse, & contra Principis obedientiam; sed hoc mortale vix, aut ne vix quidem de facto pertingere, alibi à nobis disputatum est.

28. Subinquires iterum, Episcopus (idem dic de Episcopalem jurisdictionem habentibus) sub qua conditione potest indicere dies festos sacros, in quibus sit abstinendum à servilibus, & sit audiendi Missam obligatio? Quos ut sumus omnes, & advertit Castropal. *tom. 3. disp. 2. p. 2. n. 5.* etiam Regulares observare tenentur.

29. Respondeo, sub ea conditione ex jure communi, ut id faciat accedente consensu Cleri, hoc est majoris partis Capituli, & consensu populi, ut habetur *conquestus de feriis*, puto nihilominus, in rigore Episcopum posse sine positivo consensu populi, quem satis est non contradicere, sed cum consensu tamen prædicti Cleri, consuetudinem nimirum sic legitimè introducta.

30. Monet autem Urbanus VIII. *in Bulla edita Anno 1642.* (sed non jubet, nec potestatem tollit) ut parcè, ne scilicet fideles multorum festorum fre-

frequentia aggraventur, hanc potestatem Episcopi exerceant. Quod vero Urbanus solùm moneat Episcopos, & potestatem nequaquam tollat, ipsemet Bullæ tenor manifestè declarat, in qua hujusmodi adsunt verba.

Ne autem dies festos à locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate, deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere.

Hactenus Pontifex, ubi nota illud (*monemus.*)

Qua Hora audiendum est Sacrum?

31. PErtinet ad circumstantiam; Quando, hora assistendi ad Missam, quare merito inquires septimo: quid sit sentiendum de ejusmodi hora.

32. Respondeo. Quacunque hora Sacerdotes celebrent, obligantur Fideles uni Missæ die festivo præsentes adesse. Ritè autem celebrant ab Aurora usque ad meridiem, & ex Privilegio à Pontifice aliquibus concesso, etiam una hora ante Auroram, & una item circiter hora post meridiem, quorum privilegiorum explicationem satis erit videre apud de Lugo *de Eucharistia disp.* 20. *sect.* 1. aliosque.

Quod si unica dumtaxat, vel paucæ Missæ aliquo in Oppido celebrentur, quacunque hora audienda est illa, quæ celebrabitur; unde si manè diluculo dicetur illa unica Missa mane est audienda; si vero dicetur in meridie; tunc audienda erit, quando nulla rationabilis non audiendi causa subsit.

33. Dixi (unica Missa) nemo enim obligatur ad plures: nam propterea in rigore, die Natalis Domini, unam Missam audiendo præcepto satisfit sufficienter; sicuti etiam Sacerdos non obligatur eo die plures Missas celebrare, cum semel celebrando suum munus satis adimpleat, lege Pasqualigum de Missa *q.* 1252.

An aliquando ante mediam noctem?

34. INquires octavo in hunc modum. Potest contingere, ut audiat quis Missam ante mediam festi sequentis noctem; hic ergo satisfacitne præcepto?

Casus quotannis occurrit in nocte Natalis Domini, in illo primo sacro, quod celebrat Cardinalis in Sacello Pontificio coram Pontifice, nam hæc prima Missa solet tota absolvi ante mediam noctem, ut latè habes apud de Lugo *de Eucharistia disp.* 15. *num.* 55. quantum igitur facit ad nos, inquiris: An tunc fideles audiendo illam Missam, satisfaciant præcepto audiendi sacrum in die festivo Natalis Domini?

35. Respondeo, satisfacere. Ratio est, quia ex mente Ecclesiæ, seu Pontificis illa Missa pertinet ad diem festum Natalis, unde etiam si nulla alia adesset ratio, certè subesse concessionem Pontificis dicendum erit; neque enim præsumendum est, ipsum velle, ut duas Missas tunc ij fideles ex obligatione

tione audiant, qui tam devotos, & sollicitos in audienda illa prima Missa, se præbuerunt. Immo addo, si in aliqua Provincia usus antiquus similis vigeret, quo media nox præveniretur, idem sentiendum esse, nimirum consuetudinem illam esse servandam, & consequenter per illam anticipatam Missam Ecclesiæ præceptum adimpleri.

36. Sed ecce, hinc datur occasio, aliam dubitationem resolvendi, quam sic propono. Ego nudiustertius volens de æstate iter longum facere, surrexi è lecto, Sacerdotémque oravi, ut (quia erat dies Dominicus) celebraret, me, meisque comitibus præsentibus. Annuit Sacerdos, Missamque celebravit, qua peracta, clarè cognovimus, eam fuisse ante mediam noctem celebratam, satisfecine ego, & comites, & Sacerdos Ecclesiastico præcepto?

37. Respondeo, satisfeciſſe, nec opus auditione alterius sacri, quamvis in promptu vobis fuisset; si, ut refertur, illa auditio prior bona fide habita est. Ad id dicendum, me movet benigna Matris Ecclesiæ pietas; non enim mihi persuadere possum, quòd huic, bona fide operanti, illa imponat obligationem interessendi alteri sacro: bona fide, dico, si mala, nemo hunc liberare, ut ex se constat, ab iterata auditione posset.

Confirmatur allata responsio; nam si ego ex voto obligarer largiri decem v. g. aureos Ecclesiæ S. Francisci, & per inculpatum errorem, eos largitus essem Ecclesiæ S. Petri, non puto, Deum esse adeò rigorosum exactorem, ut velit me alios decem aureos Ecclesiæ S. Francisci conferre: idem certè non esset, si ego ex justitia deberem dare dictos aureos decem Titio, & darem, quamvis bona fide, Gajo; quia in hoc casu remanet in Titio jus justitiæ contra me pro decem aureis sibi debitis, quod jus, ut docemus omnes, est valde rigorosum; at in præcepto de audienda Missa, vel in voto non intercedit jus justitiæ, sed debitum ex virtute obedientiæ, vel religionis, quæ tanti rigoris non sunt, & cum tunc creditor sit benignissimus, ipse non præsumitur extorquere velle iteratam solutionem.

38. Quæres. Sacerdos ille, qui ante mediam noctem, atque adeo non in die Dominico, sed Sabbato Missam illam præproperam celebravit, poteritne legitimè iterum celebrare inhærendo alicui opinioni, quæ putaret, ipsum, quia verè hoc die Dominico non celebravit, jus habere ad celebrandum?

Respondeo. Cùm hæc dubitatio hujus loci non sit, alibi, hoc est, in proprio tractatu de Missa determinabitur, nunc autem tempus est quiescendi, & finem hujus anni laboribus imponendi. Valete.

TRACTATUS II.

DE II. ECCLESIÆ PRÆCEPTO.

HOC EST,

DE SUSCIPIENDO POENITENTIÆ SACRAMENTO.

IN duas partes dividitur hæc Tractatio. Altera explicat ea, quæ pertinent ad pœnitentem, idque fiet à cap 2. usque ad caput 24. priùs enim in cap. primo aliqua pertinentia ad materiam, & formam hujus Sacramenti, præmittere oportebit. Altera explicat ea, quæ pertinent ad Confessarium, id quod fiet à capit. 24. ad finem usque, quo pacto declaratæ satis superque erunt quatuor partes hujus Sacramenti, nimirum Contritio cordis, Oris confessio, Absolutio, & Satisfactio. Nostris conatibus prosperè aspiret Deus.

CAPUT I.

Præmittuntur quædam circa materiam, & formam hujus Sacramenti.

1. CUm omnia Sacramenta constent materia, & forma, præstat hoc initio harum cognitionem de Sacramento Pœnitentiæ breviter afferre.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

2. DIco primò, materiam remotam esse peccata ex S. Thoma 3 p. *quæst.* 84. Non est autem sensus, quasi peccata sint materia ex qua, sed materia, circa quam Sacramentum Pœnitentiæ versatur. Nomine autem peccatorum non intelligimus peccatum originale, quod cùm non sit nostra voluntate contractum, de eo pœnitentiam habere non possumus. Quòd si Sanctus Augustinus libro de vera, & falsa pœnitentia *cap.* 8. ait, nos per totam vitam hujus originalis peccati pœnitentiam agere, sumit nomen pœnitentiæ satis amplè, & sensus est (ut habet S. Thom. *in 4. dist.* 16. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 2.) Nos per totam vitam dolere, quòd in peccato simus concepti, & nati filij iræ

&

& quòd per totam vitam ob causam originalis peccati innumera mala patiamur.

Nec etiam intelligimus peccata actualia ante Baptismum commissa, ut non intelligit Tridentinum *sess. 14. à cap. 1.* Ratio autem est, quia hæc admissa sunt ab ijs, qui extra Ecclesiam sunt; quare Ecclesiæ judicio non subduntur; erunt ergo materia Sacramenti Pœnitentiæ peccata commissa post Baptismum.

3. Quæres, peccatum, quod fortè committit quis in ipso Baptismo, ut si quis adultus accedat ad illum sine ullo dolore de peccatis actualibus antea commissis, vel cum voluntate admittendi aliquod peccatum mortale, quo pacto is dicitur à Theologis accedere ad Baptismum cum fictione, tale, inquam, peccatum estne matetia Sacramenti Pœnitentiæ?

4. Respondeo, esse materiam hujus Sacramenti, atque adeò oportere, illud ad Confessionem deferre. Ratio est, quia hujusmodi peccatum completur ex eo, quòd suscipitur Baptismus sine dolore, vel cum animo peccandi: Ergo priùs intelligitur susceptus Baptismus, & deinde completum peccatum fictionis: ergo erit peccatum commissum post Baptismum, atque adeò materia necessaria confessionis, & practicè quidem, hoc pro certo tenendum est, quia practicè, ut notat de Lugo *de Pœnitentia disp. 26. n. 2.* nemo scire potest suum peccatum durasse solùm toto tempore antecedenti, & non fuisse continuatum post Baptismum. Legantur Suarez, & Vasquez citati ab eodem de Lugo ibidem.

5. Dico secundò, peccata venialia esse quidem materiam idoneam, & sufficientem hujus Sacramenti, non tamen necessariam, cùm ea alijs etiam modis remitti possint ex Trid. *sess. 14. cap. 5.*

6. Eodem modo peccata, à quibus semel quis legitimè est absolutus, sunt materia sufficiens, non autem necessaria. Suarez *disput. 18. de Pœnitentia sect. 1.* alijque passim: quod si dicas, formam hujus Sacramenti, quam mox afferemus, in hoc casu fore falsam, cum non inveniat peccata, à quibus Pœnitens per illam absolvatur, quandoquidem ab illis jam fuit in alia confessione absolutus; Respondeo, nequaquam fore falsam, siquidem sensus formæ est: Confero tibi per absolutionem gratiam Sacramentalem, quæ ordinatur ex se, & vi sua, (si ab indispositione subjecti non impediatur) ad peccata remittenda, & consequenter, qua peccata omnia delerentur, si ea haberes.

7. Dico tertiò, materiam proximam hujus Sacramenti non esse solam oris confessionem, ut Durandus, & Gabriel dixerunt; sed esse tres actus pœnitentis, hoc est, actum contritionis, seu doloris: actum Confessionis, actum satisfactionis. Suarez *loco cit. sect. 3. cum S. Thom.* alijsque; & actus quidem doloris fit sensibilis (ut requiritur ab omni Sacramento) per ipsam oris Confessionem; satisfactio autem est pars, non quidem essentialis, sed integralis, verùm hæc latiùs Theologi,

& videri potest Bellarminus *lib. 7. de pœnit. c. 12.* alijque.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

8. ESt absolutio, quæ ex communi Ecclesiæ consuetudine sic usurpatur.

Dominus noster JESUS Christus te absolvat. Et ego authoritate ipsius, mihi licet indigno commissa, absolvo te, in primis ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges; deinde ego te absolvo à peccatis tuis in NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, Amen.

Passio Domini Nostri JESU Christi, & merita Beatissimæ MARIÆ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.

Aliqui etiam præmittunt illam precationem, *Misereatur tui omnipotens DEUS, & dimissis peccatis tuis, perducat te in vitam æternam, Amen.*

Sicuti alij omittunt illa verba (*mihi licet indigno commissa.*) Illud item verbum (*suspensionis*) apponi non debet, quando absolvitur Laicus, de quâ re vide Cajetanum *v. Absolvo.*

9. Notat autem Sà *v. absolutio n. 1.* in brevibus Confessionibus, ut illorum, qui sæpè confitentur, satis esse dicere solùm: *Ego te absolvo à peccatis tuis in NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, Amen.*

Idem esto in necessitate urgente, mortis periculo, immò etiam in longioribus Confessionibus, quando multi adsunt pœnitentes, quo scilicet ea brevitate longius tempus suppetat Confessionem appetentibus.

10. Hæc est communis praxis. Verùm si inquiramus, quænam verba sint omninò necessaria ad essentiam absolutionis? Dico esse hæc, *absolvo te*, ita Valentia, Suarez, Navarrus, alijque suis in locis, & favet Concilium Florentinum in decreto Eugenij, & Tridentinum *sess. 24. cap. 3.* quatenus dicunt formam esse hanc: *ego te absolvo*, & ratio est, quia hæc duo verba satis significant id, quod per hoc Sacramentum efficitur. Nam sicuti particula (ego) sufficienter ineluditur, seu explicatur in verbo, *Absolvo*, quod est primæ personæ; sic particula (à peccatis) in eodem verbo ineluditur, & explicatur; absolvi enim dicitur, quod est vinculis ligatum, quæ vincula, quòd sint peccata, satis determinatè explicatur ex eo, quòd peccata pœnitens sit confessus.

11. Duo hìc nota; Alterum, dum prædicta Concilia dicunt, formam hujus Sacramenti esse, *ego te absolvo*, non ideò id dicunt, quia illud (*ego*) sit de essentia, expressè prolatum; sed quia voluerunt illud exprimere, quod in usu Ecclesiæ Latinæ usurpatur.

12. Alterum, invocatio Sanctissimæ Trinitatis, licèt in Sacramento Baptismi, & Confirmationis pertineat ad eorum substantiam; non tamen pertinet in Sacramento hoc Pœnitentiæ: Ratio est ipsa Christi Domini institutio;

dio ; Et meritò quia in Baptismo fit professio fidei, & in Confirmatione datur robur ad eandem fidem publicè confitendam ; quare congruum fuit, ut in illarum collatione fieret mentio præcipui mysterij fidei, quæ congruentia non apparet in Sacramento Pœnitentiæ. Immò cùm hoc Sacramentum sit institutum ad modum judicij, & prolationis sententiæ, in quibus non solet apponi ejusmodi invocatio ; meritò in illo non apponitur, nisi ex congruitate. Peccaret tamen venialiter, qui extra necessitatem invocationem prædictam omitteret, quia ageret contra usum communem Ecclesiæ, quamvis non in re gravi.

13. Addamus & alia duo ; Primum, in casu necessitatis, qualis esset V. G. in naufragio, quando plures peterent absolutionem, & ob temporis angustiam non possent absolvi separatim, absolvi sic poterunt. *Ego vos absolvo, &c.*

14. Secundum, non est necesse proferre illud (*ab omnibus*) quia jam unum mortale non absolvitur sine alio, saltem indirectè remisso : & Rituale Romanum in forma absolutionis hanc vocem non habet, ut nec Tridentinum modò allatum.

15. Ab his, quæ hactenus dicta sunt, dissentiunt nonnulli ; quæ dissensio, cum sit Theologica, videatur apud de Lugo *disput. 13. de Pœnitentia n. 60. & deinceps.*

Mutare verba Absolutionis.

16. Dubitabis primò : An valeat absolutio, si fiat mutatio in verbis ? Rursus, an ea mutare liceat ?

Respondeo ad primum, si remaneat idem sensus, sanè valebit, ut si Sacerdos dicat.

Absolutionis Sacramentum tibi confero, vel do : condono tibi peccata tua : absolvo Excellentiam vestram vel Dominationem tuam, &c. Relaxo, libero te à peccatis tuis : Remitto tibi peccata tua.

Notat autem hìc Suarez, & Valentia melius dici (*absolvo te*) quam (*remitto tibi*) quia in verbo, *absolvo*, magis explicitè actus judicij significatur.

Præterea, si detur absolutio sub imperativo modo, vel indicativo passivo, valebit etiam absolutio, si Sacerdos dicat :

Absolvere, penultima correpta ; *Absolvaris : absolutus esto. Remittuntur à me tibi peccata tua*, Ita de Lugo *de Pœnitentia loc. cit.*

17. Denique Scotus *in 4. dist. 54.* ait, valere absolutionem, si Sacerdos proferat aliquo modo ex sequentibus, cum tamen non valere dicat Sotus *in 4. dist. eadem q. 1.*

Jubeo, te absolvi : Placet mihi, te absolvi : mando, præcipio, volo te absolvi. Profectò saltem dubiæ erunt ejusmodi formulæ.

18. Contra verò, absolutio certò non valebit, si detur sub verbis optativi modi, vel sub verbis deprecatorijs, *sic.*

Utinam absolvat te DEUS à peccatis tuis ? Absolutionem peccatorum tribuat tibi DEUS. Oro DEUM, ut te absolvat.

San-

Sanctus Thomas *opusc. 22 c. 1. art. 2.* ait contrariam opinionem esse præsumptuosam, & errori proximam; Et meritò, quia *Joann. 10.* Christus dat Sacerdotibus absolutè potestatem absolvendi, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; instituit enim hoc Sacramentum per modum judicij, in quo sententia non fertur, deprecando: non sic in Sacramento extremæ unctionis, quia hoc institutum est sub verbis deprecatorijs *Jacobi 5.* ubi dicitur, *Inducant Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, &c.*

19. Jam verò, quoad licitum usum dico, semper graviter peccari, si ita mutetur forma, ut invalidum reddatur Sacramentum, vel reddatur dubium, quia tunc peccatur contra reverentiam Sacramenti, illud irritum reddendo, & contra pœnitentem, de gratia Sacramenti illum defraudando. Quando autem ita mutatur, ut non reddatur invalidum, peccabitur ex eo capite, quia receditur ab usu, & praxi Ecclesiæ in re gravi; nisi fortè tam modica esset mutatio, & parum pro nihilo reputaretur, veluti esset omittere illud (*Ego.*)

Absolvere sub conditione.

20. Dubitabis secundò. An absolutio possit sub conditione conferri?

Respondeo, & dico primò. Absolutionem datam sub quacunque conditione in futurum pendente, non valere: ut si Sacerdos dicat: *Absolvo te, si sacram imaginem Drepanitanæ Virginis inviseris, vel si furto ablata restitueris, vel si tuus superior ratam habuerit hanc absolutionem*, ita Cajetanus, *v. absolvo*, & passim Theologi. Ratio est, quia Sacramenta non differunt effectus suos in futurum, sed statim illos conferunt; siquidem ex institutione Christi, statim ac Sacramentum existit, gratiam parit, ut latiùs explicant Theologi; multo magis id dicendum est in Sacramento Pœnitentiæ, in quo semper esset periculum illud frustrandi, si adveniente conditione, Pœnitens inveniretur indispositus ad gratiam consequendam.

21. Dico secundo, valere absolutionem datam sub conditione de re præsenti, vel de re præterita, quæ supponatur jam antea præextitisse; ut si Sacerdos dicat: *Absolvo te, si tuorum peccatorum dolorem habes, vel habuisti; si animum habes restituendi, vel restituisti*, immo etiam si per magnam imprudentiam dicat: *Ego te absolvo, si hoc mane ortus est sol.* Ratio est, quia sic certum efficitur Sacramentum; verùm valdè notandum est, Sacerdotem nunquam debere sic absolvere; sed priùs interroget pœnitentem, an dolorem habuerit, vel habeat? An restituere velit? &c. Postea absolutè absolvat, sic enim requirit forma Judicij, ad cujus normam institutum est hoc Sacramentum. Cajetanus *ibid.*

22. Dico tertio, licitè conferri absolutionem sub conditione in sequentibus casibus.

Primo. Quando Sacerdos dubitat, an is, cujus confessionem audit, sit rationis compos, ut si audiat Confessionem pueri, vel semistatui: potest enim tunc dicere: *te absolvo, &c.* si usum ra-

rationis habes, ita Medina *de instruct. Sacerdotum lib. 2. cap. 12.* ubi notat hujusmodi conditiones meliùs esse mente adjicere, quàm voce proferre.

23. Secundò, licita etiam erit absolutio, quando, omnibus expensis, dubitat Sacerdos, an sint peccata ea, quæ pœnitens confessus est; potest enim dicere *absolvo te &c. si ea quæ audivi, sunt peccata* Medina *ibidem.*

Hic siste, lector, & habe hujus rei distinctiorem notitiam: Doctores nonnulli cum Suarez *d. 28. de Pœnit. sect. 1. n. 13.* advertunt, si quis ad Confessionem affert sola peccata dubia, debere eum moneri, ut addat aliquod peccatum certum aliàs confessum, ut nimirum certa conferatur absolutio: quòd si certum inveniri nequeat, tunc absolvi poterit sub conditione, modo dicto; si tamen prudenter judicet Confessarius, ita consuli saluti Pœnitentis.

Universaliùs autem, & expeditiùs sic habet Merolla *tom. 1. d. 3. n. 259. Quamvis optimum Consilium sit, si confitens materiam dubiam: adjungat, aliquod certum, alias confessum; tamen consilium id est, nec videtur præceptum: quia præcepta non sunt facilè multiplicanda sine cogente fundamento; nullibi enim tale præceptum invenitur impositum, neque injuria fit Sacramento, quia verè non exponitur periculo irritationis: non enim forma absolutionis tunc cadit supra materiam non sufficientem, sed tantùm conditionaliter, si adest materia: conditio autem nihil ponit in esse; Adde quod teneretur quis plures idem peccatum confiteri, quod nullo jure probatur.* Hæc Merolla.

24. Tertiò; licita etiam erit absolutio sub conditione, quando Confessor audivit jam Confessionem, & dubitat propter aliquam animi v. g. distractionem, an absolutionem contulerit pœnitenti. Tunc enim potest dicere: *Ego absolvo te, &c.* mente intelligendo, *si te prius non absolvi.* Cajetanus *loc cit.*

25. Quartò; licita etiam erit absolutio sub conditione, in mente, ut dictum est, retenta, in casu proximè moriturus, qui sit ratione destitutus, nempè sic dicendo: *Ego te absolvo, &c. si es benè dispositus.*

Id quod distinctiùs explicabimus infra cum de communione *cap. 7. n. 20. & c 16. n. 13.*

Forma absolutionis ab excommunicatione.

26. Dubitabis tertiò per hanc occasionem, quibusnam verbis conferenda sit excommunicationis absolutio pro foro conscientiæ, quam scimus semper necessariò dandam esse ante absolutionem à peccatis? ut habes apud Suarium *de censuris disp. 10. sect. 3. n. 19.*

Respondeo, Absolutio à peccatis, quia est pars Sacramenti, non potest mutari ab ea, quam nuper attulimus, cum sit instituta à Christo Domino; absolutio autem ab excommunicatione, & cæteris censuris (quia non sunt peccata, sed pœnæ peccatis impositæ) potest conferri quibuscumque verbis, per quæ absolvens explicet, se velle tollere excommunicationem.

27. Consueta tamen forma pro foro conscientiæ (nam pro foro externo, lege Bonacinam *disp. 1. de cens. quæst. 3 p. ult.*) est hujusmodi.

Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam propter hanc, vel illam causam, v. g. ob percussionem Clerici incurristi, teque restituo Sacramentis Ecclesiæ, & communicationi fidelium; deinde te absolvo à peccatis, &c.

Hæc tamen expressio causæ certè omninò necessaria non est, quare in rigore satis erit dicere: *Ego te absolvo ab excommunicatione, quam incurristi; seu quam habes, deinde te absolvo à peccatis, &c.*

28. Notat item Avila *p. 2. cap. 7. disp. 3. dub 3.* in foro Sacramenti pœnitentiæ non esse regulariter omittendam formulam illam universalem, modò *n.* 8. dictam: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges, &c.* non esse, inquam, omittendam, etiamsi pœnitens nullam censuram fateatur à se contractam, fortasse enim pœnitens laborat aliqua censura, cujus oblitus est, & cujus Confessor habet potestatem absolvendi.

29. Propter imminentem mortem excommunicati, qui petit absolutionem excommunicationis cum debita dispositione, ut semper supponendum est, & cum satisfactione partis, si quæ sit necessaria, satis erit breviter dicere: *Absolvo te à censuris, & à peccatis in Nomine Patris, &c.* Pro dicta satisfactione videri potest de Lugo *disp. 16. de Pœnit. à n. 625.*

30. Quid, si quis in dicto, vel simili casu solùm sic proferat, *Absolvo te à peccatis tuis*, remanebit ne pœnitens absolutus ab excommunicatione, qua laborat?

31. Respondeo. Licet is peccaret graviter, si scienter (nam bona fides excusaret à peccato) sic proferret, intendendo priùs absolvere à peccatis, & deinde ab excommunicatione, nam ligato excommunicationis vinculo conferretur peccatorum absolutio, quod graviter prohibetur, ut modo innuimus *num. 26.* quia Ecclesia repellit excommunicatum à participatione Sacramentorum; unde debet Confessarius prius curare, ut pœnitens sit ab excommunicatione liber, & deinde absolutionem peccatorum impertiri, tamen validè, in probabilissima opinione, & excommunicationem, & peccata absolveret (posito quòd potestate absolvendi ab utrisque polleat) illud enim *absolvo* potest significare absolutionem tum à peccatis, tum à pœnis propter peccata contractis semper nihilominus tutius est exprimere sic expresse: *Absolvo te ab excommunicatione* (intellige, quam absolvere potes) *& à peccatis tuis, &c.* lege Suarez *de Censur. disp. citat. sect. 2. &* Dianam *p. 3. tract. 9. resol. 31.*

CA-

CAPUT II.

De ijs, quæ pertinent ad Pœnitentem.

De ijs, quæ ad eundem pertinent ante Confessionem.

Examen.

1. ACceſſurus ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſe prius præparare debet fidelis per examen conſcientiæ, quo in amaritudine animi, omnia ſua peccata, quæ Confeſſori propalare debet, recognoſcat. Quale autem hoc eſſe oporteat, habe ex de Lugo *diſp. 16. de Pœnit. n. 589.*

Pœnitens obligatur tantùm ad examen humanum, non verò ad exactiſſimum; hoc eſt, obligatur ad tale, quo Sacramentum hoc non reddatur nimis grave, & oneroſum, nec eſt bona conſequentia: ſi plus hic ſe examinaret, plus inveniret; Ergo ad hoc obligatur; non eſt, inquam, bona conſequentia, quia non eſt attendendum ad exactam, & integram confeſſionem peccatorum, ſed etiam permaximè, ne Sacramentum ex hoc capite reddatur nimis oneroſum, & grave. Hæc ille.

2. Et paulò poſt loquens, qua ratione Confeſſarius debeat pœnitentem interrogare de peccatis, hæc habet in ſumma: *Circa hujuſmodi examen, humanáſque interrogationes non poteſt dari una & eadem regula pro omnibus; pendet enim ex capacitate, & diſpoſitione corporali, aliiſque circumſtantijs: quare pauciores, & craſſiores interrogationes debent fieri homini inculto, & barbaro, qualis ſunt Indi Occidentales, quàm alteri Europæi; pleniùs item examinandus eſt Ruſticus, vel qui graviter ægrotat, vel qui plura habet peccata, vel qui confeſſionem multorum annorum facit, quàm homo civilis, vel homo ſanus, aut qui pauciora habet peccata, vel unius, aut alterius hebdomadæ confeſſionem facit: Et ratio eſt, quia ſecus redderetur confeſſio oneroſa, & nimis gravis pro dictis prioribus pœnitentibus, quæ talis non redderetur pro poſterioribus: & hæc eſt ratio, cur à Meretrice, & Concubinario, & ſimilibus minus exactè, & diſtinctè petamus numerum peccatorum quàm ſi per menſem, vel per hebdomadam ſolam v. g. in eo peccato fuiſſet (de qua tamen re clariùs dicemus infra cap. 14 à num. 30.) quia nimirum diligentia, quæ pro peccatis unius hebdomadæ diſtinctè confitendis ſufficeret, ea, ſi pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem talem & moleſtiam ingereret; quæ redderet oneroſam nimis confeſſionem.* Hæc ex de Lugo.

3. Illud denique benè habent Doctores, quia obligatio ad examen eſt humana, & moralis; ideò illud examen peccatorum eſt neceſſarium, & ſufficiens, quod faceret quis in aliquo negotio ſuo gravi, v. g. quod faceret diligens operarius in rebus ſuis expendendis, & componendis, quale homines adhibent ad evitandos morbos corporales, nempè prudens, & non nimium; de hoc recurret iterum ſermo *c. 26. n. 7. & 8.*

4. Quæres, obligatúrne pœnitens, ut peccatorum ſuorum memoriam retineat, illa ſibi ſcripto annotare?

Respondeo. Certè id laudabile est, ne ex inadvertentia taceatur aliquod peccatum; tamen neminem ad id obligari, puto cum Decastillo. *de pœnitentia disp. 6. dub. 12. num. 244.* Ratio est, tum quia Scriptura est ex se patens, tum quia sicuti non est peccatum omittere confiteri aliquod propter oblivionem; ita neque est peccatum impedire omissionem oblivionem, lege Suarium *d. 27. de pœnitentia sect. 3. &* Sotum *in 4 d. 16. q. 2. art. 4.* Qui Sotus addit, non esse suadendum, peccata scribere: sed ab hoc Soti dicto multi meritò dissentiunt; fatentur tamen, quamvis sit laudabile, peccata scribere, per hoc nihilominus non esse dandam occasionem scrupulis. Nam nimia diligentia (ait Dicastillo *de pœnitentia c. 17. n. 39*) in perscrutando numero peccatorum est peccatum veniale, quia in omni virtute morali peccatur, non solùm per defectum, sed etiam per excessum. Hæc ille.

Quare, sit, nec ne consulendum peccata scribere, magna opus est discretione; nam aliquando ea scribere, occasio est alicui fovendi scrupulos, & huic non est id consilij dandum, sed aliquando pro eo, qui facilè sibi persuadet, non omnia peccata se patefeciſſe, est aptum remedium, ea scribere, ut scilicet ex adnotatis deinde noscat, se jam illa fuisse confessum.

Cordis Dolor.

5. Quamvis doloris actus necessarius pro Sacramento Pœnitentiæ elici possit in ipsa confessione, sed necessariò, ut mox dicemus, ante absolutionem; tamen quia solet cum majore securitate elici antea, ideo de illo hîc, quasi in suo loco agendum est.

Præmittitur, quid sit contritio, quid sit attritio?

6. Contritio est animi dolor, seu detestatio de peccato contra Deum commisso, idque propter Deum ipsum, cum proposito non amplius peccandi; contritio igitur formaliter dicit odium, & detestationem peccati, ex qua oritur tristitia, & dolor: sicuti ex amore, quando objectum est præsens, nascitur gaudium: tunc autem verè quis detestatur peccatum, quando actu quocunque sive intenso, sive remisso, quodlibet potiùs malum eligeret, quàm peccatum; quod alij dicunt, tunc verè hominem detestari peccatum, quando dolet de eo magis appretiativè, quàm de alio quocunque malo; non verò quasi necesse sit magis sensibiliter; nam homo magis sensibiliter dolet de amissione pecuniæ, & tamen quia appretiat magis filium v. g vel gratiam Dei, quàm pecuniam, dicitur amare magis filium, vel Deum, quàm pecuniam.

7. Attritio autem est dolor, & detestatio de peccato contra Dei voluntatem commissio cum prædicto proposito, idque vel primò propter metum gehennæ, vel secundò propter amissionem gloriæ, vel tertiò propter peccati turpitudinem: unde colligis, contritionem oriri ex amore Dei super omnia, & ex timore filiali; attritionem ex timore servili.

Præter prædicta tria attritionis motiva, est etiam quartum, id est metus ma-

li

li temporalis; sed diligenter est advertenda necessaria distinctio, si enim execraberis peccatum propter metum temporalis mali, v. g. carceris, infamiæ, ægritudinis, vel similium, & nihil addas præterea; non habebis dolorem sufficientem pro Sacramento, si quidem ejusmodi actus non excedit dolorem naturalem; sed si execraberis ob metum talium malorum, quæ propter peccata inflicta, vel infligenda sint à Deo, tunc enimverò sufficienti dolore eris instructus: quia illud (à Deo) ostendit te affici dolore supernaturali; quam supernaturalitatem supponunt, seu cognoscunt communiter Theologi, quando ejusmodi actus eliciuntur à fidelibus supernaturali habitu fidei per Baptismum exornatis.

8. Quæres: dictum propositum de non ampliùs peccando, debéne exprimi in contritione, vel attritione? An satis sit involvi implicitè in ipsa detestatione?

9. Respondeo: multi Doctores requirunt, debere necessariò exprimi: alij tamen cum Bonacina *de Pœnitentia disp. 5. sect. 5. num.* 8. satis probabiliter ajunt, satis esse illud propositum, quod impliciter involvitur in ipsa detestatione, seu displicentia: is enim, cui verè displicet peccatum, implicitè intendit non ampliùs peccare; nemo enim vult facere illud, quod ipsi eidem displicet.

10. Illa tamen animadversio est hìc perneccssaria: nam quando dolor est ex motivo turpitudinis peculiaris, quæ sit in aliquo peccato v. g. quæ est in peccato luxuriæ, non satis est propositum implicitum, quod includitur in illo dolore, sed in hoc casu addendum est propositum explicitum universale non ampliùs peccandi; ratio est, quia pro Confessione Sacramentali requiritur, ut fidelis proponat, se nolle deinceps illud nec aliud peccatũ admittere; at in dolore de peccato ex peculiari dicto motivo non includitur propositum non admittendi ullum aliud peccatum. Qui enim dolet, se peccâsse ex motivo turpitudinis v. gr. luxuriæ, non habet propositũm non peccandi in alia actione, in qua talis turpitudo non invenitur v. g. in occisione sui inimici: tunc ergo vel addatur explicitum propositum non committendi alia ulla peccata, vel quod erit faciliùs, doleat ex motivo universali, quale est motivum ex ipsa offensa Dei, vel ex timore gehennæ, vel amoris Gloriæ.

11. Si iterum quæras, an sicuti sufficit pro Confessione dolor solus, abstrahendo à proposito, quando motivum est universale; sic satis sit propositum non amplius peccandi, abstrahendo à dolore, seu quod idem est, sine explicito dolore?

Respondeo, non esse satis; ratio est manifesta, quia in proposito de futuro non includitur odium præteriti; posset enim quis sic dicere: nolo in futurum peccare, placet tamen mihi antea peccasse: at in dolore verò id non accidit; qui enim verè dolet de aliquo præterito malo, implicitè vult se cavere in futurum.

12. Denique notat hìc rectè Sylvester *v. Confessio p. q. 21.* te posse absolutè, & sufficienter pro Confessione

Proponere, non peccaturum, quamvis timeas, vel etiam tibi certò persuadeas, te propter fragilitatem tuam iterum peccaturum; Ratio est, quia velle, & proponere est actus voluntatis, at existimare, te relapsurum, est actus intellectus.

Praxis actus contritionis.

13. ACtus contritionis est hic apud Fagund. *præcepto Ecclesiæ 2. lib. 2. c. 3. n. 15.*

De peccato, quia est Dei offensa, & injuria, supra id, quod me pœnitere potest, pœnitet, & propono cum divina gratia, me amplius mortaliter non peccaturum.

Vel. Pœnitet me intimè de peccatis meis propter Deum, quem summè diligo, emendationémque propono in futurum.

Suarez *d. 4. de Pœnit. sect. 2. n. 14.* sic format actum contritionis. Pœnitet me intimè de peccatis propter Deum, & de cætero emendationem propono in futurum.

Idem *ibid. disp. 3. sect. 11.* cum Theologis advertit, detestationem, quam contritio dicit, debere esse supra omne malum non formaliter, seu explicitè comparando peccatum cum malis, sed solùm virtualiter, ex vi scilicet excellentissimi motivi, quod in casu nostro est bonitas Dei à nobis offensa; in hoc enim motivo includitur votum fugiendi peccatum supra omnia alia mala.

Gobat in Alphabeto communicantium *casu 15. n. 255.* sic habet. Pœnitentes communiter benè sic dicunt: Domine Deus, doleo de omnibus peccatis, quibus te offendi: vel doleo, quòd te Deum summum bonum offenderim.

Praxis actus attritionis.

ACtus attritionis apud eundem Fagund. *loco cit.* hic est. Pœnitet me de meis peccatis, quia propter illa Deus beatitudine me privare potest, vel multis malis sive temporalibus, sive æternis affligere; vel quia per illa coram Dei oculis anima mea deturpatur, & insuper propono emendationem in futurum.

Vel. Propter bona, quibus Deus me privare potest, vel mala, quibus me potest torquere, displicet mihi peccasse.

14. Hîc quæret aliquis, cur in aliqua ex prædictis formulis fiat mentio actus amoris, seu dilectionis DEI, in aliqua non item; quæret, inquam, an in actu Contritionis necessarius sit actus amoris DEI summè dilecti?

Respondeo. Quamvis perfectiùs sit addere actualem amorem, seu dilectionem DEI, tamen necessarius non est, cum sufficiat virtualis amoris actus inclusus in ipsa detestatione peccati. Probatur, quia dicente solùm David (*Peccavi Domino*) quæ verba significant solùm detestationem peccati, statim subditur (*Dominus quoque transtulit peccatum tuum*) ergo sufficit detestatio, in qua inest virtualiter charitas: tacitum enim, & expressum, ve sivirtuale, & formale parificantur; eò etiam magis, quia in Trid. *sess. 14. c. 4.* ubi de contritione agitur, nulla fi mentio actus amoris.

Illud

Illud hìc addo libenter, quòd quamvis certò in hac vita nesciamus, an veram contritionem eliciamus, sic enim sciremus nos esse certò in gratia, contra illud Ecclesiastici (*nemo scit odio, an amore dignus sit*) tamen de hoc aliquæ probabilitates dantur, inter quas illa est, præcipua; si quis paratus sit realiter mori potiùs, quàm peccare mortaliter, ut docet Sylvester *v. Contritio n.* 3. Navarr. *in Manuali c.* 1. *n.* 6. & Sà *v. Contritio n.* 3. alijque &c.

15. Ex dictis collige, rectè Theologos apud Præpositum *de Pœnit. dub.* 3. *n.* 3. notare, siquis doleat, se non dolere de peccatis, eum non esse sufficienter dispositum pro Confessione; quia pro hac requiritur dolor de peccatis, non verò dolor de carentia doloris; in timoratis tamen conscientijs non habentibus ullum actualem affectum ad peccatum, dolere, quòd non doleant, vel optare se dolere; satis esse, notat Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 4. *n.* 5. ejusmodi enim animi motus est in his signum veri doloris.

16. Simili modo actus amoris Dei solus sine dolore, seu detestatione peccati non est pro Confessione sufficiens, quia Concilium Tridentinum pro parte hujus Sacramenti requirit dolorem, seu detestationem; licèt dictus amoris actus sit sufficiens ex probabilissima opinione ad justificandum peccatorem, extra Confessionem; non tamen intra illam propter rationem dictam, lege Suarium *disp.* 5. *de Pœnit. sect* 4. *n.* 5. Quoniam verò fieri moraliter non potest actu amantem DEUM, si suorum peccatorum recordetur, illa non detestari; ideò, si quis in suis confessionibus actum dictum amoris dumtaxat adhibuit, non debet esse sollicitus de validitate suarum Confessionum; quia practicè judicandum est, habuisse etiam dolorem, ita Coninc. *disp.* 2. *num.* 51. *&. seqq.*

His ita breviter explicatis, sunt nunc pro praxi quatuor dubitationes enodandæ.

Prima dubitatio:

Tempus eliciendi doloris actum.

17. CUm ego debeam hodie, vel cras, vel postridie v. g. confessionem peragere, tripliciter dubito de tempore, quo illum elicere debeam. Primò, si dolorem hoc manè v. g. eliciam sine intentione, seu sine memoria confitendi; deinde mihi volenti confiteri eodem die, satisne est dolor peractus, quamvis habitus non ex intentione confitendi? Secundò: an sit necesse, illum elicere, antequam incipiam peccata manifestare Confessario? An verò sufficiat, si peccatis manifestatis, doleam de illis ante absolutionem? Tertiò: An dolor habitus heri, vel nudiustertius, vel etiam antea sufficiat?

18. Respondeo ad primum; satis esse, ita de Lugo *disp.* 14. *de Pœnitent. sect.* 4. nam hæc duo, quia volo confiteri, doleo; & quia dolui: volo confiteri; æquivalentia sunt; vide tamen omninò, quæ in hanc rem dicam *n.* 29. necesse tamen est, ut in hoc secundo mo-

modo dolorem non retractaverim, de qua retractatione mox *an.* 21.

19. Ad secundum respondeo, sufficere; ejusmodi enim confessio satis est, & denominatur dolorosa, sive ab actu doloris antecedente, sive ab immediatè consequente, sed ante absolutionem; quæ, quia perficit hoc Sacramentum, debet cadere in confessionem dolorosam, tanquam in suam proximam materiam, & de facto cadit in utroque prædicto modo.

20. Ad tertium respondeo sufficere non modò, dolorem exhibitum, hoc manè, vel heri, verùm etiam ante duos, vel tres dies, dummodò adsint duæ conditiones.

Prima est quod is dolor non fuerit à te retractatus, quia retractatio tollit moraliter actum jam antea factum, & consequenter confitereris tunc sine dolore.

21. Revocatur autem actus doloris, vel per actum contrarium, idest, per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud novum peccatum mortale.

22. Quid si quis primò, volens confiteri peccata mortalia, & simul non pauca venialia, de his doleat ex motivo universali, idest, v. g. quia sunt DEI offensa: sed deinde antequam accedat ad Confessionem, peccet uno, vel altero veniali, præsumiturne, per hoc veniale commissum, revocasse dolorem illum antecedentem? Nam per novum mortale, jam diximus omninò revocari.

Secundò quid, si quis doleat ex eodem motivo, se commisisse multa venialia, deinde verò incidat in unum, vel alterum veniale?

23. Respondeo ad primum, non præsumi, dolorem retractasse, nam committere veniale, non est revocare dolorem de mortali, cum possit culpa venialis esse simul cum gratia, & DEI amicitia, & consequenter veniale potest consistere simul cum dolore de mortali.

Ad secundum eodem modo esse respondendum, probabilissimum est; quia unum veniale non revocat dolorem de multis venialibus, quæ solent esse, vel diversæ speciei moralis, vel graviora; ita de Lugo *loc. cit. de Pœn. n.* 145. & 147. alijque apud Dianam *p.* 1. *tract.* 5. *res.* 25.

Dixi (de multis venialibus) nam si dolor fuit de uno peccato, quod solum Confessioni subdere intendebas, v. g. de mendacio officioso, si deinde incidas in simile aliud officiosum mendacium, tunc certè revocabis dolorem præhabitum; quia sic non remaneret inde dolor de mendacio, si mendacium commisisti. Sic discurre in simili.

24. Altera conditio, quæ requiritur, ut cum præterito dolore semel peracto, & non revocato accedas legitimè ad Confessionem cum novo dolore, illa est, ut dolor præteritus non sit tam distans à Confessione, ut hæc non faciat moraliter unum, cum præhabito dolore, si enim quis ritè doluit de mendacio v. g. abhinc duobus, vel tribus annis, & ejusmodi dolore, quamvis non revocato, velit uti hodie ad illud mendacium confitendum, non videtur hæc confessio cum illo dolore facere

facere unum moraliter pro Sacramento Pœnitentiæ; non ita si doluisti heri, vel nudiustertius, quia parva hæc distantia non impedit moralem dictam unitatem in hoc Sacramento, quod requirit conjunctionem formæ cum sua materia; sed, quia est per modum judicij, non requirit illam conjunctionem adeò rigorosè sicuti quædam alia Sacramenta.

25. Hæc est Doctrina tuta, & secura; nihilominus aliqui innixi forsan super hac ipsa forma judicij, quæ non exposcit unitatem, seu propinquitatem inter sententiam, & Confessionem rei, ajunt, sufficere ad validam Confessionem Sacramentalem illum dolorem, qui per quodcunque temporis longi spatium præcedit confessionem, modò ubi semel est habitus, nec expressè, nec implicitè fuerit retractatus. Ita Leand. *de Sacrament. tom. 1. tractat. 5. disput. 7 quæst. 6.* & apud Dianam *part. 9. tract 9 resol. 51.* ita etiam Escobar in Theologia morali *tom. 2. lib. 14. sect. 52 probl. 24. num. 123.* Addo tamen ego difficillimum esse creditu, quòd non fuerit in tempore dolor, præsertim de venialibus, (nam facilius credi potest de mortalibus) retractatus, quia in venialia septies cadit justus; difficillimum ergo est, ne dicam impossibile; nam propterea consilium sanum erit, ut quantò proximius ad Confessionem potes tuum dolorem exhibeas.

Secunda dubitatio:

Novus dolor in iterata confessione.

26. Diximus supra, eadem peccata semel per absolutionem Sacramentalem remissa, posse iterum in alia confessione ritè absolvi: jam ergo dubito, an id ritè fiat sine novo actu doloris, sed cum illo tantùm, cum quo collata fuit prior absolutio, posito semper, (ut certè debet, semper supponi) quod dolor ille retractatus non fuerit?

27. Respondeo. Quamvis sciam aliquos apud Dianam *p. 15. tract. 16. resol. 39.* requirere omninò novum dolorem; ajo tamen, esse probabilissimum, sufficere dolorem priorem; satis enim est pro Sacramento hoc, ut repetantur illæ duæ partes sensibiles, nempè confessio, & absolutio; repetita siquidem confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor præcedentis confessionis, posito, quòd non fuit retractatus: quo pacto dicitur perseverare moraliter. Ita Diana *loco citat.* citans cum alijs de Lugo, & Leandrum *de Sacram. tract. 5. disp. 7. quæst 4.*

Qui Leander rectè addit, ex hac probabili sententia posse Confessarios, sedare multos scrupulos, præsertim eorum, qui confitentur de peccatis venialibus ordinarijs, & cum illis de aliquo peccato mortali, aliàs confesso, & absoluto: nam tunc in ejusmodi nova confessione non tenentur elicere novum actum doloris.

Addo ego, hanc eandem doctrinam usui esse posse pro ijs eventibus, in quibus post collatam absolutionem Pœnitens aliqua peccata, quæ oblitus erat, manifestat, sive immediatè post, sive post aliquod tempus, neque enim est necesse repetere dolorem, si dolor fuit conceptus ex motivo universali (juxta superiùs explicata) & non revocatus. Lege Januarium *p. 1. resp.* 30.

28. Inquires, quanto tempore, potest antiquus dolor, quo semel quis confessionem peregit, si non revocatus, inservire pro alia confessione?

Respondeo, illud tempus sufficere, quod diximus *n.* 24. hoc est, ut antiquus ille dolor non sit ita tempore disjunctus ab hac confessione, ut non faciat unum moraliter cum illa. Ita de Lugo *de Pœnitent. disp.* 14 *sect.* 2. sed quia dicto *n.* 24. nonnulli docuerunt, quamcunque distantiam sufficere; modò non sit dolor ille retractatus; ideò idem hìc propter identitatem rationis affirmat.

29. Inquires iterum, si quis oblitus doloris habiti nudiustertius v. g. in sua Confessione (idem dic si extra) confiteatur, sufficienterne est dispositus?

Respondeo, mihi videtur non sufficienter; quia ille antecedens, quamvis non retractatus dolor, propter oblivionem nullo modo relatus ad præsentem confessionem; non potest unum moraliter facere cum ipsa. Debet igitur, ut docui *n.* 18. Pœnitens referre dolorem illum ad actum hujus confessionis, seu illo uti pro hac confessione, mente v. g. dicendo, quia tunc dolui, nunc confiteri volo, ut scilicet aliquo tandem modo motus ab illo præcedente dolore accedat ad confessionem hanc, ita loquitur de Lugo *loc. cit. n. præc.* 50.

Neque dicas; si immemor ego, quòd ante dies tres v. g. volui restituere centum meo creditori, si nunc solvo immemor illius voluntatis, satis superque obligationi meæ satisfacio: ergo similiter in casu nostro; nè dicas, inquam, nam ideò sic satisfacis creditori, quia, dum ipse habet à me sua centum, aufertur materia meæ obligationis; quod certè non est in casu nostro, in quo obligor pro materia ponere confessionem junctam saltem moraliter, cum dolore.

Tertia dubitatio:

Dolor pro venialibus.

30. AN in confessione pro solis venialibus de novo commissis (idem quæritur de mortalibus aliàs absolutis abstrahendo à doctrina *à n. 26.* allata) an, inquam, requiratur dolor, & propositum, sicuti requiri, dictum est pro peccatis mortalibus nunquam absolutis? Dicamus priùs de dolore, mox de proposito.

Et quidem absolutè loquendo, etiam pro Confessione venialium requiritur suus dolor conceptus ex aliquo motivo, ex supradictis *n.* 5. & deinceps; quia etiam tunc debet adesse confessio dolorosa, quæ est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ.

31. Sunt notandæ considerationes nonnullæ. Prima: Sufficit, si de uno,

no, vel altero veniali doleas, quamvis non doleas de alijs, sive hæc alia in confessione patefacias, sive taceas (tacere enim potes, quia nemo obligatur confiteri venialia juxta superiùs dicta) & ratio est, quia unum veniale potest remitti sine alio, & consequenter dispositio Pœnitentis ad remissionem unius sufficit sine dispositione ad remissionem alterius: nota tamen, quòd quando hæc alia manifestas, de quibus non doles, sensus tuus saltem implicitus esse debet: ut ea, de quibus doles, absolutioni subdas, alia autem enarres, sive ob devotionem, sive ob alium finem, & sic semper præsumuntur fideles velle; nam iterum subdere absolutioni peccata, quamvis venialia sine ullo dolore, esset velle frustrari Sacramentum, quod ex communi opinione esset sacrilegium, dico (ex communi opinione) nam, quid alij quidam sentiant, innuam infra *n.* 48.

32. Secunda consideratio, si quis nova venialia confiteatur, & simul aliquod mortale, sive aliàs absolutum, sive nequaquam, doleat autem de mortali, non verò de dictis venialibus, sufficienter est dispositus pro hoc Sacramento, quia absolutio cadit supra mortale, ejusque remissionem, quæ est independens à remissione venialium, cum quibus venialibus potest consistere gratia, & amicitia DEI, ut dictum sæpè est, non sic si confitens multa mortalia doleret de aliquo, & non de omnibus, non sic, inquam, quia remissiones mortalium non sunt divisibiles, & gratia DEI non potest consistere, vel cum unico mortali; ideò enim necessario dolor esse de omnibus debet.

33. Tertia consideratio, si quis fateatur mortalia, & venialia, doleat autem solùm de venialibus, non est dispositus ad Sacramentum, unde nec reciperet validè absolutionem, & peccaret mortaliter; quia non remittit DEUS veniale in eo, in quo est peccatum mortale, atque adeò in eo, qui est ejusdem DEI inimicus: quare sic irritum redderetur Sacramentum.

34. Quarta consideratio, si quis fateatur solùm unum veniale unius speciei, unum v. g. mendacium, posset aliàs quando benè esse dispositus, licèt non habeat dolorem, immò habeat complacentiam ad aliud mendacium ejusdem speciei: explico, in peccatis venialibus individualibus ejusdem speciei potest esse unum gravius altero, ob quam majorem gravitatem pœnitens doleat de illo, quem dolorem non habeat de minus gravi; mendacium v. gr. sine damno ullo proximi est peccatum veniale minus grave, quàm mendacium cum levi damno ejusdem: sicuti etiam furtum unius oboli, præscindendo ab alio ulteriori damno, est veniale minùs grave, quàm furtum decem obolorum, & sic in similibus. Potest igitur in dictis casibus pœnitens dolere de graviore, non verò de minus gravi, & sic bene erit dispositus; nam potest remitti culpa gravioris venialis, remanente culpa venialis minus gravi, quod certè fieri nequit, quando sunt æqualis gravitatis. Relege *supr n.* 23.

35. Quinta consideratio, si quis afferat ad Confessionem dolorem suorum

venialium, qui cadat super frequentiam sic v. g. *Confiteor, &c. & doleo de multitudine, & frequentia meorum mendaciorum, vel de frequentia mei excessus in comedendo, propositum habeo, illam frequentiam vitandi*: si quis, inquam, sic afferat, sufficienter est dispositus; Ratio est, quia hoc jam est habere voluntatem diminuendi peccata venialia, quæ est sufficiens dispositio, ut notat de Lugo *de Pœnitent. disp. 14. num. 135.* lege etiam Pellizarium apud Dianam *p. 11. tr. 5. res. 23.*

Propositum in Confessione venialium.

36. JAm verò quoad propositum dico etiam in Confessione venialium requiri propositum ea vitandi, sicuti requiri, diximus num. 30. eorundem dolorem; sed est advertendum, ad vitanda mortalia, debere esse propositum tale, ut includat voluntatem declinandi omnes occasiones mortaliter peccandi proximas; at verò de vitanda venialia id non requiri, quia declinare omnes occasiones peccandi venialiter, esset velle exire ab hoc mundo, in quo ejusmodi occasiones vitari non possunt.

Atque hinc fit, ut faciliùs absolvamus afferentes sæpissimè ad Confessionem eadem venialia, quia id non est signum, quòd pro iis caruerint debito dolore; sed quòd frequentissimæ fuerint labendi occasiones; quæ excusatio non est in mortalibus, ita Laym. *tract. de Pœnit. cap. 4. num. 19.* Coninch. *de Pœnit. disp. 2. n 4.*

Præterea est advertendum, propositum mortalium debere esse de omnibus iis vitandis; at de venialibus, satis est de aliquibus, modo tamen prædicto de eorundem dolore.

Quarta dubitatio:

De dolore virtuali pro venialibus.

37. AN sufficiat pro venialium confessione dolor virtualis?

Respondeo. Et quidem sciendum est, dolorem alium esse Formalem, alium Virtualem: Formalis est ipse actus doloris explicitè factus; Virtualis est aliquis actus bonus, in quo sit inclusus, seu implicitus hujusmodi dolor: in materia v. g. de qua agimus, actus voluntatis, quo quis desiderat recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ejúsque gratiam Sacramentalem, si careat complacentia peccati venialis, quod confitetur, dicitur habere, & verè habet implicitè in se detestationem, seu dolorem illius venialis; hunc ergo dolorem virtualem appellamus.

38. Certum ergo est, pro Confessione mortalium aliàs non absolutorum requiri formalem dolorem, ut supra dictum est; at probabile est pro venialium Confessione, sufficere prædictum dolorem virtualem; quare, qui suscipere intendit Sacramentum Pœnitentiæ, ejú que effectum, nempe augmentum gratiæ, si non habet complacentiam peccati venialis, cujus absolutionem petit, vel mortalis, alias ritè absoluti; erit ex hac probabili sententia sufficienter dispositus, ita Præpositus *disp 2. de Contritione dub. 1. num. 73.* vocans hanc sententiam non improbabilem,

&

& citans Suarium *de Pœnit. disp. 2. sect. 1. num. 9.* additque eum, qui juxta illam operatur, non peccare, & fortè consequi effectum Sacramenti : ratio hujus sententiæ posset esse, quia sicuti extra Sacramentum minùs requiritur ad remissionem venialis, quàm ad remissionem mortalis; venialis enim culpa deletur per actum virtutis illi contrarium ex communissima opinione ; culpa mendacij v. g. deletur per actum, quo quis vult veritatem; quod non est pro mortali, cui solùm fit remissio extra Sacramentum Pœnitentiæ per contritionem perfectam, ita in confessione venialium, hoc est, intra Sacramentum, videtur minùs requiri ad eorum remissionem, quàm in confessione mortalium, atque adeò sufficere dictum dolorem virtualem.

Quando ergo Concilium Trid. *sess. 14. cap. 3.* requirit dolorem formalem pro hoc Sacramento, loquitur de Confessione mortalium, nondum ritè absolutorum ; ait enim, id requiri ad consequendam reconciliationem cum DEO ; at quando deinde *ibid. cap. 4.* dixit, ad hoc Sacramentum requiri motum pœnitentis, loquitur de Confessione in universum ; quod certè dictum verificatur, tum in confessione mortalium per dolorem formalem, qui est motus pœnitentis, tum in Confessione venialium per dolorem virtualem ; qui est etiam Pœnitentis motus.

Doctrinam hactenus traditam habet etiam Rotella. *v. Confessio* 2. §. 1. & Sylvester. *v. Confess 1 q 11.* & veram esse, me docuit P. Franciscus Chiros nostræ Societatis Theologus, & in morali Theologia valdè versatus.

Favent item prædictæ Doctrinæ Ledesma, Vega, Almanus, & Bernardus de Ganaco citati, quamvis non admissi à de Lugo *de Pœnit. disp. 14. num. 3.* quatenus dicunt, dolorem esse quidem partem, sed integralem, non essentialem Sacramenti, atque adeò sine qua tota essentia Sacramenti consistat ; quos tamen, licèt cum Communi sententia Theologorum apud eundem de Lugo rejiciamus, nihilominus eos prædictæ doctrinæ de dolore venialium virtuali favere, inficiari non possumus.

Favet item Coninch. *q. 62. art. 1. de Sacramentis num.* 34. & 36. ubi putat, immemorem peccati mortalis accedentem cum actu spei ad Sacramentum justificari sine formali actu attritionis ; quia, inquit, supernaturalis actus spei pœnitentiam peccati commissi virtualiter continere videtur.

Favet etiam Castropal. qui *tr.* 28. *de Sacr. disp. unica p. 14. n. 7.* hanc sententiam Coninch. vocat probabilem ; quam secutos esse Scotum, & Cajetanum, affirmat.

39. Aliquod longè laxius Delgadillo *in tract. de pœnitentia c. 12. dub. 5. n. 34. & dub. 8. n.* 43 qui cum multis (quos vide apud ipsum, & apud Thom. Hurtadum *p. 2. res. moral tract. ultimo tota resol.* 10.) ait, dari confessionem validam, sed informem, sicuti ex communi opinione datur Baptismus validus, & informis : unde infert, quòd quemadmodum per Baptismum in adulto sine dolore de peccatis antea-

ctis susceptò habetur Baptismus validus, licèt sine effectu gratiæ, qui habetur postea, quando sic Baptizatus ritè dolebit, ita in Confessione integra mortalium facta sine dolore juncta cum absolutione, habetur Sacramentum hoc validum, & informe, hoc est, sine effectu gratiæ, qui habebitur deinde, quando ritè dolebit Pœnitens.

Addit deinde idem Delgadillus *ibid. c.* 16. *dub.* 12. *& seqq.* illud, quod facit nunc ad præsentem dubitationem nostram, nimirum in confessione venialium facta sine dolore juncta cum absolutione non solùm haberi validum hoc Sacramentum, sed etiam formatum, hoc est, producens effectum gratiæ Sacramentalis, ejusdemque augmentum, quamvis non jam remissa culpa dictorum venialium; quia non est unde retardetur, cum possit stare gratia, ejusque augmentum cum culpa veniali non remissa; id quod non poterat, cum non remissa mortali; sed quia nobis etiam non vocat, hæc vel latius prosequendi, vel in utramlibet partem decidendi, legat, qui velit, apud citatos.

Illud est notandum prohiberi in Societate nostra in ordinatione pro studijs superioribus, ne nostri doceant publicè has duas propositiones in nostri Scholis: *Confessio venialium non eget ullo dolore ad remissionem*; intelligo sine ullo dolore nec formali scilicet, nec virtuali, ne sic contra à me dicta *à n.* 27. *Confessio facta sine ullo dolore valida est, etiam in mortalibus*, quod certè est contra modo dicta *n.* 39. à Delgadillo.

CAPUT III.

De tempore, quo quis confiteri debet ex præcepto Divino.

1. ANte omnia interest Pœnitentis observare tempus, quo Confessionem exhibere debet; id igitur breviter præmittamus.

Et quidem certum est ad Confessionem Sacramentalem, quoad substantiam nos obligari ex præcepto divino; nam tam grave præceptum, nec Ecclesia imponeret, nec fideles illud facilè recepissent, nisi divino præcepto cogerentur. Præterea si hoc præceptum esset dumtaxat Ecclesiasticum: Papa non obligaretur ad Confessionem. Ita Scot. *in 4. dist. 7. §. in ista quæst.* Denique id jam à Tridentino definitum est, *sess. 14. c.* 5. ibi, *Universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere*; institutam autem fuisse, quando Dominus dixit Apostolis *Joann.* 10. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ferè determinat idem Concilium *ibid. cap.* 1.

2. Certum secundò est teneri hoc divino præcepto omnes Baptizatos adultos habentes usum rationis, & cognoscentes peccatum mortale, quod fortè commiserint, seu quod idem est, cognoscentes justum, & in justum, bonum, & malum circa legem DEI. Non ergo attendenda est ætas tanta, vel tanta,

tu, sed rationis discretio: quare si Sotus ex hoc præcepto divino solum obligat habentes annum duodecimum; si S. Antoninus decimum cum dimidio; si Emanuel Sà, puberes, hoc est, masculos habentes quatuordecim, si inquam hi tunc solùm obligant, non loquuntur sufficienter: quia lex divina omnes utentes ratione, quamvis minores prædictis ætatibus, comprehendit; an hi incurrant pœnas, ni obediant, mox dicemus, cum loquemur de præcepto Ecclesiastico cap. sequenti, ubi etiam aliqua explicabimus, quæ ad ætatem prædictam pertinent.

3. Dixi (*cognoscentes peccatum mortale*) cum enim peccatum veniale, ut supra vidimus, non sit materia necessaria confessionis, sed solùm sufficiens, non tenetur quis ad ejus confessionem, quamvis illud confessioni subdere, consilium sit: nam propterea Apostoli non obligabantur ad Confessionem, quia ita fuerunt confirmati in gratia, ut præservati fuerint ab omni mortali: potuerunt tamen confiteri venialia; quia hæc committere poterant: & probabile sit, ea fuisse confessos: Beatissimam autem Virginem, nec Confessionem fecisse, nec potuisse facere, certum est; quia ipsa præservata fuit tum à mortali, tum à quocunque veniali.

4. Certum est Tertiò, fideles statim post commissum peccatum non teneri illud Confessioni subdere, quia tanta obligatio non est imponenda sine manifesto fundamento, ita Suar. cum aliis *disp. 35. sect. 3.* legitimè igitur subdere suo tempore, de quo infra.

5. Certum, quartò sit, hoc præceptum non obligare solùm in periculo mortis, cujus ratio notanda est, quia, quando Ecclesia *in Concil. Lateranensi sub Innocentio III.* statuit *in c. omnis utriusque sexus*: Confessionem saltem semel in anno esse faciendam, legem novam hac de re non condidit, sed divinum præceptum, quod fuerat à Christo Domino indeterminatè latum, declaravit, esse determinandum ad annuam Confessionem. Hæc est communis opinio, Præceptum ergo Confessionis (idem diximus de Communione, *lib. 2. de Sacr. cap. 5. §. 2.*) quoad substantiam, divinum est, quò autem ad determinationem temporis brevioris, vel longioris, est Ecclesiasticum, originem habens à Divino. Atque hinc rectè colligit de Lugo *disp. 15 de Pœnit. num. 99.* si Ecclesia non determinâsset ejusmodi tempus, hoc divinum præceptum non obligâsset extra periculum mortis; quia ex quo Christus non determinavit, non erat præceptum jam perfectum, & obligatorium: quare, secluso Ecclesiæ declaratione, sufficienter adimpleret divinum præceptum de Confessione ille, qui solùm in articulo mortis hoc Sacramentum suscepisset: id quod in simili alibi dictum à me est de susceptione Evchariſtiæ, si pro illa non determinasset Ecclesia tempus Paschale.

6. Hîc operæ pretium est notare, aliquando per accidens, seu ratione alterius obligare hoc divinum præceptum; Est autem, quando quis sacram Evchariſtiam est susceptorus, si sit sibi peccati mortalis conscius, quamvis, per-

perfectissimam contritionem se elicuisse, cognoscat; ita enim decrevit, seu declaravit *Trid. sess. 13. c. 7.*

7. Dixi (quando est quis Eucharistiam suscepturus) nam quando quis suscepturus est alia Sacramenta, ut etiam quando alia Sacramenta confecturus est, non tenetur præmittere confessionem, siquidem tunc, si mortali laborat, tenetur quidem, in gratiam Dei redire, sed non necessariò per confessionem, cùm possit per contritionis actum. Unde quando S. Thom. *quodl. 1. art. 11.* (ut advertit Suarez *disp. 85. sect. 3. in fin.*) ait, ad susceptionem ordinis debere præmitti confessionem, sensus est, debere confessionem præmitti; non quidem præcisè propter susceptionem ordinis, pro qua satis est contritio, sed propter Eucharistiam, quam recipere consueverunt, qui initiantur.

CAPUT IV.

De Tempore, quo confiteri quis debet ex Præcepto Ecclesiastico.

1. Sic habetur *in dicto cap. omnis utriusque sexus de Pœnitentia & Remiss.*

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Paschâ Eucharistiæ Sacramentum: Alioquin, & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.

Porrò singulas hujus Legis dispositiones, quæ pertinent ad Confessionem hac occasione, in qua de tempore ejusmodi obligationis agimus, commodum erit exponere.

Omnis utriusque sexus fidelis.

2. Meritò fidelis, id est, baptizatus, quia Ecclesia non potest imponere Leges, nisi suis subditis, qui tales fiunt in susceptione Baptismi.

3. Verùm si (omnis,) ergone etiam puellæ, pueríque?

Respondeo. Etiam; si tamen, *juxta supradicta c. præcedente n.* 3. ratione utantur: Est autem quoddam discrimen inter præceptum divinum, de quo ibi, & Ecclesiasticum, de quo hîc agimus; nam si quis, Puer v. g. ante septennium utatur per accelerationem (ut non semel contingit) ratione, hic tenetur præcepto divino confessionis, quia lex divina fertur in omnes, qui sunt legis capaces, quales sunt omnes homines rationis compotes; at idem puer ex probabili sententia apud Joannem Sanchez *disp. 71. n. 31.* non tenebitur præcepto Ecclesiastico, quia Ecclesia dirigit sua præcepta ad illos, qui ordinario modo sunt rationis participes; quales sunt, qui vel post septennium rationem acquirunt, non autem ad eos, qui per accidens, & extraordinariè ante septennium illa utuntur.

4. Sed quid, si de puero jam septenni dubitetur, an perfectum rationis usum fuerit consequutus? Id quod non rarò etiam contingere videmus.

5. Respondeo, hunc non obligari, puto, quia nondum dicitur absolutè

tè ad annos discretionis perveniſſe ille, qui quamvis ſeptem habeat annos, tamen perfectæ rationis diſcretione caret.

Illud tamen te moneo, ut ſi quando ejuſmodi puer afferat peccatum, quod propter ejus imperfectum diſcurſum ſit mortale, moneo, inquam, ut eum abſolvas ſub conditione, modo ſuperiùs inſinuato *c. 1. n. 19.* Quòd ſi addat certum veniale, ad quod committendum, minor rationis uſus requiritur, & de eo legitimè doleat, tunc certè abſolvi ſine conditione abſolutè poterit.

Confiteatur.

6 COnfitearur ſanè mortalia aliàs non abſoluta; ergo ſi quis non gravatur toto anno, niſi venialibus, confiteri utique non tenetur ex vi hujus præcepti, quidquid tenuerint antiquiores nonnulli cum S. Bonaventura *diſt. n. 4. q. 1.* ratio eſt, quia hoc præceptum declarat, aſſignatque tempus præcepti Divini: Chriſti Domini; ſed Chriſtus Dominus ſolùm præcipit confeſſionem mortalium; hoc enim præceptum dedit, ut peccator cum Deo reconciliaretur. Ita docent communiter Doctores apud Suar. *diſp. 36. ſect. 2.* & de Lugo *diſp. 15. n. 132.*

Dixi (ex vi hujus præcepti) nam ſi aliunde alia obligatio adeſſet, tunc etiam de venialibus deberet fieri Confeſſio: Et ita ſæpe obligatur à Sede Apoſtolica, qui impetrat diſpenſationem voti caſtitatis, vel impedimenti ad matrimonium; imponitur enim illi confeſſio annua, vel menſtrua, quare ſi is mortalibus caret, debet venialia, vel aliàs abſoluta mortalia confiteri, ut ſcilicet juſtam menſtruam, vel annuam confeſſionem faciat. Eſcobar de Mendoza citans alios *lib. 43. Theol. Moral. c. 1. n. 7.* de Benedictinis, vel aliis Religioſis, quibus imponitur menſtrua Confeſſio, vide eundem *ibid. c. 7. dub. 14. & dub. 15.*

7. Quæres, obliganturne fideles confiteri peccata mortalia etiam purè interna?

Reſpondeo, ita omninò; nam quamvis ſit doctrina communis, quòd Eccleſia non judicat de merè internis; tamen hæc doctrina (cui non paucæ ſunt explicationes addendæ) locum hìc non habet; ſiquidem Eccleſia in hoc præcepto Confeſſionis obligat fideles ad faciendam illam Coſeſſionem, quam præcipit Chriſtus Dominus: quoniam ergo is præcepit, ut fieret Confeſſio omnium peccatorum, ut diximus ex Trident. *cap. 3. n. 1.* ideò cum interna, ſint etiam peccata, erunt etiam illa clavibus ſubdenda ex vi præcepti de integritate Confeſſionis, eſto non ex vi præcepti Eccleſiæ, quæ ſolùm tempus determinavit.

8. Quid, ſi quis confiteatur ſine dolore, vel non integrè, vel non accepta abſolutione; obſervatne hoc præceptum confeſſionis annuæ?

Reſpondeo. Nequaquam, immò pœnas etiam incurrit impoſitas non confitentibus ſemel in anno. Ratio eſt, quia præcipitur ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ; at qui prædictis modis confitetur, Sacramentum Pœnitentiæ non ſuſcipit; ergo &c.

9. Quid denique, si quis nequeat confiteri, nisi per interpretem, obligabiturne ad Confessionem?

Respondeo, non obligari probabilis est sententia, quia nemo obligatur fateri sua peccata cum periculo divulgationis, quale est, quando adhibetur interpres; excipit tamen meritò Coninch. *disp. 9. de Pœnitent. n. 71.* periculum mortis, pro eo, qui mortalibus gravatur: tunc enim propria charitas obligat consulere suæ saluti omni meliori modo, quo quis, potest; quod certè potest tunc facere sine inconvenienti, (ait Coninch.) si per interpretem fateatur moribundus aliqua venialia, & mortalia in genere, dicendo; Confiteor talia peccata venialia, & omnia, quæ commisi.

10. Docet hìc Verricelli *de Missionibus tit. 15. n. 8. & 9.* proximè moriturum, qui probabiliter credit, se esse contritum, non teneri confessionem facere per interpretem, ne scilicet suam famam prodere cogatur, & citat Suarium, Layman, Dianam; teneri tamen si de sua contritione dubius est; sed profectò, Doctrinam Coninch. omninò amplectendam à nobis esse, puto.

11. Strictiùs loquitur de Lugo *disp. 15. de Pœnitent. n. 66.* putat enim, in periculo mortis obligari, nos ad integram confessionem per fidelem interpretem, ac prudentem, qui certè tenebitur ad secretum observandum, perinde, ac tenetur confessarius: id quod certè probabilissimum est, & consulendum in Praxi: sed non minùs probabilis est doctrina modo à Coninch. allata, quam pluribus firmat Diana *par. 11. tract. 7. res. 1.*

12. Contra Laxius Delgadillo, qui *de Pœnit. c. 17. n. 225.* asserit, nunquam in dicto periculo teneri fideles ad confitendum per interpretem: immò addit, nec, si sic confiteretur, validam fore absolutionem. Ratio est, inquit, quia materia hujus Sacramenti est Confessio Secreta (id quod *ibid. à n. 216.* latè probare contendit, atque hoc ex doctrina Scoti) Christus enim (ut ipse ait) assumpsit ut Signum Sacramenti Pœnitentiæ, atque ut absolutionis fundamentum, confessionem secretam, non publicam; quòd dicit, se probare posse ex Trident. *sess 14. c. 5.* affirmante, non esse divino præcepto mandatum, quòd confessio sit publica; & *Can. 6.* sic asserente, *qui dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti alienum esse ab institutione, & mandato Christi, anathema sit.* His, & alijs adductis, sed certè minus rectè intellectis, in hunc modum concludit, ergo confessio facta per interpretem, cum careat debita materia], erit invalida. Deinde prosequitur refellere Suarium, Vasquez, Coninch, aliosque Thomistas communiter docentes, confessionem, etiam publicam, esse materiam aptam hujus Sacramenti; quos Doctores Thomistasque nos amplectimur; sententiam verò Delgadilli ipsi eidem digerendam relinquimus.

Semel in anno.

13. QUatuor modis computari pro hac re nostra potest annus.

Pri-

Primò, à Januario ad Januarium sequentem.

Secundò, à Paschate ad aliud Pascha, intelligendo nomine Paschatis quindecim illos dies, qui intercurrunt à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis.

Tertiò, ab una Confessione ad aliam ita, ut inter unam, & aliam non intercedat plus quàm annus.

Quartò, à tuo peccato mortali ad tuam Confessionem ita, ut talis peccati Confessio non differatur plus quam ad annum.

14. Ex his prima computatio est omnium probabilissima, quam sequitur Vasquez *q. 90. a. 2.* & Gaspar Hurtadus *disp. 7. diff. 10.* aliique, quia communiter, nomine anni intelligitur annus civilis.

Secunda, est etiam probabilis, quam sequitur Suarez, Layman, aliique apud Hurtadum, quia communiter sic etiam intelligitur annus, nempe annus Ecclesiasticus.

Tertia, quam docet Sotus *in 4. q. 18. a. 4.* & Quarta, quam habet P. Joseph de Augustino *in Brevi Notitia præcept. Eccles. n. 5.* Ideo nec mihi, nec Delgadillo *de Pœnit. c. 17. n. 65.* placet, quia sine sufficienti fundamento recurritur ad extraordinariam anni computationem; cum textus noster dicat, semel in anno, utique communi & ordinario, ac vulgariter cognito à fidelibus, ad quos dirigitur præceptum.

15. Quoniam verò solùm annum designat textus, non verò diem, vel anni determinatum tempus; sequitur, quocunque die dicti anni posse impleri præceptum hoc confessionis, perinde, ac quacunque die mensis v. g. potes jejunare, si tibi imponatur jejunium, semel in mense; quod certè non ita se habet in præcepto communionis; quia textus pro hac designat tempus Paschale, sumpto, ut diximus, pro quindecim diebus.

16. Oppones: ergo posset quis confiteri pro hoc anno initio ipsius, & & pro alio in fine alterius anni sequentis, & sic differre per duos annos Confessionem.

Respondeo. Ita profectò legitimè posset, sicuti Sacerdos posset recitare Canonicas suas Horas initio hujus diei, & differre Horas sequentis diei usque ad finem, hoc est, usque ad mediam noctem exclusivè diei sequentis, jam enim sic in uno quoque die suas horas persolveret.

17. Oppones iterum: Praxis fidelium est, ut non solùm communicent, verùm etiam confiteantur in Paschate; ergo etiam Pascha est tempus obligans ad Confessionem.

Respondeo, negando consequentiam: siquidem id faciunt fideles, quia ex occasione communionis confitentur, & sic opportunè servant utrumque præceptum, nempe Communionis in Paschate, & Confessionis pro illo anno; unde si quis non indigeret Confessione in Paschate, quia nullius peccati mortalis sibi esset conscius: satis huic foret, si tunc solùm communicaret.

18. Quare benè Hurtadus hîc notat, Episcopum quemdam deceptum fuisse, cùm excommunicavit eos, qui non confessi sunt in Paschate, quia

solùm Communio pro tunc præcipitur, nõ Confessio, & ideò ejusmodi excommunicatio non fuit incursa : fundabatur enim in falsa præsumptione, quòd illi non confessi fuerint intra annum, hoc est, vel ante Pascha, vel postea.

19. Illud autem colligitur ex computatione anni in nostra sententia, quòd si quis toto anno sæpe confessus est peccata venialia, deinde ante finem anni (etiam in ultimo die) labatur in lethale peccatum, si in eo ultimo die non confiteatur, non observat præceptum annuæ confessionis : quia hoc præceptum, ut supra advertebamus, non est de confessione venialium, sed mortalium, quam certè mortalium hic non fecit ; Quoniam verò in ultimo die jam habet mortale, illud in hoc die in nostra sententia confiteri debet, ne scilicet transeat annus sine observatione præcepti annuæ Confessionis, & ita notat Vasquez *disp. 90 art. 3. dub. 1.* Dixi (in nostra sententia) nam in sententia P. Josephi de Augustino haberet tempus sequentis anni, id quod tamen nos non admisimus.

20. Quid, si quis in anno non confitetur, obligatur ne anno sequenti etiam pro obligatione anni præteriti, ita ut unam Confessionem debeat facere pro dicto anno præterito, aliam pro præsenti ? Et quando per tres annos v.g. non est confessus, debet ne ter confiteri pro dictis tribus præteritis annis, & item semel pro præsenti, &c. ?

21. Respondeo, Ita putat Coninch *de Pœnit. disp. 5. n. 61.* & de Augustino *loc. cit. n. 4* Ratio est, aiunt, quia hoc præceptum est primariò de confessione, & secundariò de tempore : sicut ergo si vovisset, vel Confessarius tibi imposuisset unum jejunium, si illud non exhibes in hac hebdomada, vel in hoc mense, debes in alio : ita si tu in anno hoc confessus non es, obligaberis in alio ; id certè probabile est ; verum non minus probabile judico cum Valentia *Tom. 4. d. 7. q. 8. p. 4.* non obligari, quia satis probabiliter dici potest, hoc præceptum esse addictum uni anno ; sicuti enim Sacerdos v. g. si non recitat intra viginti quatuor horas hujus diei officium divinum non obligatur illud compensare die sequenti ; nec qui Missam negligit die Dominico, obligatur audire die Lunæ, ita in casu nostro, &c.

22. Inquires hìc denique. Primò, an quis teneatur prævenire confessionem, quando prudenter timet suorum peccatorum oblivionem ? Secundò, an quis teneatur confiteri initio anni, quando rationabiliter timet carentiam Confessarij, si confessionem differat usque ad anni finem ?

23. Respondeo ad primum non teneri, quia Concilium Tridentinum solùm nos obligat ad confitendum peccata ; quorum, quando confitemur, memoriam habemus, facto tunc diligenti examine juxta superiùs dicta.

Respondeo ad secundum, omninò teneri, sicuti, qui die festo prævidet, unam dumtaxat Missam manè diluculo celebrandam, tenetur illi tunc interesse, si à legitimo impedimento non excusetur. Ita Hurtadus, Fagundez, Laymann, alijque cum Diana *part. 3. tract. 4. resol. 69.* & meritò, quia toto, atque

atque adeò etiam initio anni præceptum urget.

24. Illud minus approbo, quod docet idem Hurtadus *disp. 5. dist. 13.* affirmat enim, eum, qui prudenter timet, se non habiturum copiam Confessarij anno sequenti, teneri vi præcepti annuæ confessionis confiteri ante annum illum; non approbo, inquam, quia nemo tenetur servare præceptum, antequam præceptum illud actu urgeat; neque enim teneor die Sabbati audire Missam, si prævideam Missam non futuram die Dominico.

Nota tamen discrimen inter præceptum Ecclesiasticum confessionis, & inter præceptum divinum ejusdem: nam ex vi præcepti divini obligatur quis ad non moriendum in peccato mortali, quod præceptum semper adest, viget que semper post usum rationis, & post mortale commissum; quare si quis prævidet, se non habiturum copiam Confessarij in fine vitæ, tenetur antea confiteri ex vi prædicti præcepti divini, quod semper, ut dictum est, urget. At hoc anno non adest, neque urget præceptum Ecclesiasticum pro anno sequenti.

Alioqui ab ingressu Ecclesiæ, & vivus arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.

25. QUi semel in anno non confitetur, duas incurrit pœnas; alteram, ne, dum vivit, possit ingredi in Ecclesiam, alteram, ut mortuus Ecclesiastico Ritu, atque adeò in Ecclesia, vel Cæmeterio non sepeliatur; hæ autem pœnæ non incurruntur ante sententiam declaratoriam Judicis, & consequenter requiritur, ut culpa probetur in judicio; id quod rectè observat Coninch. *disp. 3. dub. 9.*

26. Notandum autem hîc est primò, in aliquibus Diœcesibus adesse fulminatam contra non confitentes in anno (ut etiam contra non communicantes in Paschate) excommunicationem latæ sententiæ, quæ si adest, statim incurritur, nulla expectata Judicis sententia; Ratio est, quia excommunicatio, & cæteræ censuræ latæ sententiæ secum ferunt exequutionem, & statim, commisso delicto, delinquentem afficiunt. At non ita in excommunicatione ferenda, & alijs ferendis censuris (quas etiam appellamus comminatorias) atque in alijs quibuscumque pœnis, quæ censuræ non sunt; hæ enim requirunt dictam Judicis sententiam, saltem declarantem, fuisse commissum delictum, cui adnexæ sunt prædictæ pœnæ, ut distinctiùs agitur in tract. de censuris, & interim videri potest Sanchez *lib. 9. matr. disp. 30.* & Suar *de censuris d. 3. sect. 3.*

27. Notandum est secundò in Synodo nostræ Panormitanæ Diœcesis, quæ est anni 1653. *c. 4. de Euch. n. 11.* contra non communicantes in Paschate indici excommunicationem ferendam his verbis; *Qui dicto tempore Paschatis non communicaverint, si admoniti non resipiscant, pœnam excommunicationis incurrent*: At verò contra non confitentes, semel in anno, nihil ampliùs additur præter pœnam latam *in c. cit. omnis utriusque sexus*; unde

difficile mihi apparet, quòd dicit Escobar *in Theolog. moral. lib. 43. cap. 3. num. 16.* excommunicationem ipso facto omittentibus Confessionem annuam ferè in omnibus Diœcesibus esse impositam.

CAPUT V.

De ijs, quæ pertinent ad Pœnitentem in ipsa Confessione.

Qualis debet esse Confessio?

1. QUalitates, & conditiones sive ex congruentia, sive ex necessitate à Confessione Sacramentali requisitæ, fuerunt unitim ab antiquioribus his versibus collectæ.

Sit Simplex, Humilis, Confessio Pura, Fidelis,
Atque, Frequens, Nuda, & Discreta, Libens, Verecunda.
Integra, Secreta, & Lacrymabilis, accelerata;
Fortis, & accusans, & sic parere parata.

2. Singulas has qualitates, si nos suis necessarijs considerationibus illustrabimus, certe totam ferè de Confessione tractationem comprehendemus.

CAPUT VI.

Simplex.

1. HÆc conditio significat, Pœnitentem debere sua peccata confessori patefacere, clarè, distinctè, & ablatis circumstantijs ad confessionem non pertinentibus (in quo mulierculæ errare persæpè solent;) item non sunt verba æquivoca usurpanda, quia ab hoc sacro tribunali ipsa pura veritas requiritur, quæ prolixis, & multò magis æquivocis narrationibus obscuratur.

2. Sed notandum est, hanc conditionem requiri ex congruentia, modò veritas peccatorum manifestetur; ita ut si advertenter cum ea æquivocatione, quæ pariat in mente confessarij non debitam notitiam peccatorum, deficeret Confessio in necessarijs, graviter peccaretur juxta infra distinctiùs afferenda.

CAPUT VII.

Humilis.

1. DEbet Confessio fieri ex congruentia flexis genibus, aperto capite, debitaque corporis compositione, nisi aliud infirmitas, vel causa rationabilis persuadeat, idque est esse humilem confessionem.

2. Sed inquires, Quid si sine necessitate ulla sedens, vel stans, vel etiam jacens confessionem exhibeam?

3. Respondeo. Fore id peccatum veniale, putat Bonacina *disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 1. §. 2. num. 24.* sed nec esse veniale, (præciso contemptu, & scandalo) probabile puto; quia hoc non est, nisi defectus majoris devotionis.

4. Ad humilitatem hanc reducitur illud, ne fiat confessio cum jactantia pec-

peccatorum ; hæc enim esset novum peccatum, & quidem mortale, si sit jactantia peccati mortalis, atque adeo sacrilega esset ejusmodi Confessio : si verò sit gloriatio peccati venialis, tunc esset peccatum veniale, atque ex hoc capite non esset sacrilega confessio, quando alia materia cum debito dolore afferretur ; nam sacrilega esset, si illud solum peccatum cum dicta materia confitereris ; quia venialis peccati commissio revocat dolorem peccati ejusdem generis, juxta ea, quæ aliquantò superiùs declarata sunt.

5. Huc etiam reducitur modesta humilitas in vestibus, & ornamentis, quam sine fastus jactantia præseferre debet pœnitens ; sed quia de his, deq; portatione armorum, an ea decreant accedentem ad Evchariſtiæ sumptionem, dicemus in tractatu de Communione *cap. 10. num. 12.* Eadémque, vel saltem valde similis ratio est in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ locum illum recolere satis, supérque sit.

6. Huc denique reduci potest, ne (saltem in peccatis turpibus) complex confiteatur complici, tunc enim non humilis erit confessio, sed audax, & absque modesta erubescentia : dico autem complicem complici ; hoc est, pœnitentem non debere confiteri socio sui peccati : ita Pontius *lib. 4. matr. c. 3. n. 3.* dicens, ejusmodi turpium confessionem factam complici esse regulariter illicitam, & consequenter invalidam : dicit (regulariter) nam excipit necessitatem in periculo mortis, vel gravis infamiæ ; quando alius Confessarius præstò esse non potest ; quamvis enim Doctores communiter doceant, eam validam fore, si absit periculum novæ complacentiæ, adsitque debitus dolor, ut loquuntur S. Thomas, Sylvester, Scotus, S. Bonaventura cum Diana *p. 5. tr. 11. resp. 120.* aliique ; nihilominus (quidquid dicat Joan. Sanchez *d. 11. num. 1.*) hi Doctores intelligendi sunt ; pro ut expresè plures ex his loquuntur, quando certum est, nullum subesse periculum, vel in casu prædictæ necessitatis ; Regulariter tamen adest probabile periculum novæ complacentiæ ejusdem peccati, vel ex parte fæminæ, vel ex Sacerdotis parte : adest quoque periculum diutius perseverandi in eodem cæno ; & item, ut Confessio nulla sit ex defectu doloris : quare meritò in Mediolanensi Ecclesia, ut habet Bonacina *de Pœnitentia q. 7. p. 5. §. 5. n. 10.* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne quis complicis confessionem excipiat : de hoc argumento lege Paragraphum positum in fine hujus tractatus de Confessione.

7. Illum tamen, qui bona fide confessus est apud complicem, tunc non obligarem, Confessionem repetere, quando diligenter examinatus inveniretur, verum dolorem, firmumque propositum habuisse, & integrè fuisse confessum ; atque bona item fide non judicasse, se cooperatum fuisse cum Confessario in peccatum fortè labente ex refricatione peccati cum ejus societate peracti.

8. Denique hîc omittenda non est propositio damnata ab Alexandro VII. quæ est hujusmodi ;

Mo-

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est,

Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absque onere denuntiandi.

Hæc, inquam, propositio tanquam scandalosa damnatur, & ita prohibetur simul cum aliis quibusdam, ut ille, qui eam docuerit, vel defenderit, vel de ea disputaverit, nisi ipsam impugnando, incidat in excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reservatam, & item prohibetur sub mortali, ne quis eam in praxim deducat.

CAPUT VIII.

Pura.

1. PUra tunc est Confessio, quando fit propter purum finem placendi Deo, & propter remissionem suorum peccatorum; qui ergo propter alium finem confitetur, semperne, & quo peccato peccat?

2. Respondeo, & dico primò, certum esse, peccare mortaliter, qui confitetur propter finem mortaliter peccaminosum v. gr. ad finem pertrahendi Confessarium ad mortale, vel ad finem consequendi opinionem bonam, ut sic facilius grave quid furari v. gr. possit, vel ut possit adytum habere ad turpiter v. gr. peccandum, &c. Ratio est manifesta, quia sic committitur mortale in ipsa confessione, quod opponitur gratiæ sanctificanti, quæ deberet à Sacramento conferri.

3. Dico secundò, peccari venialiter, si finis sit peccatum veniale, & Confessio sit legitima, & dolore debito non carens, juxta superiùs dicta; tunc enim pœnitens haberet pro fine primario, & per se intentionem placendi Deo, & per accidens adjungeretur peccatum veniale: ut si quis v. gr. posito, quòd legitimè confiteatur, admittat tamen secundariam intentionem placendi hominibus, suo parenti, suo Magistro, &c. seu etiam secundariam intentionem vanæ gloriæ; quòd si totus finis, atque adeò primarius sit peccatum veniale v. gr. inanis Gloria, unde non curaret quis, seu negligeret, aut explicitè, sive implicitè finem placendi DEO, sanè peccaret mortaliter ex defectu recti finis.

4. Hinc collige nequaquam mortaliter peccare eum, qui, ut bonam opinionem apud Confessarium virum gravem sibi notum conservet, confitetur apud illum peccata levia, sed antea à gravibus per alium Confessarium absolutus ritè fuerat, ut notat Bonacina *loc. cit. num.* 5. cum alijs. Ratio est, quia ejusmodi finis non est mortalis, & ex alia parte est ex secundaria intentione, & item cum debito dolore, alijsque requisitis exhibitas prædictas confessiones fuisse, supponimus. Sylvester allatus à Diana *3 p. tract. 4. resol. 132.* ait, hunc nihilominus peccare venialiter, quia id saltem sapit aliquam hypocrisim, & mendacium; sed sentiendum est cum dicto Diana, neque sic (si aliud non addatur) peccare venialiter, quia conservare suum bonum nomen, non est hypocrisis, & cum Pœnitens nihil falsum loquatur, quamvis facto suo permittat, Confessarium de-

decipi, non dicit tamen ipse mendacium: sic certè permisit Christus Dominus, quòd deciperentur duo ejus discipuli in Emaus, quando finxit, se longiùs ire velle, nec tamen mendacium dixit: confirmatur ex Villalobos, *tom. 1. tract. 1. num. 9. dict. 35.* ubi affirmat, sæpè propter aliquam rationabilem causam esse conveniens, variare confessarium. Quare sentire videtur, id non rarò etiam esse expediens; nimirum pro majore conscientiæ quiete, propriæque animæ rationabili consolatione.

CAPUT IX.

Fidelis.

1. TUnc fidelis est confessio, quando exhibetur sine dolo, & fallacia, hoc est, sine deceptione, quæ fiat confessario; planiùs dica, fiat DEO.

2. Hinc primò, graviter peccabis, si omittas aliquod peccatum, aliàs non ritè absolutum; si varies numerum peccatorum mortalium, dicendo minorem numerum pro majore, immò etiam majorem pro minore; qui error Rusticorum, & mulierc ularum esse solet: si confitearis peccata certa, ut dubia, vel contra; Pœnitens enim, ut fidelitatem DEO servet, debet declarare peccata eo modo, quo sunt in sua conscientia.

3. At verò, qui omittit manifestare in confessione aliquod peccatum veniale, vel mortale jam ritè absolutum, ne venialiter quidem peccat; quia ejusmodi peccata, ut supra vidimus, sunt materia, sufficiens quidem, sed non necessaria.

Qui autem mentitur in confessione in re ad confessionem non pertinente, ut si dicat, se vocari Petrum, cum vocetur Paulus, peccat quidem venialiter, sed non mortaliter, si juxta nuper dicta *cap. 2.* observet illa, quæ pro legitima confessione sunt necessaria; quia hac in re mentiri non esset, nisi leviter, contra prædictam fidelitatem, si aliud non superaddatur, de quo mox *à num. 8.* lege Bonacinam *loc. c. n. 2.* & de Lugo *disp. 16. sect. 2.*

4. Idem puto, id est, esse solùm peccatum veniale, si quis dicat, se velle facere confessionem generalem omnium peccatorum, & deinde taceat aliquod peccatum mortale, aliàs ritè absolutum; cum enim non sit de necessitate talis confessionis, omnia peccata jam absoluta manifestare; solùm erit mendacium leve, quia dicit, se velle omnia jam absoluta confiteri, & deinde aliqua tacet.

Quòd si Pœnitens solùm confessario dicat, se velle confessionem generalem peragere, nec addat illud (omnium peccatorum) puto, hunc ne venialiter quidem peccare, quia adhuc confessio generalis nominari verè potest illa, quæ aliqua ommittit ex ritè absolutis: quare sic pœnitens in nihilo mentitur; præterea communis omnium sensus est, etiam Confessarijs notus, quòd in confessione generali, non omnia, alias ritè confessa, aperiuntur.

Peccatum fuisse, vel non fuisse confessum.

5. PRædicta facilis solutionis fuerunt, supersunt autem nonnulla admodum controversa.

Controvertitur enim primò. An pertineat ad fidelitatem confessionis, explicare, peccatum fuisse confessum, vel non confessum? Exemplum solet afferri de illo, qui generaliter confitetur, & sine alia explicatione de industria nova peccata cum antiquis immiscet, ad tegendum, quòd ejusmodi peccatum noviter sit commissum.

6. Respondeo, satis esse probabile, id ex se sine peccato fieri, quia peccatum semper est idem, sive hodie, sive heri commissum sit; circumstantia temporis non pertinet ad naturam ipsius peccati, sed se tenet ex parte pœnitentis.

7. Aliquæ tamen cautiones sunt adhibendæ. Primò, ne sit reservatum hoc novum peccatum, & tu ad Confessarium non potentem illud absolvere accedas: tunc enim non valeret hujusmodi absolutio ob defectum jurisdictionis, unde confessio esset Sacrilega.

Secundò: quando pœnitens est in occasione proxima peccandi, tunc debet explicari tempus præsens, ut nimirum Confessarius jubeat, occasionem amoveri, hac tamen cautione non indigebis, si tu ipse verè, & sine fraude, occasionem tollas.

Nonnulli addunt cautionem tertiam, ut scilicet obligetur quis, tempus sui peccati patefacere, quando is est, in consuetudine peccandi; sed certè probabile est, tunc non adesse ex se necessitatem explicandi, peccatum fuisse, vel non fuisse confessum, quia, ut notat Suarez. Vasquez, aliique apud Dianam *1. p. tract. de circumstantiis, resol. 15. & 57.* peccata præterita non addunt præsenti peccato circumstantiam novam multò minùs specie diversam.

8. Notanter hîc, *& num. 6.* dixi (ex se) nam si interrogetur à Confessario, debet pœnitens fateri, illud esse peccatum recens, tum in hoc casu consuetudinis, tum in aliis quibuscunque casibus, in quibus à prudenti Confessario interrogetur. Ita cum aliis de Lugo *loco mox citando;* Ratio est, quia quando tu non interrogatus illa non explicas, non mentiris, sed solùm permittis, Confessarium sibi persuadere, illud peccatum esse antiquum, & non esse ex consuetudine; at quando interrogatus, negas, committis positivè mendacium, quod grave peccatum est in casu, quo Confessarius id interrogat; quia Confessarius habet jus cognoscendi totam conscientiam pœnitentis, ut suum judicium legitimè, & prudenter valeat proferre: nam cæterum si ab hoc jure Confessarij abstrahamus, & legitima sit confessio, ut supra explicavimus, in relevi ad confessionem non pertinente mentiri, non esset, nisi veniale.

Peccatum in individuo.

9. IOannes de Lugo *d. 14 de Pœnit. sect. 10.* addit aliam rationem, ad probandum, te interrogatum obligari graviter, verum dicere in re pertinente ad confessionem, quia, dum positivè hoc peccatum, v. g. homicidium, di-

dicis, te commisisse anno superiore, cùm tamen commileris in hac hebdomada, non fatereris tuum peccatum, quod in individuo commisisti, sed aliud, quod non commisisti: aliud enim est peccatum hodiernum, aliud peccatum hesternum, atque adeo non integrè confitereris.

10. Hæc ratio Joannis de Lugo posset impugnari ex doctrina Arriagæ *de Pœnit. disp. 34. sect. 3.* ubi probat, Confessionem esse validam, si quis confiteatur, se occidisse Petrum, cùm Paulum ejusdem conditionis occiderit, etiamsi id faciat consultò, & mala fide; quia id solùm esset mentiri leviter in re non pertinente ad confessionem, nihil enim ad confessionem pertinet potiùs ne sit occisus Petrus, quàm Paulus; sed solùm ad illam pertinet, quod Pœnitens explicet actionem suam injustam, hoc est, actionem occisionis, quæ satis explicatur, sive actio occidendi terminata fuerit ad Paulum, sive ad Petrum: simili igitur modo non pertinebit ad confessionem scire, an peccatum fuerit aliàs remissum, nec ne, quia satis erit, quòd pœnitens explicet actionem, qua peccavit.

Certè hæc Arriagæ Doctrina non est improbabilis, quando bona fide quis dixit, se occidisse Petrum, cum occiderit Paulum; id quod docet etiam Dicastillus *apud Dianam p. 11. tract. 8. resol. 60.* & cætera requisita ad confessionem legitimè putat se habere; at verò quando Pœnitens interrogatur à prudenti confessario, id nullo modo admittere possum; quia tunc regulariter, & in praxi debet præsumi, notitiam individui, vel confessionis factæ, aut non factæ requiri à Confessario ad statum Pœnitentis cognoscendum; & meritò nolit stare judicio ipsius pœnitentis in determinanda restitutione hac, vel illa & in alijs remedijs prudenter adhibendis: semper excipio, nisi manifestè appareat aliud, circa quòd fit interrogatio, ad confessionem non pertinere; ut esset v. g. si Confessarius interrogaret, quomodo Pœnitens vocetur, vel cujus esset civitatis, quod certè imprudenter fieret.

Peccatum dubium.

11. SEcundum, quod controvertitur hìc, est, an si quis dubius sit de suo peccato mortali, nondum confesso; debeat ex necessitate fidelitatis illud confessioni subjicere, sive dubium sit, an peccatum commiserit? sive quamvis sit certus, se illud commisisse, dubius sit, an confessioni subdiderit?

12. Respondeo, & priùs recolendum est; dubium, aliud esse negativum, aliud positivum; si enim intellectus est omninò anceps, nullamque rationem, saltem probabilem habeat, ex cujus vi inclinet ad aliquam partem, dicitur dubium, & quidem negativum; quale est illud, an grana arenæ maris sint paria, an imparia; si verò intellectus rationem aliquam alicujus momenti habeat, per quam assentiatur alicui parti, dicitur probabilitas, & ab aliquibus appellatur (sed certè impropriè) dubium positivum; si verò adsint rationes alicujus ponderis pro utraque parte, utraque dicitur probabilis; semper intellige ad probabilitatem

constituendam, quòd pars opposita non sit saltem moraliter certa : denique si ex una parte appareant rationes alicujus momenti, pro alia autem parte nulla, vel satis modica adsit ratio, cujus scilicet vis non pertingat ad inclinandum intellectum, dicetur illa prior pars moraliter evidens.

Non jam respondeo ad hanc secundam controversiam (quoad dubium negativum) nam de probabilitate separatim dicam *à n.* 17. Respondeo, inquam, duobus dictis.

13. Dico primò ; Eum, qui est timoratus, & scrupulosus, non obligari ad confitenda peccata dubia ; Ratio est, quia in dubio debet præsumi, prædictum non peccasse mortaliter ; quare etiam si in eo dubio alij essent obligati, ipse tamen erit ab hoc onere liberandus, ita Sà, Suarez, Granadus, alijque relati à Joann. Sanchez, *disp. 41. n.* 18. & à Castrop. *tom. 1. disp. 4. p. 2. n.* 4.

14. Dico Secundò : Communis opinio *fert*, excepto prædicto scrupuloso, debere omninò pœnitentem subjicere confessioni peccata negativè dubia : Ratio præcipua est illa, quam affert de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *sect. 2.* quia talis est usus, & praxis communis totius Ecclesiæ, cujus praxis cum initium non agnoscatur, affirmari potest, illam Christum Dominum instituisse. Quare si dubius es, an peccatum mortale, v. g. homicidium commiseris, vel certus, quòd commiseris, & negativè dubius, an illud con*fessus* *fueris*, debes in hac sententia illud confiteri.

15. Adest tamen alia opinio maximè Recentiorum negans ejusmodi necessitatem, nisi in fine vitæ, idque in eo dumtaxat casu, quo quis post confessionem, vel contritionem incidit in peccatum mortale, modo dicto, dubium ; tunc enim debet confiteri, vel actum contritionis elicere, ne scilicet è vita decedat cum illo peccato dubio, quod fortasse fuit verè, & coram DEO certò commissum, & nec directè, nec indirectè remissum.

16. Hujus opinionis rationes, quæ excludunt prædictam necessitatem, variæ afferuntur, sed illæ sunt præcipuæ. Primò, quia in casu dubij melior est possessio in favorem pœnitentis. Secundò, quia non debet quis ob culpam dubiam, certò condemnari, obligarique ad tantum onus, quantum est, seipsum accusare, & pro dubia culpa certam pœnitentiam subire. Tertiò, quia ratio Judicij temporalis, ad cujus normam institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, nunquam poscit, ut quis pro delicto incerto pœna certa condemnetur : quæ rationes, & aliæ adductæ à Ferrantino *de scandalo disp. 1. quæst. 77. num.* 30. probant, nec eum obligari ad confessionem, qui scit se actionem fecisse, sed negativè dubitat de ejus qualitate, an scilicet fuerit venialis, an mortalis ? Lege Caramuel, in Theologiæ fundamentali *tertiæ editionis à num.* MCCCLXXXIII. late eam defendentem, & alios apud dictum Ferrantinum citatos.

Pec-

Peccatum probabiliter commissum, vel probabiliter confessum.

17. TErtiò controvertitur de peccato probabiliter commisso, vel probabiliter confesso, de quo accipe sequentes doctrinas, varios casus breviter complectentes.

Prima doctrina. Qui habet probabiles rationes, quòd peccatum mortale non commiserit, & probabiles, quòd commiserit, non teneri, illud confiteri; Ratio est, quia qui operatur secundùm rationes probabiles, prudenter operatur, atque adeò non peccat; semper autem tum hìc, tum in sequentibus est excipiendus finis vitæ, quando per confessionem, vel contritionem debebit ejusmodi peccatum, si fortè coram DEO certò commissum fuerit, expiari modo, quem in simili diximus *n* 15. semper item advertendum est, quòd judicium remanet probabile; potest enim aliquando contingere, ut rationes in contrarium adeò sint probabiliores, ut Judicium non remaneat probabile, sed potius remaneat improbabile, sicuti parva stellula remanet invisibilis, præsente sole.

18. Doctrina secunda. Qui probabiliter scit, se mortaliter peccasse, habet tamen rationes probabiles, quòd illud peccatum rite confessus fuerit, nō tenetur illud confiteri, quamvis habet rationes probabiles, immò probabiliores, quòd confessus non fuerit; Ratio est eadem, ac præcedens; quia nimirum prudenter agit, qui probabilitati, quòd jam confessus fuerit, se cōformat.

19. Doctrina tertia. Qui probabiles rationes habet, quòd non peccaverit, vel quamvis probabiliter sciat, se peccasse; tamen habet probabilitatem; se esse confessum, si nullam habet rationem credendi contrarium, non tenetur; quia hoc multò magis probat prædicta ratio, cum tunc videatur adesse certitudo moralis pro Pœnitente.

20. Doctrina quarta. Qui habet rationes probabiles, quod peccaverit, sed nullam rationem probabilem habet judicandi, se esse confessum, tenetur ad confessionem; quia tunc constat de præcepto confitendi, sed non constat de confessione, atque adeò tunc adest certitudo moralis contra Pœnitentem.

21. Doctrina quinta. Qui certò scit se peccasse, sed est dubius, an illud peccatum fuerit confessus, obligatur regulariter confiteri; Ratio est eadem, immò major contra Pœnitentem.

Dico (regulariter) nam duas exceptiones affert Præpositus *quæst. 5. de integritate confessionis num.* 15. apud Ferrantinum loco supra citato. Primò enim ait, timoratum scrupulosum non obligari confiteri in casu hujus quintæ doctrinæ; quia hic saltem regulariter præsumitur errare in suis dubijs, atque adeo præsumitur jam fuisse confessum: Secundo neque obligari in hoc eodem casu, si diuturnum tempus intercessit intra suam confessionem bona fide factam, moralique examine præcedente, & intra dubitationem, quæ nunc insurgit; Ratio est, quia impossibile moraliter est post diutur-

num tempus positivè recordari omnium, quæ quis confessus est ; remanet igitur, quod solùm non scrupulosus tenetur in hoc dicto casu illud peccatum confiteri ; & quidem tunc, quando parvum tempus intercessit, quia tunc non habet is excusationem, nec ductam à distantia temporis, nec ductam à conditione scrupulorum.

Peccatum confessum, ut dubium.

22. Quartum, quod hîc controvertitur, est de peccato confesso, ut dubio, quando deinde absoluta confessione, advertit pœnitens, illud esse certum ; an scilicet obligetur illud confessum, ut dubium, iterum afferre ad confessionem, ut certum. Quid, si contra, confessum illud sit, ut certum, & deinde, re benè perpensa, cognoscit, esse dubium ?

23. Quò ad prius potest esse controversia, vel de substantia peccati, vel de numero : dixit v. gr. Pœnitens, se sub dubio consensisse turpi cogitationi, sed deinde invenit, certum fuisse consensum : Ecce controversiam de substantia peccati. Vel dixit, se certò quidem consensisse, sed de dubio, an id fuerit ter vel quater, an quinquies, &c. deinde invenit certò fuisse, vel plus, vel minus, ecce controversiam de numero.

24. Porrò loquendo de substantia, probabile jam esse, non teneri ad novam Confessionem, docent Viri docti apud de Lugo *d. 16. de pœnitent. à num.* 81. ita Ferrantinus *loco cit. quæst. 17.* alios citans. Ita novissimè Antonius Perez in opusculo posthumo *de pœnit. disp. 5. cap. 1. num. 7.* verùm contra docent probabiliùs Sanchez, Turrianus, Diana ab eodem de Lugo ibidem citati, afferentes utrinque rationes.

25. Jam verò, loquendo de numero, dico : quando non est magnus excessus, non obligari pœnitentem iterum ad Confessarium accurrere, juxta praxim Fidelium, qui sic confiteri consueverunt, quando nesciunt suorum peccatorum numerum ; *Pejeravi circiter ter, vel quater, pejeravi decies, plus, minus*, nec tamen repetunt confessionem bona fide sic expositam. At verò quando est magnus excessus, debet omninò (si ille excessus advertatur) ad novam confessionem afferri, si v. g. quis dixit : pejeravi ter, vel quater, cùm pejeraverit decies. Ratio est, quia Confessarius absolvit eum numerum, qui humano, & morali modo verificatur in tua Confessione ; At non verificatur, quando est magnus excessus.

26. Si vis edoceri, ad quem numerum se extendat illud, (*circiter*) vel illud (*plus minus.*) Dico, id judicio prudentum demum esse statuendum : sed tamen regula illa dari solet, ut quo minor est numerus peccatorum, quæ, quis confessus est, eò pauciorem numerum complectatur illud (*circiter*) vel (*plus, minus*) quò major, majorem ; exemplo clarior fiet regula ; si v. g. dicas : *Pejeravi circiter decies, vel decies plus, minus* verificabitur, si pejerasti duodecies, vel octies ; at si dicas, *Pejeravi circiter centies, vel pejeravi centies plus, minus* verificabitur, si non solùm pejerasti centum, & duabus vicibus, sed etiam

am verùm, si pejerasti centum, & quinque vicibus; ut etiam, si pejerasti nonaginta quinque vicibus; ratio autem hujus regulæ est, quia hic est sensus moralis, & humano modo intelligi consuetus, ut notat Fagundez *l. 5. de præcept. confessionis cap. 5. num. 9.* Diana *p. 11. tract. 6. Ref* 17.

Illud semper adverte, nos loqui, quando bona fide sic confiteris, quia nescis determinatum numerum; nam cæterum, si illum scias, illum determinatum dicere obligaris, ut nuper *num.* 2. dictum est.

27. Quoad posterius. An scilicet obligetur quis iterum confiteri peccatum, quod ut certum confessus est, sed deinde invenit fuisse dubium, vel quod sub numero determinato, & certo fassus est, invenit deinde, re perpensa, numerum illum dubium esse, cum semper, ut dictum est, bona fide processerit.

28. Respondeo duobus dictis: Dico primò, qui bona fide confessus est peccatum, ut certum, quod deinde comperit, esse dubium, non obligatur, illud iterum confiteri: Ratio est, quia, qui recipit absolutam sententiam de delicto certo, satis intelligitur, accepisse de dubio: ita de Lugo *loc. cit. n.* 77.

29. Dico secundò: qui bona fide confessus est numerum peccatorum, ut certum, se pejerasse v. g. decies, & deinde dubitat, immò etiam scit certò, se pejerasse minus, v. g. octies, pari modo non obligatur ad iterandam confessionem: ratio est; quia in numero majori satis absolvitur numerus minor, & multò minùs obligabitur, si inveniat, se nunquam pejerasse; sic enim non habet peccatum perjurii, quod absolvi possit, & idem dicendum est in eventu numeri præcedentis, de Lugo *ibidem*. Ex eo, quod modò dixi, in numero majori includi minorem; mentem meam subit sequens dubitatio; Titius bona fide confessus est, se furatum esse materiam gravem quater; peracta jam confessione advertit, se ter cum effectu furatum esse, jam in quarto furto habuit quidem animum furandi, sed impeditus à custodibus nihil reipsa furatus est: is ergo nunc à me quærit, an sibi redeundum sit ad Confessarium, ut absolvatur ab hac voluntate furandi?

Respondeo, mihi videri, id opus non esse, quia in confessione jam facta, dum Confessarius absolvit à quarto furto, absolvit etiam à voluntate furandi; nam qui furatur, vult furari; quare qui fatetur, se furatum esse, fatetur etiam, se voluisse furari; si igitur absoluta jam fuit hæc peccaminosa voluntas inclusa in furto, necessaria nova absolutio non erit; supponimus autem nec discontinuatam fuisse voluntatem furandi, juxta communem doctrinam de retractatione actuum, &c. sic mihi videtur respondendum, quod tamen Doctorum judicio submitto.

An taceri sine infidelitate aliquod mortale in confessione possit?

30. Quintò controvertitur, an id aliquando liceat; atq; adeò liceat aliquando dimidiare Confessionem?

nem? De mortali sermo est, nam de veniali diximus in superioribus *à n.* 3.

31. Respondeo, in tribus eventibus licere: primò, quando adest impotentia physica; ut si quis loqui non valeat, sive ex vicina morte, sive ex proximo naufragio; ut si quis sit mutus, ut si quis ignoret linguam Confessarij, nec adsit alius Confessarius, immò nec interpres (de quo casu interpretis, dictum est supra *cap. 4. num. 11.*) In his enim casibus dicatur, quantum potest, & absolvatur: de morituro alienato à sensibus diximus *cap. 1. num. 25.*

32. Secundò, tacetur licitè mortale, si adsit impotentia moralis: hæc autem est quoties aliquis prudenter ex Confessione alicujus peccati timet sibi, vel alteri notabile damnum; nam cæterum ex confessione illorum, unde hujusmodi damnum non timetur, nunquam taceri mortale posse, nimis est manifestum: casus autem tacendi ex hoc capite impotentiæ moralis solent a Doctoribus sequentes afferri: Primò, quando Pœnitens rationabiliter timet à confessario revelationem sui peccati: Secundo, quando puella v. g. timet rationabiliter à Confessario, quem solùm potest habere, se esse sollicitandam, vel se in peccatum esse lapsuram. Tertio, quando quis est nimis scrupulosus, tunc enim præstat, aliqua potiùs omitti, quàm confessionem reddi nimis onerosam, & Pœnitentem subire grave sanitatis, vel desperationis periculum: Lege id distinctiùs apud Suarium *de Pœnitent. disp. 23. sect. 2.* Castropalaum *T. 1. disp. 4. p 2. n. 47.* Pellizzarium *de Monialib. cap. 10, à num. 204.* Quarto, quando confessarius timet infici gravi morbo contagioso, si omnia audiat, nec potest à longè audire. De casu, in quo complex esset manifestandus, dicam mox *c. 12.*

33. Sunt autem quinque diligenter pro dictis adnotanda: *Primo* illud peccatum, quod ob excusationem aliquam ex prædictis tacuisti, debes omnino, ubi excusatio cessat, confessario aperire, ut de illo ritè absolvaris, & directè: idque, vel ante Sacram Communionem, vel in confessione ex præcepto: Secundo, cum dicimus, periculum gravis mali te excusare, intelligendum est de damno extrinseco confessioni, nam te nequaquam excusat damnum tuæ famæ apud confessarium, vel magna erubescentia in tuo peccato confitendo, quia hæc sunt intrinseca confessioni quibus non obstantibus, Christus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum instituit. Tertio, si commodè potest differri confessio differatur, non enim licet confessionem dimidiare; si, ut integrè fiat, potest ea in tempus competens differri: Quarto, quando habes casus reservatos, non potes solùm absolvi à reservatis per Superiorem potentem eos absolvere, & cætera mortalia tacere, dicturus illa inferioriori confessario: nec potes confiteri non reservata huic inferiori, & reservata remittere ad Superiorem; Ratio est quia sine necessitate dimidiaretur confessio, tunc ergo vel omnia manifestes Confessori Superiori, & per illum ab omnibus absolvaris, vel obtineas ab illo potestatem, ut inferior possit ea reservata absolvere, &

per

per hunc ab omnibus integrè absolvaris.

Quintò, displicentia, seu dolor pro confessione, in qua aliquorum peccatorum, propter prædictas excusationes, manifestatio non fit, debet non solùm esse de peccatis, quæ manifestantur, verùm etiam de illo, vel de illis, quæ tacentur; debet enim dolor cadere, ut supra diximus, super omnia mortalia.

34. Tertiò, tacetur in confessione peccatum sine peccato ob ignorantiam, vel errorem; quando enim quis propter oblivionem inculpatam, vel inculpatum errorem tacet aliquod mortale, sanè propter illam bonam fidem non peccat, & directè absolvitur à ritè manifestatis, sed indirectè ab alijs: supponimus autem motivum doloris fuisse, ut modò dictum est, universale. Tacita tamen, quando menti occurrent, debent omninò confessario manifestari, & ab illis directè absolvi, ut etiam modò dictum est.

Remedium pro eo, qui tacuit peccatum cum peccato.

35. INquires hac occasione, si quis ab hinc multo tempore aliqua mortalia mala fide tacuit in confessione: vel in re gravi, juxta superiùs dicta, mentitus est; interim verò multas confessiones peregit, semperne in illis confessionibus sacrilegè peccavit? Quod si semper peccavit, quid nunc remedij?

36. Respondeo cum necessaria distinctione: nam si anno superiore v. g. tacuisti peccatum, vel graviter in confessione mentitus es, tanè mortaliter, & sacrilegè peccasti, unde primò, hoc peccatum, & simul etiam omnia peccata, quæ in illa confessione aperuisti, debes confiteri, quia non fuerunt ritè absoluta: Secundò, confiteri etiam debes mortalia, quæ commisisti toto illo anno; illa enim nunquam fuerunt remissa, obstante nimirum sacrilegio, cum quo confitebaris. Tertiò, confiteri etiam debes numerum confessionum, quas toto illo anno cum dicto sacrilegio, seu sub dicto sacrilegio exhibuisti. Quartò, numerum etiam communionum debes confiteri, quas sacrilegè, toto illo tempore, suscepisti: Ratio horum perspicua est, quia semper peccabas, dum memor illius primæ confessionis perperam factæ, Sacramenta Confessionis, & Communionis temerè suscipiebas.

37. Si verò in dictis consequentibus Confessionibus oblitus fuisti illius primi sacrilegij, & ad dictas consequentes confessiones cum debito dolore legitimè accessisti; non est necesse, repetere dictas consequentes; quia illæ bona fide factæ sunt, unde & validæ fuerunt. Satis igitur in eo eventu erit, repetere illam primam Confessionem, & illa sacrilegia, & peccata, quæ cum dicta recordatione confessus es, nam cæteræ propter inculpatam oblivionem, si in alio non defecère, validæ fuerunt, & licitæ.

CAPUT X.

Frequens.

1. DE consilio quidem est confessionis frequentia præter illam, quæ fieri semel debet in anno, & in fine vitæ: quoniam hæc frequentia maximè est in causa, ut sæpe quis peccata venialia, vel mortalia aliàs remissa, confiteatur in genere; ideo hac de re proprius est hic agendi locus.

Confessio peccati in genere.

2. PEccato mortali carens variis modis peccata in genere confiteri potest, qui ad sequentes reducuntur.

Primò sic: *Fateor mea mortalia olim commissa, & ritè absoluta, seu ritè confessa.*

Secundò: *Fateor mea venialia commissa olim, & rite absoluta.*

Tertiò: *Fateor mea venialia peccata.*

Quartò: *Fateor mea olim commissa, & absoluta peccata contra castitatem v. gr.*

Quintò: *Fateor mea peccata, aliàs ritè confessa, seu absoluta.*

Sextò: *Fateor mea venialia, mendacia v. gr.*

Septimò: *Fateor mea peccata venialia commissa post ultimam confessionem.*

3. Inquirimus ergo: an in dicto casu, quo quis mortalibus caret; omnes hi modi validam faciant, & licitam confessionem?

Et quidem dico primò, quod validam faciant in necessitate, certum esse, quia in proximè morituris, quando quis expressiùs loqui non valet, illam praxis Ecclesiæ tutissimè admittit.

Ergo dico secundò: si tunc valida est, ut certè est, fore etiam validam semper in prædicto eventu, quo quis recentia mortalia non habet: Ratio est, quia in Sacramentis illa materia, quæ semel validè affertur, semper, & in quocunque casu valida est, & sufficiens; nam nulla necessitas facere potest materiam, illud, quod materia non erat: ut, quia vinum v. g. est materia consecrationis; aqua Baptismi, propter nullam necessitatem suppleri potest ab alia materia, ut expressè docent omnes Theologi, quorum aliqui videri possunt apud Dianam *d. 3. tract. 4. resol. 66.* Si ergo peccata in genere sine explicatione speciei, & numeri non essent materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, nulla necessitas dicta in proximè morituro sufficientem materiam facere posset illa peccata in genere, sed sufficiens est in eventu necessitatis ex praxi Ecclesiæ, ut diximus; ergo & in omnibus quibuscunque eventibus.

4. Dico tertiò, valde probabile esse & tutum, prædictam confessionem licitam esse; modò semper supponatur, adesse dolorem, sive actualem, sive virtualem non retractatum, & alia requisita, juxta superius dicta.

Probatur hæc Doctrina primò ex S. Thoma, qui *in 4. dist. 16. & 17. q. 1. & q. 4.* videtur, hanc sententiam approbare, dum sic ait: Religiosi, quibus imponitur de præcepto menstrua cõfessio, si carent mortalibus, non teneri in particulari confiteri venialia, sed tantùm in communi, &c. ita D. Thomas, licèt

licèt dictum hoc non placeat Escobar *lib. 13. Theol. Mor. c. 6. disp. 18.*

Secundò, quia quando materia Sacramenti est quoad validitatem sufficiens, licitè etiam semper illa uti possumus, si aliquod præceptum, vel aliquod inconveniens non obstet; at nihil obstat in casu nostro; ergo, &c.

5. Non enim obstat præceptum ullum, quia illud afferri non potest; nec ullum obstat inconveniens, quia cum peccata venialia, vel mortalia remissa voluntariè subdantur Confessioni, non est inconveniens, illa separatim, & in individuo non confiteri.

6. Dices, obstat Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3. & Can. 7.* ubi dicitur, Peccatorem teneri ad declarandum in Confessione omnia, & singula peccata, tum quoad species, tum quoad numerum, tum quoad circumstantias saltem speciem mutantes.

Respondeo primò: Si hic textus aliquid contra probabilitatem hujus sententiæ probaret, probaret etiam id in necessitate, quando quis, magis se explicare non valet.

Respondeo secundò: Concilium ideo ibidem addit omnia, & singula mortalia etiam cogitationes in confessione manifestari debere; quia ea reddunt homines filios iræ: subsumo; sed nostra, de quibus agimus peccata, non reddunt homines filios iræ; ergo de his Tridentinum non loquitur. Ad hanc Tridentini dispositionem limitari ab omnibus, ut non cadat in peccata venialia, quia, hæc, ut nimis sæpè dictum est, confiteri non tenemur; Simili ergo modo nos eandem dispositionem limitare possumus, quòd non loquatur de peccatis confessis in genere, quando mortalia prælentia non adsunt.

7. Dices iterum, esse inconveniens, quòd Sacerdos, qui debet ferre judicium, & sententiam, nesciat peccata, nisi in genere, & non hæc, & illa determinata, unde & nesciat pœnitentis statum.

Respondeo, inconveniens adesse certè, si locutio sit de mortalibus, nondum absolutis; sed de venialibus, vel mortalibus remissis aliàs, & confessis, nullum est inconveniens; quia secus etiam in necessitate id requireretur. Satis igitur est, si Sacerdos sciat, pœnitentem peccasse, veniam nunc petere: statum autem ejusdem sufficienter cognoscit, dum ex confessione dumtaxat venialium, & mortalium remissorum, videt, ipsum non esse filium Iræ, & inimicum DEI.

8. Hanc sententiam latè defendit Delgadillo *de Pœnit. cap. 14. dub. 6.* & iterum *cap. 17. dub. 44.* eam etiam tenet in aliquo modo ex prædictis (sed certè eadem est ratio de omnibus) Dicastillus *de Pœnitent. cap. 14. dub. 9. num. 731.* Leander *tom. 1. tractat. 5. d. 3. quæst. 35.* & Diana *p. 11. tract. 5. resol. 24. & res. 53.* sed idem Diana *ibidem tract. 7. res. 35. in fin.* videtur esse sibi contrarius, nam in aliquo ex prædictis modis negat: favet item prædictæ sententiæ Sylvester *v. Confessio quæst. 13.* Favet Gobat *in Clypeo Clementiorum Judicum n. 229.* Favet Alensis ab eodem Gobat, & a Sylvestro ibidem citatus, esto neget Calpensis apud Dian. *dict. res 35.*

9. Nota, Suarium *de Pœnitent. disp. 23. sect. 1. num. 10.* dicere prædictam sententiam esse probabilem speculativè, sed non practicè; ad quod dictum respondet Dicastillus *loc. citat.* in hunc ferè modum; si hæc sententia est (*inquit*) speculativè probabilis, erit etiam practicè, quia tunc, quod est probabile speculativè, deduci non potest in praxim, quando aliquid novi consideratur adesse in praxi, quod illud improbabile reddit; id quod nullo modo adest in casu prædictæ sententiæ, ut modo nos diximus *à n. 6* & latè probat idem Dicastillus *ibidem.*

10. Quæres, si quis ita confiteatur, *Fateor peccata mea*, nihil aliud addens, legitimene extra necessitatem confitebitur?

Respondeo, legitimè, quantum est ex capite Sacramenti Pœnitentiæ; ut probat argumentum ductum à tempore necessitatis, in quo aliud pœnitens addere non valet; at ex alio capite peccabit graviter confessarius, si hunc statim absolvat: quia per hæc sola verba tam universaliter dicta non intelligit, hunc sic confitentem carere mortalibus, nisi aliquid ampliùs addatur, ut fuit modò in casu dicto *n. 7.* in fine.

11. Quæres iterum: Qui carens mortalibus, sic, vel simili modo confitetur, *Fateor aliqua mea peccata venialia*, vel *fateor aliqua mea peccata mortalia, aliàs confessa, & ritè remissa*, rectene confitetur?

12. Respondeo. Ad hanc quæstiunculam, his verbis in simili respondet Delgadillo *loc. cit. cap. 17. n. 91.* non approbo (ait) modum confitendi aliquorum, qui fortè ex inadvertentia dicunt: me accuso de duobus, aut tribus mendacijs v. g. vitæ præteritæ; isti enim non præbent materiam determinatam (supposito, quod commiserint plura mendacia) quia Disjunctiva illa habet vim relinquendi indeterminatam unam, & aliam partem illius propositionis: sicuti neque consecraret, qui habens coram se multas hostiolas; vellet consecrare duas, vel tres ex illis, si illas non determinaret. Hæc ille. Quoniam verò eadem est ratio de confitente aliqua venialia, vel aliqua jam remissa mortalia, sic enim non datur materia determinata pro absolutione, ideò nec ejusmodi confessionem approbaret Delgadillo.

13. Verum huic discursui respondèri sic posset. In Sacramento Pœnitentiæ, jam dixit modò idem Author, validè confiteri quempiam, dicendo in genere, se peccasse venialiter. Hacigitur Doctrina admissa; dico, esse materiam determinatam in casu, de quo loquitur; quia in Sacramento Pœnitentiæ pro non habente mortalia, satis determinata est materia ipsum peccatum in genere; Disjunctiva ergo illa licèt relinquat indeterminatum, quodnam mendacium v. g. absolvendum sit, determinatum tamen est peccatum in genere; qui enim duo vel tria peccata venialia fatetur, jam dicit, se habere peccata; non ita in consecratione dictarum hostiarum; nam in confectione Eucharistiæ non consecratur hostia in cõmuni, sed hæc: quare mirum non est, quòd nulla consecretur, si hæc non determinetur.

CA-

CAPUT XI.

Nuda.

1. SI sensus hujus qualitatis sit, quòd Pœnitens debeat in confessione totam suam conscientiam aperire, ac manifestare omnes suas pravas propensiones, omnesque negligentias in via Domini; & similia: Consilium id erit ab omnibus certè cum laude observandum, ut scilicet Confessarius tuus non solùm sit Judex tuorum peccatorum, verùm etiam Pater spiritualis per omnes partes promovens ad meliora.

2. Si verò sensus sit, quòd Pœnitens debeat aperire (quando juxta prædicta excusationem non habet) omnia sua mortalia, eorúmque species, ac numerum cum circumstantijs illis, quæ speciem mutant, est de necessitate, ut loco citato declaravit Tridentinum, & nos suo loco mox latè disseremus.

3. Nuda item debet esse confessio, quia carere debet verbis, & narrationibus inutilibus, & ad peccatorum explicationem minus pertinentibus. Is cerè mulierc̃larum communis esse solet error, ut supra etiam indicavimus.

CAPUT XII.

Discreta.

1. DIscretionis virtus, quæ est pars subjectiva prudentiæ, discernit inter multa id, quod eligendum potiùs est; Pœnitens ergo dum explicat sua peccata, debet discernere peccata sua ab alienis, ne dum se accusat, alios sive directè, sive indirectè accusare inveniatur: sed ecce celebris difficultas, an aliquando pœnitens debeat, vel saltem licitè possit ad sui peccati speciem aperiendam, aperire sui socij peccatum, & sui peccati objectum?

2. Duobus exemplis clariùs evadet punctum difficultatis: Primum, Titius v. gr. peccavit cum Matre sua, Confessarius autem probè novit Titium non habere aliam consanguineam, nisi matrem; debet ne Titius dicere in sua confessione, se incestum commisisse? si enim sic dicat, manifestat peccatum suæ Matris, quæ fuit peccati socia, seu complex.

Secundum Exemplum, Filius dat venenum Matri gravidæ ex adulterio, debetne ejusmodi filius manifestare confessario adulterium matris, ut explicet suum peccatum homicidij, fœtus fortasse animati, & peccatum matricidij? Vides? In priori exemplo mater est socia peccati filij; in posteriore autem est objectum peccati ejusdem filij; non socia.

3. Respondeo, & dico primò, tum in priore, tum in posteriore exemplo: quando filius commode habere, vel expectare potest confessarium, qui non novit matrem, peccat contra famam matris cum obligatione restitutionis famæ, si illius peccatum confessario manifestet; Ratio est, quia tunc sine ulla necessitate matrem infamat: Expectare autem Confessarium, qui matrem non noscat, certe non diù debet, satis

est per unum, vel alterum diem; secus magnum incommodum esset, si per plures dies remanere deberet inimicus DEI. Lege de Lugo *disp. 16. de Pœn. sect. 7. n. 416.*

4. Dico secundò, si haberi non potest Confessarius, matrem non cognoscens, est probabile, posse licite Pœnitentem ad sui peccati necessariam speciem explicandam propalare Confessario prædictam societatem, vel prædictum adulterium maris, sed est etiam probabile, licite non posse.

5. Ratio, quòd licite possit, illam ego potiorem judico: quia Christus Dominus instituit hoc pœnitentiæ Sacramentum cum obligatione manifestandi sua peccata Confessario, non obstante, quòd Pœnitens, se ipsum infamet apud Confessarium; ergo multò magis illud instituit cum obligatione manifestandi alienum peccatum, quando hæc manifestatio est necessaria ad explicandam peccati speciem: probatur hæc consequentia, quia strictiùs est Jus, quod ego habeo ad meam famam tuendam, quàm ad tuendam alterius: ut patet; quia licite possum propalare crimen verum proximi, quando id necessarium est ad defendendam meam famam: quare fama alterius cedit famæ meæ: Si ergo, non obstante mea *fama*, confiteri integre mea delicta cum suis speciebus debeo; multò magis debebo in casu de quo loquimur; non obstante *fama* alterius; Adde complicem videri cessisse juri suæ *famæ* in ordine ad tuam Confessionem, quando ipse tecum peccavit, quia sciebat, te Christianum esse, & ad Confessionem accessurum, nec posse perfectè confiteri, nisi manifestando peccatum suum, & tamen tecum peccare consensit.

6. Hanc eandem sententiam cum ejus ratione extendunt nonnulli, ita ut censeant, solùm propter solidam consolationem, quam quis sentit ab amico, vel docto suo Confessario, posse pœnitentem non expectare, nec quærere alium, qui suum complicem non cognosat, id quòd satis sit innuisse; nam legi poterit Reginaldus *lib. 24. n. 75.* alios referens, & Tannerus *22. disp. 448. dub 7. num. 138.* testans, Doctrinam hanc esse probabilem.

7. Jam verò ratio, quòd manifestari prædictum peccatum cum alterius famæ denigratione non possit, est, quia non debet infamari proximus, etiam ad propriam famam tuendam, nisi quando in necessitate alio modo tueri nequeat, unde in hoc solo necessitatis casu, solùm potest reus publicare testium vera delicta, ut omnes Theologi docent: At in nostro casu possum alio modo reconciliari Deo absque matris v. g. prædicta infamia, ergo &c. Minor probatur, quia in illo eventu, in quo expectare non possum Confessarium non cognoscentem matrem meam, possum confiteri cum legitimo, & universali dolore illud diminutè, dicendo, v. g. *fornicationem commissi, gravidam occidi*: Nam sic absolutionem obtinebo indirectè de incestu, & de matricidio, homicidióque, quo pacto faciam confessionem integram formaliter, licèt non materialiter, cum obligatione tamen confitendi explicitè hæc indirecte

de absoluta, quando nanciscar Confessarium, matrem meam nequaquam cognoscentem, lege Suarez *de Pœnitent. disp. 34. sect. 2.* Vasquez *de Pœnitent. q. 91.* Coninch. *de Pœnitent. disp. 7. dub. 9.* aliósque apud ipsos.

8. Hæc ratio commoda est, redditque sententiam hanc secundam sanè probabilem, non tamen dejicit primam à sua probabilitate. Nam hujusmodi remedium esset per se contra perfectam integritatem confessionis, atque adeò quamvis in aliquo casu possim uti hoc extraordinario remedio; non tamen videor posse ad id cogi, ita ut non valeam primam sententiam sequi.

9. Quæres, si non possum confiteri debitam speciem mei peccati venialis, sine complicis gravi infamia, possumne licitè in prima sententia, cum infamia proximi dictam meam speciem peccati venialis declarare? Ego v. g. peccavi venialiter, resistendo cum levi negligentia meæ sorori, me sollicitanti, possumne licitè dicere Confessario: Adhibui levem negligentiam sollicitationi meæ sororis?

10. Respondeo non posse, quia peccata venialia non obligamur confiteri; quare, si non apparet aliqua alia peculiaris, gravisque ratio magni boni Pœnitentis, vel aliqua causa petendi grave consilium, non poterit à tali Pœnitente eligi Confessarius, dictam sororem cognoscens, quia tunc non appareret ulla necessitas aperiendi peccatum alienum. Ita Joann. de Lugo *loc. cit. num.* 411. sed lege Verricelli *tract. 8 resol quæst.* 19. qui videtur adversari dictæ Doctrinæ Joannis de Lugo; Lege tamen Dianam *p. 11. tract. 4. res.* 41. eam defendentem.

11. Denique hìc adverto, Antonium Perez *in opusculo posthumo tract. 3. disp. 5. num.* 45. approbare quidem Doctrinam *à nob. num.* 4. dictam pro primo exemplo, hoc est, pro casu complicis, sed non pro exemplo secundo, hoc est, pro casu objecti peccati: in hoc enim nunquam, ait, manifestari posse in prædicta confessione ejusmodi objectum: quamvis enim in priore, v. g. casu, mater sit nocens cum filio, in posteriore tamen mater non est nocens respectu filij, unde non est digna, quæ infametur à filio, verùm nos dicimus in illa probabili sententia num. 4. allata, in utroque casu militare universalem eam rationem, quod Christus Dominus instituit hoc Sacramentum, non obstante fama alterius, quando secus explicare quoad speciem peccatum suum, non potest pœnitens: & in utroque casu, & semper debere probabiliter *f*averi integritati confessionis potiùs, quàm cuicunque *f*amæ alterius, si utrumque nempe integritas confessionis, & alterius *f*ama in dicto casu salvari non possunt.

CAPUT XIII.

Libens, verecunda.

1. NOn sufficit, quòd adultus recipiens Sacramentum Pœnitentiæ, quomodocunque non resistat, sed etiam opus est, ut libens positivè consentiat, seu voluntatem habeat, illud re-

recipiendi : id quod commune est receptioni cujuscunq; Sacramenti, quàm faciat adultus ; nam secus etiam dormiens validè reciperet Sacramentum ; tunc enim non resistit, ut latè disputatur in tractatu de Sacramentis.

2. Si quis tamen trahatur ad confessionem timore Magistri, vel Domini, vel timore excommunicationis, vel infamiæ, & valida erit confessio, & licita ; si tamen ritè omnia mortalia, cum debito dolore confiteatur, siquidem tunc jam adest voluntas suscipiendi Sacramentum, & remissionem suorum peccatorum, qui est principalis finis confessionis.

3. Quoad qualitatem verecundiæ, solùm est admonendus, tum pœnitens, tum Confessarius in uno ; Pœnitens, ne peccata aperiat cum audacia, sed cum erubescentia, & verecundia, qualis eum decet, qui eum se esse, profitetur apud tribunal Dei. Confessarius, ne tantam verecundiam excitet in pœnitente verbis asperis, & dictis, ut illum deterreat cum periculo, se subtrahendi à confessione.

Quòd si aliqua opus sit reprehensione, illam differat ad confessionis finem, eandémque peragat, prout recta ratio, & benigna prudentia dictaverit.

CAPUT XIV.

Integra.

1. MUltum necessaria est hujus qualitatis notitia, & est explicatu difficilis multum.

Supponendum autem est, duplicem esse integritatem confessionis ; materialem alteram, alteram formalem : materialis est, quando ea fit de omnibus peccatis, prout in re commissa fuerunt : formalis est, vel quando pœnitens aperit quidem omnia peccata, quæ memoriæ, post diligens examen, ipsi occurrunt, & tamen aliqua per inculpatam oblivionem omittit ; vel quando, licèt illorum recordetur, habet tamen (ut in casibus nuper positis *cap. 8. à num. 35.* explicatum est) prudentem excusationem illa tacendi.

2. Porrò certum est apud omnes, materialem integritatem non esse necessariam ad consistentiam Sacramenti pœnitentiæ : Patet in moribundo, qui, quando loqui non valet, validè absolvitur, si aliqua peccata fateatur, cætera verò in dicta confessione taceat : certum item est, integritatem formalem esse omnino necessariam ; debet enim absolvendus omnia peccata à se commissa confiteri, quæ potest, ex Concilio Tridentino toties citato. Spectant autem ex dicto Tridentino *sess. 14. cap. 5. & Can. 7.* ad hanc integritatem tria, Primò, ut manifestetur species peccatorum ; Secundò, numerus eorundem, Tertiò, circumstantiæ mutantes peccati species. Jam de singulis.

Species peccati aperiendæ.

3. SPecies diversæ peccatorum, vel possunt physicè sumi, vel moraliter : physicè accipiuntur, cùm consideratur ipsa entitas naturalis actionis peccaminosæ : divinare futura v. g. per ignem, differt physicè à divinatione per

peraquam, vel per avium volatus: occisio hominis gladio, differt physicè ab occisione per venenum: ejusmodi enim actiones habent entitatem physicè diversam: moraliter autem accipiuntur, cùm consideratur specialis malitia ex variis adjunctis, quæ talem actionem afficiunt, quam malitiam recta ratio diversam judicat; furtum rei sacræ v. gr. differt à furto communi: non quidem physicè, quia utraque actio furtiva est, sed differt moraliter, quia propter illud additamentum rei sacræ judicatur à recta ratione multum differre in malitia illud ab hoc: Pari modo esus carnium idem physicè est, sive illæ comedantur die vetito v. g. die veneris, sive die non vetito v. g. in die Dominico: & tamen longe differunt moraliter; siquidem ille propter conjunctionem præcepti Ecclesiastici mortalem malitiam habet, hic ne venialem quidem.

4. Dicimus ergo, ad integritatem confessionis non pertinere diversitatem speciei physicam peccatorum, sed moralem: unde quòd tu divinaveris per ignem, vel per aquam, non est necesse, quòd explices in confessione; quia hæc est diversitas physica dumtaxat: at obligaris aperire, te furatum esse rem sacram, v. g. Calicem; quia hæc est diversa species in esse morali, & in ratione malitiæ, ut etiam esset esus carnium in die veneris.

Unde cognoscatur species moraliter diversa.

5. HOc profectò semper difficile fuit cognoscere; & caput difficultatis est, quia non sufficit ad id bene cognoscendum, Regula, quæ communiter afferri solet, quamque nos *n.* 7. mox afferemus, nisi addatur studium, & multorum Authorum accurata lectio.

6. Præmittendum ergo est, aliquando humanis actionibus addi aliquas circumstantias, quæ dictas actiones non in alia physica specie, sed in alia specie morali constituunt, ut dictum est de furto, cui si addatur circumstantia rei sacræ, præter malitiam furti communis, ponetur in alia specie morali, hoc est, in specie sacrilegij. Sic etiam si fœminæ à te cognitæ addatur, illam esse tuam consanguineam, præter malitiam fornicationis habebit talis actio moralem speciem incestus: aliquando autem dictæ circumstantiæ, quæ tuæ actioni humanæ adduntur, non constituunt actionem in alia specie morali, sed solùm illam in malitia aggravant, vel diminuunt. Sic furtum decem aureorum est in specie furti; quòd si addas circumstantiam majoris quantitatis v. g. furtum fuisse duodecim aureorum; non extrahetur ad aliam diversam furti moralem speciem, sed solùm adderur circumstantia aggravans: ut item, si addas circumstantiam minoris quantitatis v. g. furtum fuisse quinque aureorum, addetur circumstantia diminuens: pari modo, si occidas parvo odio, vel magno, hoc est, remisso, vel intenso tuum inimicum, addes quidem circumstantiam aggravantem, vel minuentem, non tamen diversam moraliter speciem.

7. His prælibatis, illa solet regula communiter afferri; tunc circumstantia dicitur mutare speciem moralem, seu transferre actionem ad speciem aliam, quando ea circumstantia pertinet ad aliam virtutem, seu vitium; tunc verò non dicitur transferre actionem ad aliam speciem, quando non pertinet ad aliam virtutem, seu vitium: quoniam ergo circumstantia rei sacræ pertinet ad cultum Religionis, seu ad Religionis virtutem; ideò si addatur communi furto, mutabit, seu transferet furtum ad speciem furti sacrilegi: at quia circumstantia majoris, vel minoris quantitatis ablatæ, non pertinet ad aliam virtutem, seu vitium; semper enim est contra Justitiam, sive major sit quantitas ablata, sive minor, ideò non additur alia moralis species: quæ verò pertineant ad aliam, quæ ad eandem virtutem, colligi debet ex ipsis materijs virtutum, vel vitiorum; id quod, habebitur ex tractatione de virtutibus, & vitijs; & multò magis ex Doctoribus, qui sunt studiosè legendi: quod cùm Tyronibus sit laboriosum, ideò modò dixi, difficilem fore minus expertis perfectam cognitionem rei, de qua loquimur: nos certè satis plura docebimus, huc facientia in sequentibus.

Circumstantiæ mutantes, vel non mutantes speciem.

8. CErtum est, & colligitur ex dictis, in eodem actu posse esse multiplicem malitiam, specie morali diversam, & hanc esse omninò Confessori aperiendam: in furto rei sacræ v. g. est species malitiæ furti, & est species malitiæ sacrilegij; in actu fornicationis contra votum castitatis est species malitiæ contra ipsam castitatem, & species malitiæ contra promissionem factam DEO, id est, contra Religionem: quare in confessione non est satis, dicere: *Ego furatus sum, ego peccavi contra castitatem*; sed dicere opus erit: *Ego furatus sum rem sacram; Ego peccavi per fornicationem v. g. contra votum, quod habeo castitatis*: atque hæc de circumstantij speciem aliam constituentibus: quid autem sit dicendum de circumstantijs, speciem moralem non mutantibus, jam subdo.

9. Duplex de his est opinio; Suarez, Sanchez, Fagundez, alijque citati à de Lugo *de Pœnitent. disput. 16. sect. 5.* sustinent, circumstantias notabiliter aggravantes, vel notabiliter diminuentes, quamvis speciem non mutent, debere aperiri in confessione. Debet ergo (ajunt hi) dicere pœnitens: *Furatus sum v. g. mille*, si mille furatus est; *vel furatus sum decem*, si decem furatus est; rationem illam inter cæteras præcipuè reddunt, quia Confessarius, qui est Judex, debet omnia cognoscere, quæ mutant ipsius judicium pro, vel contra Pœnitentem.

10. Verum S. Thomas, Valentia, Vasquez, quos citat ibidem, & sequitur de Lugo, ajunt, necesse non esse illas aperire, quamvis sint notabiliter aggravantes, vel diminuentes; Ratio est, ajunt; quia non est imponendum tam grave onus, nisi constet de lege, quæ de hoc nulla est; cùm Concilium Tri-

Tritentinum solùm aperiri dicat ex necessitate species, & numerum peccatorum, nihil de reris circumstantijs: & quidem meritò; nam hoc judicium in Sacramento Pœnitentiæ debet esse suave jugum pro Christianis, quod certè nimis grave esset, si etiam dictas circumstantias explicare juberentur; utraque sententia probabilis est; hæc autem posterior est hominum fragilitati accommodatior.

NUMERUS.

Et primò,

De pluralitate individualis malitiæ.

11. DIximus paulò ante, numerum peccatorum esse aperiendum; & quidem *cap. 9. à num. 30.* satis explicavimus, quando præcisus numerus menti non occurrit, quomodo benè addatur illud (*plus, minus*) & similia; nunc tamen sufficit in proprio loco aliquot dubitationes resolvendæ, admodum scitu necessaria.

Et prima quidem dubitatio est hujusmodi: dictum modò, & sæpe est, species morales malitiæ, quæ residen in eodem actu esse expresse confitendas: jam quid dicendum de multiplici individualitate malitiæ; seu, quod idem est, & de multis numero malitijs, quæ in eodem actu non ratò inveniuntur; vulneraſti, seu occidisti uno actu, unica v. g. bombardæ explosione, viginti homines ejusdem conditionis; sufficitne in hoc unico actu occisionis viginti individuales malitiæ, an una dumtaxat? Et quomodo confitendæ? Sane, Suarez *de Pœnit. disp. 22. sect. 5. à num. 34.* putat, esse unam: Vasquez *de Pœnitent disput. 91 artic. 1. num. 4.* putat, esse viginti: Antonius Perez, aliique *in opere posthumo de integritate confessionis* putant, esse unam, sed virtualiter, seu æquivalenter viginti.

12. Sed nos omittentes hanc quæstionem speculativam, dicimus, sive in eodem actu sedeant plures individuales malitiæ, sive una, dicimus, inquam, non esse opus, ut Pœnitens has malitias individuales explicet; satis igitur in exemplo allato erit, sic dicere: *Ego unico ictu seu unica actione occidi plures*, nec opus est, ut si fortè fuerint quindecim v. g viginti, triginta, &c. hunc numerum adjungas: quòd si occidisti tantùm hominem unum, non potes dicere: *occidi plures*; idque propter aliam rationem; quia scilicet non fatereris tuum unicum peccatum, & sic in confessione mendacium in re gravi proferres; neque item potes dicere; *commisi homicidium*; si plures occidisti, nam Confessarius sic intelligeret, unum fuisse occisum: at verò quando occidisti unico actu plures, & fateris, te plures occidisse, jam in alia pluralitate, & generalitate fateris tuum peccatum, nec mendacium in confessione profers.

13. Adverte, si in illis pluribus unico actu interfectis, adsit fortè aliquis v. g. Sacerdos, id debet à te omninò declarari, quia tunc in illo unico actu alia specifica malitia contra virtutem Religionis adderetur; nam ideò modò, numero præcedente dixi (homines

mines ejusdem conditionis) & eodem modo dic in similibus.

Ratio autem, quòd probabile admodum sit, non esse opus prædictas individuales malitias explicitè confiteri, quod latè defendit de Lugo *de Pœnit. disp.* 17. est; quia, ne redderetur hoc Sacramentum nimis onerosum, & scrupulis obnoxium, Christus Dominus noluit præcipere, ut in confessione explicarentur expressè omnes numero malitiæ, quæ fortè in aliquo peccaminoso actu resident: idque nobis declaravit Concilium Tridentinum, quod, ut supra vidimus, solùm ait, esse confitendas species diversas, & numerum peccatorum: de diversis autem numero malitijs, ne verbum quidem addidit.

14. Quod diximus de occidente unico actu plures, dic in similibus: quare si quis uno actu desiderat turpem congressum cum multis mulieribus, sive quinque sive decem, sive pluribus ejusdem conditionis v. g. solutis, satis dicet Confessori; *Ego uno actu desideravi turpiter multas solutas*: si desideravit occidere decem, quinque, plures, communes homines, satis dicet: *Desideravi unico actu occidere plures*: si animo decrevit, decem, viginti, plures dies Quadragesimæ v. gr. non servare jejunium, satis dicet: *unico desiderio, seu uno voluntatis actu decrevi, non jejunare multis diebus Quadragesimæ*: Quòd si actu non jejunavit, tunc enim verò debet dictum numerum explicare, quia sic non est unicus actus, in quo resident multæ individuales malitiæ, sed sunt plures numero actus, quot nimirum fuerunt dies, in quibus actu non jejunavit: idem dic, si illas plures solutas cognovit, quia tunc sunt plures numero actus fornicationis, & sic in aliis.

15. Denique illa duo documenta semper ob oculos habe. Nam primò, si Confessarius interroget pœnitentem, debet is omninò expressè manifestare dictas individuas malitias, ut etiam circumstantias non mutantes speciem (ut id etiam hac occasione dicam) hæc enim, & similia pertinent ad Confessionem, ut supra docuimus.

16. Secundò, aliquando etiam non interrogatus, in aliquibus casibus, debet pœnitens ex se declarare prædicta. Fac enim excommunicationem latam esse contra occidentem plures, vel furtum commune ultra centum aureorum esse peccatum reservatum; tunc profectò, si plures quis occidit, vel ultra centum furatus est, explicare hæc ex se debet, ut per se patet. Lege in simili de Lugo *disp.* 16. *de Pœnitent. num.* 256.

An, & quo modo aperiendus est peccati interni continuatus numerus?

17. Secunda dubitatio, si quis per annum v. g. odio habuit inimicum; si quis per mensem turpiter concupivit puellam; si quis desideravit per annum furari rem aliquam, &c. certè quia multoties hos actus interrupit, propter somnum, propter negotia, & propter varias occasiones intercurrentes; ideo multos individuales actus peccaminosos elicuit: quærimus ergo, quo-

quomodo hi sint confessioni legitimè subjiciendi?

18. Respondeo, si ejusmodi actus interrupit quis contraria voluntate, nolens amplius illum peccaminosum actum, sed deinde mutato hoc bono proposito, iterum rediit ad malum illud volendum, debet fidelis eas actuum revocationes in confessione distinctè manifestare, in quantum recordari valet; nam per illam contrariam voluntatem, posteriores fiunt distincti actus à prioribus, tum in genere physico, tum in genere morali, distincti, inquam, numero, atque adeo ex Tridentino speciáliter confitendi.

19. Si verò ejusmodi actus non fuerunt interrupti voluntate contraria, nec alio modo, mox num. 22. explicando, sed solùm per solitum somnum, variaque negotia communiter occurrentia, est duplex opinio.

Altera docet, per hanc, & quamcunque interruptionem multiplicari numero actus, & consequenter ex Tridentino in confessione (quantum alicui recordari datur) aperiendos: hanc sententiam tenent plures cum Suarez, Vasquez, aliísque, quos citat de Lugo *disput. citata num. 566.*

20. Altera docet, non multiplicari numero, sed moraliter censeri unum numero actum: quare sufficere aperire tempus in hunc ferè modum: *Per unum diem, per unum mensem, per unum annum odio habui, vel maledixi interne inimicum meum; concupivi puellam solutam; desideravi, seu volui furari equum alienum, &c.* sic enim dicendo, jam intelligit Confessarius, hoc actus per varias consuetas distractiones *fuisse* interruptas; sive sæpissimè quis interruperit, sive rarò, quia sive pauci, sive multi illi actus judicantur unus moraliter: & quidem cùm omnes uniantur, seu sistant in illa una permanentia habituali malæ voluntatis, & ex cujus primi actus vi sequantur alij, meritò omnes (cùm tot sint disparati) unus moraliter judicabuntur: hanc sententiam tenent plures, quam sequitur de Lugo *loco citato*, & cum alijs Diana *p. 2. tract. de sacr. res. 95.* quæ sanè probabilis est, licet præcedens sit in rigore probabilior: quòd si essent disparati, nec unus dependens ab alio præcedente, seu à prima illa mala voluntate, essent singillatim confitendi, quia unitatem non haberent. Hæc tamen secunda sententia indiget duplici exceptione.

21. Prima est, si duraverunt actus solùm in uno calore peccandi, non est improbabile, nequaquam oportere tempus explicare, ut distinctiùs dicam mox *à num. 28.*

22. Secunda, quando nimis magna est interruptio, non erit judicanda stare dicta habitualis permanentia: fac v. g. te voluisse internè tuum inimicum occidere hodie, sed deinde ejus omnino oblitus, sive propter longum tempus unius, vel alterius anni v. g. sive propter gravia tua negotia, sive propter profectionem in aliam civitatem, sive propter aliud, veluti naturâ sua, evanescat illa prava voluntas, quamvis à te ea expressa revocatione non retractetur; si postea redeas ad eandem illam pravam voluntatem, sanè novo,

& distincto moraliter actu redibis: unde tanquam de alio novo, distinctoque actu illum fateri oportebit; siquidem ea prior, vel antiqua, vel distans voluntas non censebitur habitualiter ita permanere, ut conjungatur cum hac præsenti volitione ad faciendum unum moraliter actum.

An, & qua ratione aperiendus est numerus actuum peccati externi, quando habent inter se connexionem?

23. TErtia dubitatio: in ordine ad unum, eundémque effectum, seu finem habendum, potest quis multiplicare actus externos plures; Petrus v. gr. intendens occidere suum inimicum per dies multos illum quærit, parat arma, de nocte surgit, &c. Hi omnes actus (quamvis ex se sint differentes, de his enim hîc loquimur) tendunt ad unum finem occisionis, & unus actus conjunctionem habet cum alio, omnésque dependent ab illo primo actu voluntatis occidendi: simili modo juvenis intendens puellæ amorem, surgit à somno, à domo sua exit, quærit occasiones turpis congressus, &c. Quæritur, quomodo hi omnes actus externi sint apud Confessarium deponendi?

24. Respondeo: Probabilissima sententia est, omnes dictos externos actus, quamvis dependentes ab uno, eodémque fine, esse inter se distinctos, distinctéque eorum numerum esse in in confessione, quantum quis recordari potest, aperiendum; Ratio est, quia in rigore quilibet ex ipsis concipit malitiam ex illo fine pravo.

25. Sed probabilis etiam sententia est, facere ita unum numero peccatum, ut sufficienter illud, quis confiteatur, si addat tempus, quo illa mala voluntas perseveravit, sic dicendo: *Per unum mensem, per unum annum procuravi homicidium mei amici, vel turpem congressum puellæ solutæ.* Ratio est similis, ac modó prædicta de internis; omnes enim hi externi actus uniuntur in una habituali permanentia ejusdem peccati circa eundem finem.

Supponendum autem semper est, malam illam voluntatem non fuisse retractatam, eo modo, quo supra dictum est *num. 16.* & insuper est hîc etiam applicandum id, quod supra *num. 21.* dictum est de uno, eodémque impetu, seu calore; quod mox distinctiùs explicabo *à num. 28.*

26. Denique adverte, si usus es aliâ personâ ad habendum tuum malum finem, id esse novum peccatum, atque adeó esse speciatim explicandum, & quidem quoties id feceris, quia hæc est inductio proximi ad peccatum.

Quæres: licétne alicui confiteri dictos connexos actus sine mentione temporis, sed solùm dicendo finem obtentum sic: *Commisi homicidium mei inimici; turpiter cum puella congressus sum, &c.*

Respondeo, Ita putat Merola *t. 1. d. 2. à num.* 40. sed non est audiendus; quia sic non videris, tuum peccatum satis explicare, quamdiu permanentiam peccati habitualis non explicas.

De

De ijs actibus externis, quando connexionem non habent.

27. Quarta Dubitatio. Dictum est de actibus habentibus unum eundémque finem, habéntque connexionem inter se, & dependentiam unius ab alio: quid, si fiat disparati? Explico: Turpiter tetigit Titius puellæ manum, & hinc ad quadrantem, vel horam tetigit eandem, sed independenter à primo actu; unúsne hic erit actus moraliter, an duo? Et súntne, ut duo aperiendi? Si unus, satis esset dicere, semel tètigi, &c. si duo, opus erit explicare ipsas numeratas vices, quando potest in mentem quis revocare, si eæ multoties, modo dicto, repetitæ fuerunt: non tamen videmur posse recurrere ad illum confitendi modum per tempus, quo illæ vices fuerunt continuatæ, quia hîc agimus de actibus, quando non faciunt unum per continuationem, sed de illis, quando sunt disparati.

28. Respondeo igitur, certam esse sententiam, hos actus esse moraliter plures, & nisi adsit illud, quod mox addemus num. seq. esse eorum numerum, quantum in memoriam quis revocare poterit, explicandum; ratio est modò tacta, quia unus actus ex his distinctus, est non dependens ab alio, ut supponimus; ergo eos non possumus tanquam unum continuatum confiteri.

29. Verùm, est etiam sententia probabilis, quòd quando in eodem calore, vel impetu, sive iræ, sive concupiscentiæ, sive odij, hos actus multiplicas, tametsi physicè sint plures actus; est, inquam, sententia probabilis, quòd sit unus morali modo, & humano: ratio est, quia omnes hujusmodi actus uno impetu, & calore peracti habent unitatem, & continuationem in uno illo impetu, secundùm communem hominum existimationem.

Hinc si in eodem impetu concupiscentiæ tetigisti manum puellæ, & iterum in eodem fervore tangas, si in eodem calore bis, ter blasphemiam eandem replices; si ex eodem impetu inimicum bis, ter maledicis, quamvis hi actus non dependeant à primis, seu connexionem cum prioribus non habeant; quia tamen uniuntur in uno impetu, caloréque, censebuntur unus moraliter, potestque sic Confessario manifestari: *Semel tetigi &c. semel blasphemavi, semel maledixi &c.*

30. Dictum semper est (in eodem calore) nam si refrigescente, seu cessante calore illo, actum eundem replices sine dependentia à priore, vel si priorem illum retractasti, & deinde eundem reassumis, multi erunt numero actus, & distinctè erunt confitendi, ut modò explicatum est.

31. Sequitur autem ex Doctrina num. 21. data, quòd si Clericum in eodem iracundiæ impetu, duobus, tribus, quatuor ictibus percussisti, unam incurristi excommunicationem: si inimicum contumelia affecisti, eandémq; in eodem impetu contumeliam replicasti, unum numero contumeliæ peccatum commisisti.

Si unico veluti contemptu famam alicujus graviter læsisti, ejus occulta delicta pluries contra eundem replicando,

do, unum numero infamiæ delictum patrasti: eundem, dico, nam si alium, certè diversus numero erit actus: imò aliquando erit diversus specie; ut si cæpisti hominem percutere, & postea voluisti occidere: cæpisti detrahere, & deinde superveniente detracto, prosequeris, aliquando erit contumelia: cæpisti rem communem furari, & deinde prosequeris furtum rei sacræ: sanè tunc specialiter sunt hi actus propalandi, ut ex supra dictis patet.

32. Notanda denique hìc sunt duo; primum, quoniam, quando hi actus perseverant per plures horas, sex v. g. septem, decem, &c. non possunt esse, spectato modo operandi hominum, ex eodem impetu, in eodemque calore, licèt fuerint continuati ex vi priorum; ideò tunc debebit saltem explicari tempus, sic: ego per horas sex, vel decem eandem blasphemiam effudi; eandem contumeliam contorsi; idem perjurium commisi: at si sint disparati, erunt singillatim apud Confessarium numerandi, juxta ea, quæ modò dixi *num.* 28. *&* 30. quod idem dixi *n.* 17. de internis, quando sunt disparati, & idem est faciendum ab eo, qui fortè in eadem nocte, bis, ter successivè turpiter, quamvis cum eadem peccet, debet enim has vices numeratim confiteri; quia quælibet copula consumata est disparata ab alia, & habet suum terminum distinctum ab alia.

Dices, Sacerdos, qui successivè audit in peccato mortali plures Confessiones, unam post aliam, in sententia probabili; quam habet de Lugo *de Pœnitent. disp.* 16. *num.* 558. *&* 135. non committit plura num. peccata; & idem dicitur etiam, si Confessarius modicè deflexerit ad alios sermones minimè facientes ad ejusmodi ministerium; quia illa modica distractio non tollit successivam illam continuationem. Unde satis erit si Sacerdos sic peccatum hoc suum exponat Confessario: *Audivi unâ vice plures confessiones, absolutionemque in statu peccati mortalis administravi*: ergo qui una, eademque nocte v. g. plures copulas habet cum eadem, & qui plures copulas cum pluribus ejusdem conditionis init, ut item, qui plures homines occidit successive, non obligaretur numerum copularum, & occisionum explicare, satisque esset dicere: *Plures copulas eadem noct. habui, plures semel occidi.*

Respondeo, profectò prima facie non apparet clarè disparitas inter dictos duos casus; sicuti non apparuit Caramueli, qui *in Theologia fundamentali in secunda editione num.* 735. me deinconseqnentia hìc notat: sed disparitatem adesse, probat de Lugo *loco citato*, ex capite unius irreverentiæ ejusdem Sacramenti Pœnitentiæ. lege item Leandrum *de Censuris disp.* 3. *quæstio* 44. qui eandem nostram Doctrinam sequens, affert disparitatem, ductam ex distincto termino, quem ex se habet copula consumata, & idem diceret de prædictis homicidiis, &c.

33. Notandum secundò, me dixisse quidem num. 28. Sententiam dicentem, eos actus uno impetu peractos conferi unum moraliter peccatum, probabilem esse; sed quia ibidem dixi, pro-

probabilem esse etiam aliam sententiam, quæ docet eos tametsi in eodem impetu factos, esse tot peccata, quot sunt actus physicè, quamvis intra breve tempus eliciti; ideo sequens hanc opinionem, poteris confiteri illos tanquam plures: quare si in illo unico perseverante calore, ter, quater, quinquies eandem injuriam v. g. protulisti, poteris dicere: *Ego ter, quater, quinquies affeci proximum injuriâ*: & sic in similibus.

An, & qua ratione aperienda sint abhabituali peccatore diversa numero, vel specie peccata?

34. Quinta dubitatio. Exercet non rarò quis officium multis numero, vel specie peccatis involutum, qualis est usurarius, meretrix, viarum Grassator, & similes; ecquo undem modo hi tot, & tam varias peccatorum species, eorúmque numerum aperire debent?

35. Triplex est sententia; Prima aliquantulum rigida. Secunda nimis benigna. Tertia media inter has. Primam sequuntur nonnulli apud Fagundez, & Dianam mox citandos, qui putant, ejusmodi peccatores habituales debere speciatim numerum, speciémque omnes peccatorum Confessario manifestare, in quantum eorum per diligens examen recordari queunt: secundam sequitur Navarrus *in summa cap. 6. num* 15. qui docet sufficere, si solùm aperiatur tempus mali status; dicendo v. g. per tot annos fui meretrix omnibus exposita: mediam, quæ est omnino præferenda, sequitur Fagundez *præcept. Ecclesiæ 2. lib. 3. cap. 4. num. 11.* alijque apud Dianam *p. 3. Tract. 4. resol. 89.* qui volunt sufficere quidem, si explicetur tempus mali status, sed explicari etiam debere aliquo tandem modo species peccatorum, quæ menti per diligens examen occurrere possunt: Meretrix v. g. explicet, an peccaverit cum Sacerdote, cum uxoratis, cum propinquis &c. & saltem in confuso multitudinem numericam in hunc ferè modum: toties, plus minus v. g. decies peccavi per mensem, vel per hebdomadam in tribus annis mei status, & quidem in dictis tribus annis cum Sacerdotibus bis, vel ter in mense (quantum recordari potest) semel, vel bis in mense cum propinquis, vel cum uxoratis, &c. Ita etiam usurario, vel furi habituali sufficit dicere fui talis per decem annos, quatuor, vel ter furans rem gravem in singulis mensibus, vel hebdomadis; semel verò, vel bis in anno furans rem sacram: Ratio hujus doctrinæ est, quia aliquando aliqua meretrix v. gr. in Civitate frequenti pluries in die peccavit, aliqua in parvo Oppido vix peccavit; semel in hebdomada: Puella fortasse multoties; effæta mulier rarissimè, & fortasse nunquam cum Sacerdote, vel cum propinquis: quare ut fiat judicium morale à Confessario, hic saltem confitendi modus erit habituali peccatori necessarius.

36. Semper autem memineris, quod dictum est in præcedentibus de retractatione per contrariam voluntatem, & de magna distantia inter actus, & similibus.

CAPUT XV.

Circumstantiæ nonnullæ, quæ distrahunt, vel non distrahunt actum peccaminosum ad aliam speciem.

1. QUoniam supra *cap.* 14. dictum est, operosum esse decernere, & magno studio opus esse, ad cognoscendum, quandonam adsit circumstantia peccati speciem mutans; ideò necessarium judico, præter regulam ibi traditam percurrere summatim materias aliquas, indicando ea, quæ mutant, quæve non mutant moralem speciem. Ordinis autem gratia, proponam primò, aliqua, quæ circa DEUM versantur; secundò, quæ circa proximum; tertiò, quæ circa seipsum.

Circumstantiæ mutantes, vel non mutantes speciem, quæ circa DEUM.

Fides.

2. ADorans v. g. idolum sine errore intellectus, quo credat, illud esse DEUM, vel adoratione dignum; si addat, se credere illud, DEUM esse, vel dignum adoratione, addet speciem diversam, nempè Idololatriæ externæ, addétque hæresim, atque adeò utramque speciem confiteri expressè debet.

3. Siquis neget unum articulum fidei, est hæreticus, & satis est dicere in confessione; *incidi semel, vel bis in hæresim*, quemcunque articulum negaverit: nam negare hunc, vel illum articulum, non addit novam speciem, cum omnia peccata contra fidem sint circa unam, eandemque obligationem credendi objecta per fidem proposita.

4. Si quis negationi alicujus articuli addat voluntatem acceptandi aliam sectam v. g. Judaismum, vel Paganismum, vel Calvinismum, vel Lutheranismum &c. debet hæc explicare, quia præter peccatum infidelitatis, dum addit voluntatem acceptandi sectam aliquam ex illis, vult peccata diversa specie, quæ in illis committuntur, ut in Judaismo superstitiones varias v. gr. Circumcisionis; in Paganismo cultum Idolorum; in Calvinismo negationem Sacramenti Eucharistiæ; & sic in similibus.

Apostasia verò, quæ est, quando relinquitur in totum, vel in partem fides, quam quis suscepit in Baptismo, non est necessariò explicanda; unde satis est dicere, negavi fidem, quia Apostasia, & Hæresis differunt solùm secundum magis, & minus.

5. Si quis tamen negat v. g. DEUM esse bonum, duas peccati species admittit; nempè speciem hæresis, & speciem Blasphemiæ; Hæresis, quia negat articulum, seu articulos Fidei; Blasphemiæ; quia addit injuriam, seu contumeliam in DEUM, faciendo illum non bonum.

6. Ignorari à Fideli adulto culpabiliter articulos ex necessitate Præcepti credendos v. g. Trinitatem, Incarnationem &c. sive ignoretur hic articulus, sive ille, eadem est species, peccati, cum id sit intra eandem obligationem, nempè sciendi, quod ex officio,

&

& Professione Christiana credendum est: quare si sufficienter ejusmodi peccatum aperietur; *Ignoravi cum culpa articulos fidei*: Dixi (ex necessitate præcepti) nam ignorare culpabiliter, quæ sunt de necessitate medij, cum supponat, hominem illis assensum non præbuisse, adderetur species peccati contra charitatem sui ipsius, cùm sine tali assensu adultus salvari non possit, ut distinctiùs explicant Theologi *in tract. de Fide.*

7. Eum, qui negat articulum fidei, quem ex culpa gravi noluit scire; & alium, qui negat articulum Fidei, quem scit, esse Fidei articulum, puto, eandem speciem peccati committere, quia utraque malitia tandem resolvitur in contemptum authoritatis revelationis divinæ: æquè enim uterque divinum testimonium parvipendit, idque in ordine ad Confessionem, non verò semper in ordine ad aliud. quare uterque rectè confitebitur, si dicet, *Negavi articulum Fidei.*

Dixi (non verò semper in ordine ad aliud) nam qui peccat ex dicta ignorantia quamvis culpabili, non incurrit excommunicationem, quam incurrit scienter negans. Si quidem excommunicatio est imposita absolutè contra negantem scienter, & cum pertinacia; unde tunc non ratione diversitatis in specie morali, sed quia debet absolvi ab excommunicatione; ideò debet explicare, se cum scientia negasse, sic in similibus.

Spes.

8 SI quis, dum peccat, sperat, peccatum illud se ritè in confessione depositurum, ejusmodi circumstantia non mutat speciem peccati: satis igitur erit, si dicas: *Ego peccavi tali peccato v. g. homicidij*; Immò addunt aliqui, hanc esse circumstantiam diminuentem potiùs, quàm aggravantem, quia hic peccat cum bona voluntate se emendandi, veniamque petendi, ita Comitiolus *in resp mor. lib. 4. q. 52.*

Superstitiones, & similia.

9. DIvinatio per ignem v. g. non differt specie morali à divinatione per aquam, per volatum avium &c. At si addatur pactum cum dæmone explicitum, addetur alia peccati species, nempè commercij cum DEI, & hominum inimico: pari modo, si maleficium, seu quælibet alia superstitio fiat, miscendo sacra profanis, v. gr. cum hostia consecrata, cum aqua benedicta &c. addetur species sacrilegij contra reverentiam debitam rebus sacris, ut item, si dictum maleficium v. g. fiat ad mortem alicui inferendam, additur species homicidij; si ad furandum, additur species malitiæ contra justitiam commutativam, & sic de similibus: quare singula ex prædictis sunt speciatim in confessione manifestanda.

Blasphemia.

10. BLasphemiæ circa DEUM, vel circa Sanctissimam Virginem, vel Sanctos ex probabiliore opinione

inter se differunt specie ; sed est etiam probabile, saltem regulariter, non differre ; quia regulariter Sancti non coluntur ob excellentiam propriam, sed ut referuntur ad DEUM. Quòd si in aliquo, raro casu blasphemaretur propria ipsorum excellentia, tunc sanè constitueretur alia species speciatim confitenda ; & quidem diversa erit illa, quæ fiet contra sanctos ; quàm, quæ fieret contra Sanctissimam Virginem, quæ autem fiunt contra hunc, vel illum sanctum, specie morali non differunt, quia parum differt excellentia unius sancti ab excellentia alterius.

Si blasphemiæ addatur aliquid contra fidem, addi malitiam hæresis, jam supra monuimus : ut etiam de blasphemijs una, eademque excandescentia prolatis, satis supra diximus, *c. 14. n. 29.*

Votum, & juramentum.

11. SI votum fregisti, unam speciem peccati commisisti, nempè contra virtutem Religionis, seu contra fidem DEO datam : at si votum fuit juramento munitum, alia additur species, hoc est, contra obligationem non adducendi DEUM in testimonium falsitatis.

Vota autem, vel juramenta, sive facta immediatè DEO, seu Beatissimæ Virgini, sive Sanctis, non differunt morali specie, quia communiter intentio ultimata voventium, vel jurantium est DEUS, qui in Sanctis illis colitur. Quòd si in raro casu intendatur propria sanctorum præstantia, vel authoritas, dic idē, quod modò explicavimus *n. 10.*

12. Juramento falso, ut & alijs omnibus peccatorum speciebus, si addatur, ea committi ex inveterata consuetudine, non transferuntur ad aliam speciem ; quia peccata præterita non addunt præsenti peccato novam malitiam : illud tamen recole, pœnitentem obligari consuetudinem aperire, si à Confessario interrogetur, ut *cap. 9. num. 8.* docebamus : quoniam verò ponere se in periculo peccandi, peccatum est ejusdem speciei, ad quod est periculum ; ideò qui frequenter peccat, advertendo ad hoc, quod acquirit facilitatem, atque adeò periculum frequenter voluntariè peccandi, deberet is in confessione hoc explicare ; non obligatur tamen regulariter, quia ad hoc periculum non advertit, qui peccat, atque adeò excusatur communiter ob inadvertentiam. Lege de Lugo *disp. 16. de Pœnit. n. 203.*

Missa.

13. OMittere Missam, sive die Dominico, sive alijs festis de præcepto, una, eademque species peccati est ; nempè contra virtutem Religionis, seu contra obedientiam superioris præcipientis.

Quando autem causa, vel finis, qua moveris, illam omittendi non est ex se mala, non additur nova species : sive igitur omiseris Missam ad finem studendi, vel dormiendi, vel ad similem finem indifferentem, satis est, Confessario dicere ; *Missam præceptam omisi* ; at si causa est mala, vel malus finis certè tunc additur alia species ; quare tunc debes ita fateri : *O-*

mis-

missi Missam ob finem adulterandi, omisi ex causa furandi.

14. Quod dictum est de fine omittendi Missam, applica ad quodcunque aliud peccatum (ut id hac occasione universaliter advertas) quare si fuereris, ad dictum finem adulterandi v. g. (quo pacto, ait Aristoteles, te potiùs esse adulterum, quàm furem; quia actus maximè specificatur à fine) duo peccata specie diversa committis, utrumque confitendum: nempè furti (quod etiam præscindendo à dicto fine, est ex se peccatum) & adulterij: an has duas species possis separatim confiteri, dicam *c. 18. a num. 7.* Contra, si fuereris ad dandam eleemosynam, vel ad venandum verb. grat. unam contrahes speciem moralem malitiæ, nempè furti.

De confabulationibus in Missa de præcepto, vide mox *cap. 16. num. 15.*

Jejunium.

15. VIolatio Jejunij Quadragesimæ, v. g. non est species distincta à violatione jejunij vigiliæ, vel quatuor temporum; quare satis erit sic dicere Confessario: *Non jejunavi die præcepto*; quia utraque est contra temperantia, seu (ut aliqui volunt) contra obedientiam Superioris, jejunium præcipientis ex motivo temperantiæ ad honorem Dei; at si illud idem jejunium ex Ecclesiæ præcepto impositum tu voviſti, vel tibi illud ipsum fuit imperatum à Confessario, distrahetur ejus violatio ad alias species speciatim confitendas; fit enim tunc contra obligationem virtutis Religionis, vel obedientiæ Confessarij.

Quòd si fregisti jejunium, non solùm pluries comedendo cibos quadragesimales (quando satis esset dicere: *Fregi jejunium præceptum*, etiamsi centies ejusmodi quadragesimales cibos eodem die comederis) sed etiam manducando carnem, vel lacticinia?

Respondeo. Debes tunc explicare speciatim hanc carnium, vel lacticiniorum comestionem; quia hujus est specialis prohibitio: siquidem præceptum abstinendi ab his est ex alio motivo moraliter in hominum existimatione diverso: debes item addere, quoties in die illa comederis, cùm hoc sit præceptum negativum, quod semper obligat, & ad semper.

Ingratitudo, Inobedientiæ, &c.

16. SI expresso animo intendas, velle te esse ingratum Deo, si ei non obedire, si ejusdem leges contemnere, species diversas peccatorum admittis, hoc est, contra obligationem debitam tuo Benefactori, contra obligationem debitam summo tuo Superiori, contra obligationem debitam summo tuo Legislatori; unde hæc sunt tanquam species diversæ expressè manifestandæ.

Præterea, quia, quælibet culpa continet implicitè in se malitiam ingratitudinis erga Deum, inobedientiæ contra Deum, atque contemptus contra ejusdem leges; nam propterea hæc vocantur circumstantiæ generales, quæ in omni genere peccatorum inveniuntur; ideò in rigore, quoties aliud quodcunque

que peccatum confiteris, deberent aperiri Confessario; sed tamen dico, id ex alio capite necesse non esse, quia nimirum statim, ac tu confiteris peccatum, jam satis, supérque fateris has generales malitias imbibitas in omni culpa, cásque jam sufficienter intellligit non indoctus Confessarius.

CAPUT XVI.

Circumstantiæ mutantes, vel non non mutantes speciem, quæ sunt circa proximum.

1. INjuria gravis, sive facta ascendentibus, nempe Parentibus, Avis, Proavis, &c. sive descendentibus, nempe filiis, nepotibus, pronepotibus, &c. sive collateralibus, nempe fratribus, sororibus, consobrinis, &c. & item facta affinibus eodem proportionaliter ordine, quibus adde conjuges, differt specie morali ab injuria inflicta externis, quia contorta in illos est contra amorem, & pietatem eis debitam: quare non satis est, dicere: *Graviter injuriavi, percussi, occidi, maledixi proximum*, sed opus est, explicationem addere conjunctionis, & propinquitatis.

2. At debeóne explicare à me gravi injuria affectum, vel percussum, vel occisum, &c. fuisse Patrem, vel fuisse filium, vel Nepotem, &c. an satis sit, dicere: injuriavi, percussi, &c. eum, cui reverentiam ex pietatis virtute debebam?

3. Respondeo, communem esse sententiam, debere; quia diversam moraliter speciem peccati à recta ratione apprehenditur, esse illum actum, quo filius v. gr. malè se habet contra patrem, quàm quo pater se habet contra filium, in quem paternam habet potestatem, & sic de aliis ascendentibus, & descendentibus: in collateralibus autem injuriam v. g. in fratrem, vel in sororem putant nonnulli Doctores inter se specie non differre; quia æquè se videtur habere soror erga fratrem, atque hic erga illam, & idem dicerent (credo) de viro & uxore.

4. Dixi (communem esse sententiam) nam videtur etiam esse probabile, injurias omnes contortas in consanguineos, vel affines, non esse inter se diversas moraliter species; quia omnes secundùm magis, & minùs habent obligationem non se convitiandi, seu non se offendendi ex eadem scilicet radice pietatis ortam: quare satis esse, putant aliqui, dicere: *Ego contumeliâ, injuriâ, maledictione, &c. mihi conjunctos affeci*, vel *eos percussi, occidi, &c.* vide, quæ mox dicentur *num.* 32. ubi agemus, an incestus cum consanguinea propinquiore differat specie ab incestu cum minùs propinqua? Atque ex ibidem dicendis *num.* 34. colliges, injurias, de quibus loquimur, factas contra conjunctos conjunctione spirituali, esse specie diversas ab injuriis factis contra prædictos conjunctos cognatione temporali, atque adeò speciatim confitendas; quia (ut ibi advertemus) in illis fit injuria Sacramento, unde illa spiritualis conjunctio dimanat.

Ho-

Homicidium, illique affinia sacrilegia.

5. DIxi modò *num.* 1. si homicidio addatur esse Patrem v. gr. vel consanguineum &c. addi novam speciem; nunc ajo, si addatur esse in Ecclesia notoriè commissum (nam si occultè dicetur mox *n.17.*) superaddi malitiam sacrilegij contra Ecclesiæ reverentiam, in quo casu ea etiam violatur: idem dic de percussione cum notabili sanguinis effusione.

6. Quid de percussione in Ecclesia sine morte, & sine effusione sanguinis? Dico tunc non superaddi ex jure Ecclesiastico sacrilegij malitiam, nec violari Ecclesiam, ut habet de Lugo *dict. disp. 16. num.* 466. & latè Diana *part.* 11. *tract.* 5. *res.* 44. an verò superaddatur species malitiæ sacrilegij ex natura sua, & in propria sacrilegij specie, quasi id sit ex se gravis Dei irreverentia, colligetur ex iis, quæ dicam infra num. 26. de turpi delicto in Ecclesia commisso. Præterea si occidas Clericum, aut Religiosum, vel illos, suadente Diabolo, percutis, nimis exploratum est, superaddi sacrilegij speciem (quia offenditur homo Deo dicatus,) & incurri excommunicationem Summo Pontifici ex se reservatam.

De occisione, vel simili percussione in causa, ut cùm ebrius v. g. prævidens, se aliquem hominem interfecturum in ebrietate, se tamen inebriat, dicam infra in tractatu de ebrietate.

Mala alicui volita.

7. HUc reducitur consideratio de malis alicui volitis: assero igitur, si quis desiderat, seu vult malum inferre proximo, debere illud in confessione explicare, an hoc malum fuerit mors, an infamia, an damnum rei familiaris; Hæc enim mala sicuti inter se moraliter differunt, quia diversa jura violant: ita & differunt voluntates malæ illa inferendi: debet igitur dicere Pœnitens: *Optavi, seu volui inferre mortem, seu corporalia mala, optavi inferre infamiam in honore, optavi inferre detrimentum in rebus, seu bonis meo inimico*: quoniam verò eorum malorum physicæ individuationes materialem solùm, & physicam diversitatem afferunt, non verò moralem, ideò non est necesse, dicere v. gr.: *optavi occidere gladio, vel sclopo, furari aurum, vel argentum, &c.* sed satis, ut dixi, est, si dicas: *optavi occidere, optavi res alienas auferre, &c.*

8. At verò si quis desideret quidem malum alicui, sed non vult illud malum ipse inferre, quo pacto desiderium sistit in mera inefficaci voluntate, non est necesse, illa mala speciatim explicare, quia tunc omnia sunt æquè contra charitatem proximi. Quando igitur solùm, quis inefficaciter desiderat, ut proximus occidatur, ut infamiâ afficiatur, ut depauperetur, sed hæc aliunde eveniant, nec ipse ea inferre velit, se satis explicabit, dicendo: *bis, ter, quater, &c. desideravi ex odio malum grave proximo.*

9. Idem propter eandem rationem dic de similibus malis, quæ proximus patitur, si quis de illis gaudeat, seu complaceat; tunc enim satis erit, sic peccatum suum aperire: *Gavisus ex odio*

odio sum de malo gravi quo affectus erat proximus meus; quòd si voluntatem habuisti, illa mala inferendi, vel gavisus es, seu complacentiam habuisti, quòd illa intuleris, debes speciem mali declarare: quia tunc non sistitur in mero desiderio, seu gaudio, sed fit transitus ad ea mala volenda. Lege de Lugo *loco cit. num. 263.*

Si ille, contra quem prædicta committis, fuerit conjunctus cognatione temporali, vel spirituali, quando qualitates ipsarum personarum declarari debent, modo dictum est *à num. 1.* & multa suis in locis dicentur inferiùs.

Luxuria.

10. HOc delictum committitur aliquando circa proximum, hoc est, cum socio, seu complice; ideò hìc locum suum habet: sed quia aliquando committitur sine complice, ideò etiam pro hac parte locum habebit infra capite sequenti, cùm de peccatis circa seipsum disputabimus.

Porrò luxuriæ species morales sunt septem: Fornicatio simplex, Sacrilegium, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Peccatum contra naturam, quæ singulæ sunt manifestandæ Confessario, & hìc breviter sunt à nobis explicandæ.

Fornicatio simplex.

11. SImplex fornicatio est congressus viri cum muliere soluta in vase naturali: unde non est satis sic confiteri in genere: *commisi peccatum contra castitatem*; debet enim explicari ipsa fornicationis species.

Qui tamen ter v. g. peccavit cum tribus solutis, (vel etiam cum tribus conjugatis, &c.) vel ter cum eadem soluta, (vel conjugata, &c.) satis est, si dicat: ter fornicatus sum, (ter adulteravi, &c.) nam sive cum eadem, sive cum diversis, semper eadem est malitiæ species, si ejusdem sint conditionis; quando tamen interrogaris à Confessore, debes aperire, ut sæpe in simili interrogatione dictum est supra, præsertim *cap. 9. à num. 6.*

12. Qui peccat cum filia confessionis (abstrahendo à sollicitatione, quia sic peccans addit speciem sacrilegij contra reverentiam Sacramenti Pœnitentiæ) & qui peccat sive vir, sive mulier, frangendo voluntariè virginitatem, & qui peccat cum virgine voluntariè consentiente, non addunt ex hac parte novam speciem (quod certè satis est probabile) esto, addere probabilius asserant nonnulli, lege Sanchez *de matr. l. 7. disp. 4.*

Si virgo turpiter peccando inferat fortè infamiam familiæ, adderetur alia species peccati propter damnum, quod infert suorum famæ, contra pietatem parentibus debitam. Ita de Lugo *loco cit. num. 228.* addens duo: Primum, hoc idem esse in qualibet fœmina honestæ conditionis, immò & in Religioso, qui sic peccantes inferunt ignominiam familiæ, seu ordini suo. Secundum: aliquando id habere excusationem, quia bona fide putant, delictum non fore manifestandum.

13. Evnuchus, vel frigidus cum aliqua peccans, debet explicare, se esse talem, quia tunc non solùm adest malitia

tia ex affectu ad fornicationem, quam tentat, sed etiam malitiam contra naturam, nam dispergit sine fine naturali generationis, tum suum, tum fœminæ qualecunque semen. Idem dic propter eandem rationem de eo, qui copulam incipit, & deinde resilit, foras semen dispergendo; tunc enim est affectus ad copulam, & item dispersio seminis, esset autem solùm actus turpis, & non fornicatio, si quis copulam inciperet, animo non absolvendi; nec semen emittendi, & non emitteret: sed tamen erit in confessione explicandus dictus tactus, quem Doctores vocant tactum impudicum.

14. Quando quis turpiter ingreditur v. in domum mulieris honestæ cum periculo peccandi, quamvis non peccet, debet explicare, in periculum peccandi se immisisse, quia, qui amat periculum, peribit in illo; & quidem ea specie peccati, ad quod est periculū: at qui ingreditur ad peccandum, & peccat, probabile est, satis esse, si explicet peccatum, nec opus est, ut expresse dicat, se, & periculum peccandi voluisse, & peccasse; hæc enim duo, sunt una tunc moraliter malitia, nisi fortè intercedat notabilis distantia inter subitionem periculi, & peccatum; nam tunc essent duo numero peccata distincta.

15. Denique. Quando positivè aliquem invitas, sollicitasque sine vi, v. g. puellam, cum qua deinde sine dicta notabili distantia peccas, probabile est, te non obligari, explicare, fuisse te primum ad alliciendum: siquidem eadem est malitia, licèt non tam gravis, quando non præinvitans, cum illa peccas: nam eodem ferè modo in utroque casu, unus est particeps peccati alterius: non sic, si cum illa non peccas; debet enim tunc explicari sollicitatio: Ita Joann. Sanchez *disp. 5. n. 40.* & de Lugo *de Pœnit. d. 16. n. 42. ex sententia Vasquez.*

16. Idem dic (ut obiter non omittam) de confabulantibus in parte notabili Missæ diei festivi, & in turpium collocutione, atque similibus: nam propter eandem rationem non obligaris in hac probabili sententia, explicare, an primus ad alloquendum fueris; si tamen quis invitavit, sed deinde non processum est ad colloquium, vel certè multo post, debebit id explicare: nam tunc peccatum sollicitationis est distinctum numero ab ipso pravo colloquio.

Dixi modò *num.* 15. (sine vi) quia cum vi, esset stuprum, de quo mox suo loco.

Sacrilegium.

17. SAcrilegium in hac materia luxuriæ ex duobus capitibus contrahi potest; primò ex persona sacra; secundò ex loco sacro.

Quoad prius, persona sacra est illa, quæ vovit castitatem, sive voto privato, sive solemni per professionem religiosam, vel per assumptionem ordinis sacri: Hæc igitur si votum frangat, debet manifestare Confessario suum votum, quia violatio voti, ut supra innuebamus, trahit turpem actum ad aliam

liam ſpeciem malitiæ, nempè ad malitiam, quæ eſt contra conſecrationem ſui corporis DEO oblati, quod eſt ſacrilegium, de quo eſt præſens locutio.

Dixi (ſive voto privato, ſive ſolemni) nam probabiliſſimum, eſt votum ſolemne à privato (quoad hoc) non differre ſpecie morali, quia per utrumque æquè quis conſecratur DEO; Religioſus igitur, & monialis Religioſa, & in ſacris conſtitutus ſatis habent, ſi dicant: *Ego fregi votum caſtitatis per fornicationem, vel per aliam ſpeciem luxuriæ, &c.*

18. Nota autem duas eſſe numero malitias, utramque confitendam in te Profeſſo, vel conſtituto in ſacris, vel in te habente votum caſtitatis privatum, peccante cum habente ſimilia vota; quare tunc debes dicere, te habentem votum, peccaſſe cum votum habente: Ratio eſt, quia hoc eſt quidem idem ſpecie ſacrilegium, ſed eſt duplici peccaminoſa actione ſatis diverſa infectum; una, ex parte tua contra jus DEI, quod ipſe habet ex tuo voto; altera ex parte alterius, cum quo tu idem cooperaris contra aliud jus ejuſdem DEI, quod ipſe habet ex voto alterius. Simile quid dicam de adulterio mox *n.* 28. diverſum enim quid videtur eſſe ſacrilegium, quod tu committis in tua perſona, à ſacrilegio, cui cooperaris in perſona alterius.

19. Dubitant hic nonnulli, an peccans turpiter cum infideli non baptizata, v. g. cum Judæa, cum Turca &c. præter fornicationem committat ſacrilegium? Certè probabile eſt, ſacrilegium commitci; quia ſit contra reverentiam Sacramenti Baptiſmi; ſed eſt etiam probabile, eſſe ſolùm, quantum eſt in ordine ad Confeſſionem, ſimplicem fornicationem, quia gratis videtur dictum, ſic peccantem injuriam ſpecialem facere ſuo Baptiſmo: nam ſic quodlibet peccatum, facilè diceres, eſſe ſacrilegium; quia dici poſſet, ſic irrogari ſemper injuriam Baptiſmo: Pœnæ ergo graviſſimæ à legibus conſtitutæ contra peccantem cum infideli, quas videre potes apud Farinacium *de delictis carnis quæſt. 139.* notant quidem gravitatem majorem, ſed non diverſitatem ſpecificam: ſicuti pœnæ homicidij proditorij non oſtendunt diverſitatem ſpecificam proditorij à non proditorio, ſed ſolùm majorem gravitatem, ſed in eadem ſpecie contra juſtitiam.

20. Quoad poſterius. *Locus Sacer*, quoad hunc effectum conſtituendi ſacrilegium, eſt Eccleſia cum ſuis cappellis, & Cæmeterium, ſi ſint vel conſecrata, vel ab Epiſcopo benedicta, vel ſacris officijs, aut fidelium ſepulturæ deputata. Si quis igitur in hoc loco ſacrò turpe peccatum cum feminis effuſione, ſive per obſcænam copulam, ſive per pollutionem committit, committit ſacrilegium: & quidem ſi ſeminis dicta effuſio ſit notoria, certum eſt, eſſe ex jure Eccleſiaſtico ſacrilegium; nam, dum Eccleſia voluit, ut per illam locus ſacer violaretur, poſuit talem actum in linea ſacrilegij; at ſi ſit occulta, probabile eſt, non eſſe ex hoc capite ſacrilegium, ut ſuſtinent multi *apud Dianam p. 21. tract. 8. reſolut. 34.*

&

& ferè viginti Doctores apud Verde *in defensione Caramuelis quæst.* 4. § 89. Et ratio est, quia hæc seminis effusio ideò esset sacrilegium, quia per jus Ecclesiasticum pollueretur Ecclesia, sed in probabilissima opinione hæc non polluitur per occultam effusionem, ut nec polluitur per sanguinis effusionem occultam, ut notant multi apud eundem Verde ibidem, ergo &c.

21. Nota tamen si deinde ejusmodi seminis, vel sanguinis effusio fiat notoria, fore reconciliandam Ecclesiam, ut rectè monet Ascanius Tamburinus *tom. 1. de jure Abbatum d. 22. quæst. 11 num.* 8. alijque, quia tunc incipit esse contra dictum jus Ecclesiasticum.

22. Copula, & similia in dormitorio Religiosorum, vel in claustro, & habitatione eorundem non est sacrilega, nec in sacristia, aut cameris adjacentibus, nec in turri, quod Campanile appellamus, nec in cubiculis officialium, & similibus locis, quæ nec sunt Ecclesiæ, nec ejus partes.

Neque obstat (ait Castropalaus *t 2. disp. 1. de reverentia debita locis sacris p. 6. num.* 8.) quòd prædicta loca gaudeant immunitate, quia hoc privilegium, cùm sit favorabile, etiam extenditur ad illa alia loca; contra verò effectus violationis Ecclesiæ, cum sit pœnalis, & odiosus ad ipsam solam Ecclesiam restringitur.

23. Oratorium domus privatæ, quamvis [illegible]eo celebretur Missa ex privilegio [illegible]ficis, nec gaudet immunitate, nec copula in illo est sacrilega, quia nec est Ecclesia, nec ad illam pertinens.

24. Ita etiam supra tectum Ecclesiæ, vel extra Ecclesiæ portas, vel in parte externa parietum copula non est sacrilega, benè autem est non solùm in cappellis ad Ecclesiæ latus adnexis; verùm etiam in ejusdem cappellis subterraneis, vel superioribus, ut item in Choro à terra elevato vel scabellis distincto, quem Oratorium aliqui vocant; & breviter in omnibus locis, qui sunt inter tectum, & pavimentum Ecclesiæ, quia verè sunt partes Ecclesiæ. Lege de Lugo *de Eucharistia disp.* 20. *numer.* 58. & Castropalaum *loc. cit.*

Oscula, tactus turpes, & similia facta sine seminis effusione in Ecclesia, illam non violant, nec ex hoc capite juris Ecclesiastici sunt sacrilegia.

25. Dico hic, & dixi supra (ex hoc capite juris Ecclesiastici) nam maximè est advertendum, sacrilegium item posse committi præscindendo à dicto jure; sed ex natura sua, & in propria specie, quando turpitudo in Ecclesia peracta ex se esset irreverentia DEI, vel ejus cultus: Si quis meretricem v. grat. publicè ante altare Sanctissimi Christi Corporis, præsertim expositi, impudicè tangeret: nonne magnam DEO irreverentiam inferret, etiam exclusa omni Ecclesiæ prohibitione? Hinc Diana *p. 11. tract.* 8. *resolut.* 58. putat, peccare cum fœmina gestando reliquias Sanctorum, non esse sacrilegium; quia nimirum putat, id non esse gravem irreverentiam; at sacrilegium esse gestando Sanctissimæ Christi Crucis reliquiam, vel Sanctissimum Christi Corpus, vel Oleum Sacrum

extremæ unctionis ; quia scilicet putat, id afferre irreverentiam gravem ; & ibidem *Resol.* 58. censet, fornicari statim à Communione esse sacrilegium, de quo iterum redibit sermo *in tract. de Communione cap. 18. num.* 8.

16. Regula igitur illa universalis sit, in his, vel similibus casibus, uti advertis, gravem irreverentiam summi DEI, vel ejus cultus, esse, etiam præscindendo ab Ecclesiæ prohibitione, mortale sacrilegium, secus non item ; neque enim omne peccatum commissum in Ecclesia est culpa sacrilega, saltem mortalis, sed solùm illud, quod irreverentiam gravem sapit ; quam faciliùs inveniri in actibus obscœnis, quàm in alijs, dicam infra *in tract. de Comm. d. c.* 13. *num.* 8. Lege Verde, *loc. cit. quæst. 4.* §. 88. qui sic addit ; Fateor tamen aliquam irreverentiam esse, sed venialem, in omnibus peccatis factis in loco sacro. Quid si Christus Dominus sit expositus ? tunc puto, peccatum esse sacrilegium, non ex lege humana, sed ex ipsa præsentia DEI, quæ majorem exigit reverentiam, quod est commune delictis in præsentia Principis, quæ acriori pœna puniuntur ; Ecclesia tamen non polluitur. Hæc ille : vide tamen dictum citatum *c.* 13. *de Comm. n.* 8.

Adulterium.

27. ADulterium est turpis congressus conjugati cum soluta, vel contra ; quando ergo conjugatus turpiter peccat cum soluta, vel contra, debet explicare conjugium, quia tunc ultra malitiam fornicationis incurrit culpam contra justitiam.

28. Quando autem conjugatus peccat cum conjugata, debet utriusque status explicari ; quia tunc duo sunt peccata, alterum quo quis peccat in sua persona contra suum conjugem ; alterum, quo cooperatur cum alio, ut ille in sua persona peccet contra conjugem suum quæ in simili dixi *supra n.* 8.

19. Præterea quando conjugatus, vel conjugata peccat cum alio, vel etiam cum sua uxore sodomiticè, vel cum bestia, vel cum dœmone ; sive osculatur, sive impudicè tangat alios, vel alias à sua conjuge, adulterium committit ; undè & hæc peccata luxuriæ, & suum conjugij statum explicare in confessione debet ; & quamvis aliqua ex his non sint propriè dicta adulteria, debet tamen illa confiteri ; quia sic semper frangitur fides data conjugi : Qui jam celebravit sponsalia, peccans cum alia à sua sponsa, non committit in probabilissima opinione adulterium, quia per sponsalia nondum datum est jus in corpus, quod solùm datur per verba de præsenti, per quæ matrimonium ritè celebretur.

Incestus.

30. INcestus est peccatum luxuriæ, quod committitur cum persona conjuncta ; quoniam verò triplex est classis hujusmodi conjunctorum, prima consanguinitatis, & affinitatis usque ad quartum gradum, inclusivè ; secunda adoptionis legalis, tertia conjunctionis spiritualis, id est, orta ex Baptismo, vel Confirmatione, ideò

ideò de singulis compendio est hìc à nobis dicendum.

31. Quò ad primam ergo, qui peccat cum consanguineis, vel affinibus usque ad gradum quartum inclusivè, debet id explicare; quia tunc superadditur malitia incestus contra reverentiam conjunctis debitam.

32. Sed incestus inter seipsos differuntne specie morali? Incestus v.g. cum matre differtne ab incestu cum alia, vel cum sorore, vel cum consobrina &c. ita ut in confessione non satis sit dicere: *Ego bis, vel ter v. g. Incestum commisi*, sed speciatim dicere oporteat, *commisi incestum cum matre, commisi incestum cum sorore, &c.*

Duplex est sententia 29 traque probabilis: altera affirmat 20 esse obligationem speciatim gradûs consanguinitatis, vel affinitatis explicandi, saltem proximiores: altera ait, ejusmodi obligationem nequaquam adesse, quia omnes incestus ejusdem sunt speciei; omnes enim sunt contra reverentiam, conjunctis debitam, & solùm differunt secundùm magis, vel minus. Lege auctores apud Dianam *p. 1. tract. 7. res. 31. & p. 11. tr. 7. res. 24.*

33. Quoad secundam classem conjunctionis per adoptionem legalem, idem prorsus est dicendum, quod modò dictum est de conjunctione carnali; ratio est, quia Ecclesia, propter idem motivum reverentiæ debitæ carnaliter conjunctis; prohibuit ejusmodi turpes congressus inter conjunctos ex adoptione; ità de Lugo *dicta disp. 16. de Panit. num. 382.*

Quoad tertiam de conjunctione spirituali, dico, hunc incestum esse explicandum, ut distinctum ab incestibus prædictis carnali, & legali; quia cùm hæc spiritualis conjunctio ortum habeat à Baptismo, vel Confirmatione, addet circumstantiam Sacramenti, ratione cujus additur species malitiæ, quæ reducitur ad genus quoddam sacrilegij, cùm fiat contra reverentiam debitam conjunctis ex sanctitate Sacramentorum: puto tamen, non esse necesse, explicare, incestum fuisse cum conjuncto spirituali per Baptismum, vel fuisse cum conjuncto spirituali per Confirmationem; sicuti etiam puto, non opus esse explicare, an fuerit per paternitatem, vel per compaternitatem, quia semper est eadem irreverentiæ malitia.

35. Sciant autem tyrones quòd cognatio hæc spiritualis multipliciter olim oriebatur in jure antiquo; hodie tamen à Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Reformatione*, ad quatuor dumtaxat classes personarum restricta est: nam Prima contrahitur à Baptizato, vel Confirmato cum Baptizante, vel Confirmante: Secunda ab eodem Baptizato, vel Confirmato cum Patrino, vel Matrina: & utraque hæc appellatur Paternitas: Tertia contrahitur à Patrino, vel Matrina cum Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati: Quarta à Patre, vel Matre Baptizati, vel Confirmati cum ipso Baptizante, vel Confirmante, & utraque hæc compaternitas appellatur.

36. Denique si quis sodomiticè cognoscat aliquam, vel aliquem conjun-

ctos conjunctione sive carnali, sive legali, sive spirituali, ultra malitiam contra naturam, contrahit etiam malitiam incestus; quia etiam sodomiticè peccando fit contra prædictas reverentias: idémque dic de osculis, tactibúsque impudicis, habebunt enim, hæc, & malitiam impudicitiæ, & mali[illegible] incestus.

Stuprum.

37. TUrpis congressus viri cum virgine renitente, stuprum est, speciatim confitendum; quia addit injustitiæ malitiam illatam per illam vim, cui virgo succumbere coacta est. Renitente (dixi) nam cum consentiente, esse simplicem fornicationem ex sententia probabili, docuimus modò *num. 12.*

Raptus.

38. RAptus est peccatum luxuriæ; quo persona (sive hæc sit virgo, sive soluta, sive etiam puer) abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exequendum: quare cùm sit specialis luxuriæ species, est specialiter Confessario aperienda: differt autem à stupro, quia hoc semper est respectu virginis, at raptus est de quacunque muliere, immò etiam, ut dixi, de puero.

39. Requiruntur autem ad raptum tria; nimirum vis illata, finis inhonestæ libidinis, & abductio.

Vis aderit, vel quando illa mulier, puérve, renitatur, quamvis consentientibus parentibus, vel quando illa, vel ille velit, sed parentibus non consentientibus: nomine autem parentum intelliguntur ij, sub quorum cura & potestate mulier, vel puer est: quod dictum est de vi, dic etiam si per dolum & fraudem persona abducatur: dolus enim æquivalet violentiæ.

40. Finis inhonestæ libidinis aderit etiam, si aliqua vi abducatur ad finem matrimonij contrahendi; sic enim matrimonium velle, inhonestum est; immò tunc, dum rapta est in manu rapientis, si matrimonium fortè contrahatur, invalidum erit, & nullum ex Trid. *sess. 24. cap. 6. de Ref.* si quis rapiatur ad alium finem, non inhonestæ libidinis, non est raptus, und si mulier rapiatur, ut fiat serva v. g. non raptus erit, sed species furti, & injuste vocatur Plagium; quæ certè species erit expressè confitenda, quia, ut ex se patet, addit malitiam contra justitiam, &c.

41. Abductio denique debet esse propriè abductio; nam propterea, quando sine abductione de loco ad locum aliquis fœminæ per vim copulatur, contrahit quidem specialem malitiam contra justitiam, speciatim Confessario declarandam; sed raptum propriè non contrahit. Quid si fœminam, puerúmve abducas de uno cubiculo ad aliud, vel in locum non valdè distantem in eadem domo, seu loco? Respondeo; tunc non committis raptum propriè dictum, quia non est abductio vera illa, qua personam in diversum moraliter locum non trahis, debes tamen hanc vim confiteri; quia tunc, ut dictum est, additur malitia contra justitiam, stuprúmque erit, si mulier sit virgo.

Pec-

Peccatum contra Naturam.

42. ESt illud, quod dispergit semen extra finem generationis, ad quem semen est à natura destinatum; quatuor autem sunt ejus species morales distinctim, ac speciatim Confessioni subjiciendæ; sodomia perfecta, sodomia imperfecta, bestialitas, ad quam reducitur congressus cum dæmone, mollities, seu pollutio.

Sodomia Perfecta.

43. PErfecta Sodomia est turpis congressus, seu concubitus viri cum viro, fœminæ cum fœmina: ita S. Thomas *p. 2. quæst. 52. art. 11.* Nota autem, non satis esse dicere in Confessione, sodomiam commisi; etenim est item explicandum. An quis fuerit agens, an patiens. Ratio est, quia agens committit pollutionem, seu seminis dispersionem, quam patiens, eò ipso quòd sit patiens, non committit: ita de Lugo *disp. 16. de Pœnit. num 243.* contra quem immeritò agit Diana *p. 11. tract. 3. res.* 4.

44. Præterea est distinguendum, quando fœmina cum *fœmina* turpiter congreditur, nam si id fiat commiscendo corpora ex affectu solùm se polluendi, id est, explendæ libidinis, est mollities; si ex affectu ad indebitum sexum, est, ut diximus ex S. Thoma, sodomia.

45. Illa autem celebris hoc loco est quæstio, an reservata in aliqua Diœcesi sodomia, absolutè intelligatur de agente solùm, qui est ille, qui seminat intra vas præposterum viri, hæc enim est undequaque certa sodomia; An etiam de patiente? quæ certè sodomia etiam appellatur.

De utraque intelligi propter rationem dictam probabilius est, sed intelligi solùm (nisi aliud in reservatione addatur) de agente, non possum, non putare probabile, ut tenet Graffius *in Practica casuum reservatorum lib 1. cap 11.* Ratio est, quia certa, & propria sodomia, ad quam unam debet se extendere Reservatio (quæ est ex omnium Doctorum consensu odiosa, & restringenda) solùm est illa, per quam seminatur in vase præpostero masculi, id quod certè non fit à patiente.

46. Puto item, prædictum congressum fœminæ cum fœmina ex affectu ad indebitum sexum non esse in simili absoluta reservatione reservatum, quia non est sodomia communiter nota, & deficit ab illa propriissimè dicta, in quam solùm, ut diximus, cadit reservatio.

Sodomia imperfecta.

49. HÆc, quam aliqui innaturalem concumbendi modum appellant, committitur, quando vir cum fœmina congreditur extra vas naturale: est autem distincta species à perfecta; quare speciatim confitenda; perfecta enim est ex affectu ad indebitum sexum, hæc autem est ad debitum quidem sexum, sed ad indebitam ejus partem, seu ad partem ejus innaturalem.

Be-

Bestialitas, & congressus cum dæmone.

49. ESt species luxuriæ, qua quis turpiter congreditur cum re animata non ejusdem speciei cum homine, & quamvis debeat omnino specialiter aperiri, non tamen est necesse, explicari species animalis, nec ejus sexus; semper enim est eadem deformitas in specie morali; satis ergo erit dicere: *Commisi bestialitatem*, sive fuerit cum equo, sive cum vitula, &c.

50. Reservatâ sodomia, intelligi reservatam bestialitatem aliqui affirmant; sed propter similem rationem à prædicta de sodomiis imperfectis, verius negat Bonacina *de matri. quæst. 4. p. 11. num. 5.*

51. Congressus cum dæmone huc reducitur, siquidem hic non est ejusdem speciei cum homine: est tamen specialiter aperiendus, quia per ipsum superadditur commercium cum Dei, & hominum inimico; ideo est peccatum contra Religionem, & contra charitatem propriam.

52. Notandum insuper hic est, debere in hoc congressu cum dæmone explicari, an dæmon fuerit sub specie viri, an sub specie fœminæ, an sub specie monialis, an sub specie bruti, &c. tunc enim adderetur alia species luxuriæ, nempe affectus ad tales sexus, &c.

Mollities.

DE hac suus erit locus mox in explicatione peccatorum contra seipsum.

Furtum commune.

53. DIximus in superioribus *cap. 14. n. præsertim 6.* probabile esse, majoris quantitatis furtum non esse specie diversum à furto minoris, utrumque enim est contra justitiam, adversus rem familiarem proximi: quare satis erit dicere: *furatus sum quantitatem notabilem.* Quid si fortè à Confessario de quantitate interrogeris? jam supra diximus, illam à te omnino esse explicandam.

54. Furtum, quo quis unico actu bona multorum lædit, quo quis v. gr. furatur bona communitatis, vel hæreditatis plurium, satis explicabitur, si dicatur: *furatus sum à communitate, vel hæredibus*; nec esse quis sollicitus debet explicandi, quotnam personæ in illa communitate, vel hæreditate reperiantur: immò satis esse dicere: *furatus sum rem alienam*; quia ille respectus ad personas in hac materia videtur, se magis materialiter habere, quàm in aliis materiis; potiùs enim hic consideratur quid, quàm à quo per justitiam abstulisti.

55. At rapina quamvis sit furtum, seu rei alienæ contrectatio; tamen quia addit violentiam, quæ est vis, & contumelia contra Dominum adversus justitiæ virtutem, dominíque honorem, ideo debet speciatim explicari, tum ipsa, tum ille, cui illata est vis, & contumelia.

Furtum Sacrilegum.

56. FUrtum Sacrilegum, quod est ablatio rei sacræ, cùm addat ma-

malitiam contra virtutem Religionis, debet etiam speciatim in confessione patefieri.

Committitur autem tribus modis: Primò, si quis furetur rem sacratam, undecunque illam furetur v. g. calicem consecratum; Secundò, si quis furetur rem Ecclesiæ propriam v. gr. candelabra, argentum, aurum, &c. etiam existentia extra Ecclesiam, sed quæ sint in Ecclesiæ dominio: Tertiò, si quis furetur rem profanam quidem, sed quæ ita sit Ecclesiæ tradita, seu commendata, ut sit sub Ecclesiæ custodia, de qua Ecclesia tenetur, v. g. Aulæa sæcularia ad Ecclesiam ornandam ipsi Ecclesiæ commodata; Ratio est, quia in his furtis semper irrogatur injuria peculiaris ipsi Ecclesiæ, ejusque dominio.

57. Non sic, si quis furetur crumenam v g. hominis existentis in Ecclesia, vel tellam v. g. ejusdem hominis in Ecclesia positam ad domini commoditatem, & non sub Ecclesiæ cura, vel vestes, & similia, quæ Parochus nomine suo, & non Ecclesiæ servat: furans enim in his casibus injuriam non irrogat Ecclesiæ; unde nonnisi commune furtum committit, lege Fag. *Ecclesiæ præcepto 2. lib. 4. c. 4.*

58. Et in furto quidem, vel rapina Sacrilegij, nota, quòd si fiat cum effractione Ecclesiæ, incurritur excommunicatio; duo autem debent concurrere ad hanc excommunicationem. Primum spoliatio, seu furtum grave Ecclesiæ: Secundum effractio. Advertunt autem Doctores cum Suarez *d. 22. de censuris*, & cum Sayro *lib. 3. cap. 29.* ad contrahendam hanc excommunicationem, non esse necesse, quod Ecclesia spolietur omnibus bonis, sed sufficit quæcunque subreptio gravis; Advertunt præterea ijdem, sufficere quamlibet violentam Ecclesiæ aperitionem, sive murus rumpatur, sive paries suffodiatur, sive vitrea fenestra frangatur, sive tectum perforetur.

Detractio.

59. Licèt detractio in materia gravi ore, magis proximum infamet, quàm in minùs gravi; tamen, quia semper sistitur in eadem specie damni famæ (quod est contra justitiam proximo debitam, undè illa sit restituenda) ideò satis est, sic se accusare: *Infamavi proximum, seu detraxi de illo graviter*: sive dixeris, illum esse sodomitam, sive furem &c. semper enim secundùm magis, vel minùs fama proximi à detractore læditur, si nihil aliud addatur; undè sequitur, si verum crimen proximi, sed quod erat occultum, alijs propalasti, satis sit etiam, sic confiteri: *læsi graviter proximi famam*; sine necessitate explicandi, an verum fuerit crimen, an falsum; quia malitia detractionis consistit in læsione famæ, quæ æquè in utroque casu læditur.

60. Idem dic de judicio temerario; satis est enim dicere: temerè de proximo graviter judicavi, sive judicaveris, illum esse hæreticum, sive furem, sive homicidam, &c. quia semper sola fama læditur.

61. Dixi tamen (si nihil aliud addatur) nam si ex tua detractione

prævides proximum, non solùm esse infamandum, sed etiam illi aliquod aliud damnum, præter infamiam esse proveniendum; aliam speciem malitiæ addes omninò explicandam; & pari modo ipsa fama, & hoc damnum est restituendum, sic autem confiteberis: *Infamavi graviter proximum, prævidendo, ex mea infamia fore illum occidendum, vel suo officio, vel beneficio privandum, &c.* quia tunc additur malitia contra vitam, vel contra bona: & quia hæc sunt bona diversa, debent speciatim explicari juxta modò dicta *n.* 7. Præterea, si de facto fuit occisus, seu privatus, debes id aperire, tanquam effectum tui peccati, sed juxta doctrinam, quam dabimus infra *in tractatu de Jejunio, in Parergon de ebrietate, cap.* 3. *num.* 57. *& 60.* ubi explicabimus, quandonam quis obligatur explicare, non solùm sui peccati causam, sed etiam effectum.

62. Inquires debétne explicari, coram quibus detractio facta fuerit, & item conditio personæ infamatæ?

Respondeo, licèt acriùs infametur proximus, si coram multis, quàm si coram paucis, tamen cùm hæc culpa aggravet quidem, sed intra eandem speciem, non est necessariò in confessione explicandum: idem dic regulariter de persona infamata, hoc est, non necessariò esse illam exprimendam; undè satis erit, sic fateri; *graviter infamavi proximum*, sine necessitate explicandi, affuisse duos, vel sex, vel decem; nec significandi eum, contra quem egi, fuisse Regem, vel Sacerdotem: Excipe, nisi fuisset Parens, aut alius, cui ex peculiari alia virtute majorem reverentiam ex pietate debeam. Ita de Lugo *disp.* 16. *de Pœnit. sec.* 3. *num.* 112.

63. Advertè autem, te non posse dicere: *Infamavi unum*, si plures infamasti, vel *coram uno*, si infamasti coram multis; quia tunc non diceres tuum peccatum, sed aliud; dicas igitur: *infamavi plures coram pluribus*: At si infamasti unum coram uno, dic: *coram uno unum infamavi*; si denique plures infamasti coram uno, dic: *plures infamavi coram uno.* Idem dicam mox *n.* 71. in simili.

Scandalum.

64. QUando quis inducit aliquem ad peccatum, vel alicui causa est peccandi, dicitur illi esse scandalo: id quod tribus modis contingere solet. Primò, si quis inducat aliquem ad peccandum cum directa intentione, ut is peccatum illud, seu actionem peccaminosam faciat. Secundò, si quis aliquod malum, vel speciem mali habens, sine ejusmodi directa intentione faciat; videat tamen proximum inducendum ad peccatum. Tertiò si quis aliquid agat, quod quidem bonum sit, seu nec malum, nec mali speciem habens; undè tamen proximus occasionem sibi sumat peccandi.

65. Dico jam primò (initium faciendo *ab hoc tertio*) tunc non adesse peccatum scandali, etiamsi hujusmodi proximi peccatum prævideas; quia in hoc casu peccatum non tibi, sed ipsius malitiæ imputabitur: sic si tu secundùm tuum statum ornatè te vestias, tuus au-

autem æmulus tibi invideat, vel tibi paupertatem procetur, non tibi, sed ipsi peccatum tribuitur: Scandalum hoc passivum, seu Pharisaicum aliqui appellant.

66. Dico secundò in secundo modo, inesse quidem peccatum scandali (quod aliqui activum nominant) sed indirecti: si enim tu proximi peccatum non intendas, non es illi scandalo directè; sed tamen quia facis illud, quod prævides, fore causam peccati proximi contra charitatem ejus peccas: ab illo enim facto propter dictam charitatem abstinere debuisses; &, ut supponendum est, potuisses.

67. Advertè autem, sæpissimè non contingere hoc scandalum; quia sæpissimè solet proximus ita esse paratus, & promptus ad peccandum, ut non ex tuo maleficto, sed solùm ex sua malitia peccet ita Sanchez *l. 2. Sum. cap. 6. num. 7.*

68. Addunt enim, tunc solùm admitti à te hoc peccatum indirecti scandali, quando proximum tuo facto, vel verbo malo, seu speciem mali habente, conjicis in gravem difficultatem, & tentationem, cui difficulter resistere is possit. Ita Salas *tom. 3. tract. 13. disp. 3. sect. 15. n. 132. & 133.*

69. Quando autem tale indirectum scandalum committitur, debet... quidem speciatim Confessario illud aperiri: quia ultra tuum peccatum, est cooperatio cum peccato alterius; sed illud probabilissimum est, nempè non necessariò esse explicandum, ad quodnam genus peccati fuerit cooperatio per scandalum hoc indirectum: quare si tuo adulterio, tuo stupro, tuo sacrilegio, tuis impudicis verbis fuisti per scandalum indirectum causa, ut alter similia peccata commiserit, non erit necesse in confessione, sic dicere: *Fui per scandalum causa adulterij, stupri, sacrilegij alterius*, sed satis erit, dicere: *Per scandalum fui causa peccati Proximi*, quia tuum hoc indirectum scandalum semper æquè fuit contra Charitatem salutis proximi.

70. Quòd si interno tunc actu desiderares, ut proximus illud malum, quod tu patras, committat; explicandum erit speciatim, quale malum fuerit; id enim pertinet ad primam classem scandali, de qua mox *n 72.*

71. Quoniam verò supra diximus, pluralitatem individualis malitiæ non esse opus explicare, ideò etiam nunc, si uno verbo, vel facto fuisti causa, ut plures peccarent, illud peccatum non intendendo; non erit necesse explicare; quot fuerint hi plures, sed satis erit, dicere: *Fui per meam v. g turpem locutionem causa ruinæ multorum*: non potes autem dicere, te fuisse scandalo uni, si fuisti pluribus, nec pluribus si fuisti uni, quia sic non fatereris tuum peccatum, sed aliud, ita de Lugo *disp. 16. de Pœnit. num. 135.* Addens non oportere explicari conditiones personæ scandalizatæ, v. g. illam fuisse uxoratam, sacram, solutam; satis enim erit, dicere: *Fui scandalo uni, vel multis*: Ratio est eadem, quia scilicet eadem semper est malitia in hoc scandalo indirecto, nempè contra charitatem dumtaxat.

27. Dico tertiò in primo modo, qui est scandali directi: non solùm debes explicare fuisse alteri scandalo, verùm etiam quòd per scandalum induxisti proximum ad talem speciem peccati, ad sacrilegium v. gr. ad furtum, &c. Ratio est manifesta, quia tunc peccas non solùm contra charitatem, sed etiam contra virtutes oppositas illis peccatis; eadem enim virtus v. g. castitatis, quæ te obligat directè ad tuam castitatem, obligat etiam te, ne ex directa intentione proximum ad peccatum contra castitatem inducas.

CAPUT XVII.

Circumstantiæ speciem mutantes, vel non mutantes, quæ sunt circa seipsum.

Jactantia de peccato.

1. QUi se jactat, seu laudat de aliquo suo peccato; mortaliter peccare, ea peccati specie, de qua gloriatur, non est dubium: de peccato, inquam, nam si de dexteritate, vel de fortitudine, quæ fuit in occidendo v.g. sine periculo complacentiæ de ipso peccato, vel sine scandalo, non esset nisi veniale: at dubium est; an qui se jactat de stupro v. g. vel de adulterio, vel de furto sacrilegio &c. sufficienter sic confiteatur: *Jactavi me de peccato contra castitatem, vel de peccato furti, &c.?* Dico (si aliud non addatur) non solùm sufficienter sic confiteri, sed etiam sufficienter hoc alio modo *toties me jactavi de peccato mortali*; Ratio est, quia in hac mera jactantia tota malitia consistit in eo, quod offensa DEI eligitur, ut medium ad volendam gloriam apud homines, id quod est magna DEI irreverentia: at eadem æquè invenitur in omnibus mortalibus.

2. Dixi (si aliud non addatur) si enim, dum te de peccato jactas, desideras illud committere, necesse est singulas species, quas desideras, explicare, quia ejusmodi est voluntas committendi eas culparum species.

3. Idem dic, si gaudeas de peccato commisso; nam propter eandem rationem non est [illegible]nc satis, dicere: *Gavisus sum me [illegible]aisse peccatum mortale*, sed opus [illegible], peculiarem speciem exprimere, si [illegible]*avisus sum de stupro, de incestu, de con[illegible]ressu cum moniali &c.* quia complacere de peccato à te commisso, est approbare peccatum à te peractum, atque adeò etiam hoc erit explicandum, non ita si purè gauderes de malo, quod alius inimico v. g. inflixit, ut supra explicavimus *capit.* 16. *num.* 8.

4. Quid, si quis solùm morosè delectetur de prædictis sine voluntate, seu sine desiderio illas peccaminosas actiones faciendi?

Respondeo, de hoc jam subdo, quid sit sentiendum.

Delectatio morosa.

5. DIffert permaxime desiderium committendi aliquod delictum, à mera complacentia de eodem: desiderium enim, ut modò vidimus, addit voluntatem ex parte sua efficacem, faciendi illud malum, quod de-

desiderat: at mera complacentia, seu sola delectatio de tali objecto pravo actus est ex se inefficax, & consumatur interius, nec transit ad volendum executioni mandare illud, de quo delectatur: desiderat quis v. g. turpiter congredi cum aliqua, is sane vult hoc malum patrare; verùm siquis solùm sibi interne complaceat de ejusmodi turpi congressu, nec vellet ullo modo procedere ad opus (nec illud, si forte fuerit factum, approbaret) moraretur in ipsa pura complacentia, seu delectatione, quæ vocatur à Theologis delectatio morosa, peccatum quidem est, ut per se patet, & potest contingere in alijs materijs, licet frequentiùs in materia venerea.

Porrò quæstio est, an sicuti, si quis desiderat conjugatam, vel monialem, &c. necesse habet, has species in confessione declarare, ut modò dictum est; eodem modo debeat, si solùm de illis morosè delectetur? Adverte autem hoc peccatum etiam in instanti posse committi, verùm delectatio morosa, quia sistit, seu moratur in se, & non transit ad volendam executionem fortè antea factam?

6. Dico cum Vasquez *2.p.disp.* [illegible] & 112. & cum Castropalao *tom.1.tract. 2.disp. 2. p. 10.* probabile esse, sufficere, si dicatur; bis, ter, &c. turpiter delectatus sum de copula illicita contra castitatem, quamvis persona, circa quam extitit delectatio, fuerit monialis, uxorata, soluta &c. Ratio est, quia tunc non intenditur procedi ad opus, & non intenditur violari jus speciale monialis, uxoratæ, solutæ, &c. ergo accipit suam totam malitiam ab oppositione ad virtutem castitatis.

7. Quòd si quis morosè delectaretur de moniali, ut sacra, de conjugata, ut conjugata, certè explicare debebit conditionem personæ; quia tunc additur nova species, cùm talis delectatio versetur directè in rem sacram, in conjugum &c. Undè fit, ut in delectatione morosa de puero, de actu sodomitico, de bestialitate, de congressu cum dæmone, debeant hæc omninò explicari; quia tunc delectatio versatur in puerum, in sodomiam, in brutum &c.

8. Quando quis respicit mulieres v. g. affectu venereo sine progressu ad eas desiderandas; idem erit, quòd *n.6.* dictum est de pura delectatione morosa, in hoc enim casu sistit interiùs tota delectatio, quæ tamen non sisteret interiùs, si quis illas, vel solis oculis invitaret, vel illas inhonestè tangeret; tunc enim quia actio fieret exterior, debet personæ tactæ, vel sollicitatæ conditio declarari: ut etiam, si quis aspiceret simili venereo affectu puerum, brutum, &c. debebit explicari rei quamvis solùm morosè cogitatæ conditio, idque propter rationem modò dictam *num.* 7.

9. Unum supereſt decernendum; an in delectatione morosa de objecto turpi debeat pœnitens explicare statum seu conditionem suæ personæ, esse nimirum Religiosum, seu se habere votum castitatis, vel esse solutum &c.

Respondeo, debere, quia tunc peccat contra castitatem, & item contra Religionem. Illud non est improba-

bile, quod docet Gaspar Hurtadus *de subjecto peccati disp. 4. dis. 10.* Vxoratum in dicta pura delectatione morosa de aliena, non habere obligationem explicandi, se esse conjugatum; quia, inquit, in matrimonio, traditur quidem jus sui corporis alteri conjugi, sed non jus in suam mentem; unde non valeat ex vi conjugij cogitare ea, quæ velit, quamvis cum peccato contra castitatem. Scio, Vasquez citatum ab eodem Hurtado docere, etiam ab uxorato debere in dicta delectatione, quamvis purè interiori, explicari suum conjugij statum: sed non adesse sufficiens fundamentum id dicendi, meritò docet prædictus Hurtadus.

Locutio de rebus inhonestis.

10. Huc reducimus locutionem turpium; potest enim ea esse non rarò sine progrediendi intentione ad opus: dico igitur, si, dum de turpibus confabularis, eadem concupiscas, esse objectum concubitum in in confessione declarandum, ut patet ex dictis: at si delecteris solùm vel de narratione ipsa sola turpi, vel de ipsis objectis, de quibus est collocutio sine desiderio de illis, non esse opus explicare; an fuerit locutio de stupro, de adulterio, de incestu &c. nisi fortè delecteris de his, ut talia sunt; qualis est delectatio de sodomia, de conjugata juxta dicta *n. 7.*

An in locutione horum turpium debeas explicare, num fueris primus ad loquendum *dixi cap. 16. num. 16.* Ut etiam ex dictis colligi potest, quomodo pecces, si tu loquendo cum socio, prævides illum non delectari purè dumtaxat, sed procedere ad desiderandum.

Mollities.

11. Hæc definitur à S. Thoma 22. *q. §. art. 11.* esse peccatum contra naturam, per quod procuratur effusio seminis extra concubitum, explendæ libidinis causa: est species peculiaris contra castitatem, atque adeò specialim explicanda: si autem quis, dum hoc crimen committit, figit animum v. g. in conjugatam, in consanguineam, in virum, in brutum, debet etiam hæc speciatim in confessione declarare; contrahit enim item illam malitiam, quam cogitat, seu cui consentit.

12. Si quis hoc peccatum committat manibus alterius viri, vel fœminæ, vel ipse alium, vel aliam suis manibus polluat, debebit explicare statum adjuvantis ipsum, vel ab ipso adjuti, quia tunc supervenit alia sive numerica, sive specifica deformitas cooperationis cum socio, ut alibi à me latiùs explicatum est.

13. Qui ex defectu ætatis, vel ex alia causa (quales sunt pueri, puellæque impuberes, ut item Eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile, peccant, peccant mortaliter ex pravo affectu ad pollutionem: sed certè hæc species peccati differt à vera pollutione, cujus est projicere semen contra generationis finem, quæ projectio non est in prædictis ejusmodi, ergo peccatum in impuberibus reducitur reipsa ad ta-

tactum impudicum, & solùm ex affectu est peccatum contra naturam: quare debebit hoc speciatim in confessione patefieri, nisi aliquando obstet monitio, quam jam subdo.

Monitio pro Confessione turpium.

14. QUæ hactenus de peccatis obscœnis explicuimus, factum est ad eorum naturam cognoscendam; nam certè non rarò expediet de tot minutijs nequaquam pœnitentes à Confessarijs interrogari, & expedit, ut ipse pœnitens ex se modestis verbis id dicat; quando advertit; sed quoad Confessarios sic habet Filliucius *in instruct. brevi pro Confessariis cap.* 2. Prudens esse Confessarius debet in exquirendis cautè circumstantijs sexti præcepti, præpatatorijs ad actum consumatum, modis minutis non necessarijs, ne se, vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem.

15. Coninch. etiam sic ait *d.* 7. *de Sacramentis dub. num.* 59. Præstat aliquando, Sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, & esse nimium.

16. Angelus *v. Interrogationes num.* 1. sic docet, confitetur mulier, quòd fuerit cognita extra vas debitum, non quærat postea Confessarius, in quo loco, vel quo modo, & hujusmodi, sicuti faciunt quidam, qui potiùs sunt contaminatores, quàm Confessores.

17. Delgadillus *de Pœnitent. cap.* 17. *num.* 99. valdè caute, inquit, debet se gerere Confessarius in examine Pœnitentis circa peccata turpia: unde notant multi, quòd si vir, vel fœmina confitetur, habuisse copulam extra vas naturale, non debet Confessarius inquirere (addo ego, subdit Delgadillus, quod non permittat declarare) in qua parte corporis, quia sufficit, cognoscere, peccatum illud esse contra naturam commissum cum viro, aut muliere, ut cum Angelo, & Fagund. notat Diana *c.* 13. *tr.* 4. *n.* 99.

18. His addi potest Verricelli *tr.* 4. *resp. mor. quæst.* 1. qui *num.* 5. sic habet: quando concubina se accusat per annum singulis diebus semel, aut bis cognitam fuisse, quis non videt, quàm turpe sit, quantumque periculi affert, tam Sacerdoti, quàm pœnitenti eam interrogare, quot vicibus penetraverit vas? &c.

CAPUT XVIII.

De medijs, quæ assumuntur ad peccandum.

1. NOnnulla supersunt dicenda, quæ ad integritatem confessionis pertinent. Nunc igitur dicamus de medijs, quæ assumuntur ad finem peccandi, nam de fine peccantis satis ea sunt, quæ supra *c.* 12. *n.* 14. & 15. explicuimus.

2. Porrò prædicta media trium generum esse solent. Primò indifferentia ex se; ut si quis se vestiat, surgat à lecto, ambulet, equitet, ad occidendum inimicum, & de his,

3. Dico

3. Dico non oportere in Confessione explicare, quænam illa speciatim fuerint: sed solùm sic in genere: *tanto tempore conatus sum externis mediis inimicum occidere*, seu planius: *tanto tempore præparavi media ad inimicum occidendum*: id quod per aliam occasionem supra declaratum est.

4. Secundò, solent hujusmodi media esse mala, sed diversæ speciei à malo, quod finaliter intenditur; ut furari gladium; vel sclopum ad occidendum: dico, hæc media omninò explicari debere, quia ipsa sunt nova, & peculiaria peccata, ut ex se patet, & ego memini, me dixisse aliquanto superiùs.

5. Tertiò. Ejusmodi media solent esse mala ejusdem rationis cum malo finaliter intento: ut turpiter loqui, osculari, tangere ad finem turpis congressus: dico, hìc esse distinguendum, nam si principalis actus malus intentus non est subsecutus, vel intentio peccantis fuit sistere in illis actibus, ij sunt Confessori aperiendi, ut v. g. si turpiter puellam aspexisti, vel tetigisti, sed non processum est ad aliud; nam tunc, quia, ut supponimus, animum habuisti sistendi in illo tactu, vel aspectu; ideò debebis hos actus aperire; quia hi sunt propria peccata; ut etiam debes animum tuum, seu desiderium de illa, confiteri, si illud habuisti.

6. Verùm si animum habuisti procedendi ad turpem congressum, & simul statim, vel satis modico interjecto tempore de facto ad illum processisti; tunc probabile est, satis esse, dicere illum finalem actum, sic: *turpiter congressus sum cum soluta v. g.* Ratio hujus probabilitatis est, quia tunc ij præcedentes, & quasi præparatorij actus satis explicantur, & à Confessario ex modo ordinario peccandi satis intelliguntur, intellecto fine jam obtento. Nec solùm præcedentes similes actus, sed etiam statim consequentes, si non ordinentur ad aliam copulam, satis modo dicto explicantur, quia ob eandem rationem sunt modi ordinarij peccandi.

Dixi autem (statim processisti, & statim consequentes) si enim notabile interjaceat tempus, cùm tunc essent distinctæ actiones, & non in eodem calore patratæ, speciatim essent confitendæ eo modo, quo docuimus *cap. 14. à num. 27.*

An prædicta mala media ad pravum finem possint separatim confiteri?

1. SI quis in secundo genere mediorum peccaret, furaretur v. g. ut occideret, vel ut adulteraret, bene ne se, suúmque peccatum explicaret, si sic diceret separatim: *Confiteor me furatum esse*, & postea: *Confiteor me occidisse.*

8. Respondeo, in eadem Confessione nequaquam benè se explicaret, quia Confessarius sic intelligeret, te duo peccata commisisse, cùm solùm commiseris unum cum duplici malitia in specie morali: at si per inculpatam oblivionem solùm confessus es furtum v. g. potes in secunda confessione separatim fateri homicidium, si illud explicari poterit sine mentione furti (ut certe

certè in hoc exemplo furti, & homicidij, & similium potest, quod non potest in casu mox dicendo *n.* 11.) Ratio est, quia secus obligareris iterum tuum peccatum ritè absolutum confiteri, ita de Lugo *disp. 19. de Pœn. à num. 652.* apud quem id latiùs lege.

9. Quod dictum est, intelligine etiam debet (ut id hac occasione non omittam) quando in eodem indivisibiliter actu adest duplex specie malitia? Si quis v. g. habens votum castitatis, contra castitatem peccet, cùm duas malitias specie diversas contrahat, nempe fornicationis v. g. & fractionis voti, hoc est, contra virtutem castitatis, & contrà virtutem Religionis, potéstne separatim has malitias confiteri?

10. Quid secundò, quando in eodem actu est duplex numero malitia, ut si quis uno ictu occidat duos homines, potest ne dicere: *Occidi hominem*, & deinde, *hominem occidi*: *Peccavi contra votum*, & deinde, *peccavi per fornicationem contra castitatem.*

Respondeo non posse in prima Confessione: posse in secunda, si bona fide processum fuit, & sic explicari malitia in secunda Confessione potest; atque hæc propter rationes modò *num. 8.* allatas.

11. Est enim diligenter advertendum in his casibus, & in prædictis *n. 8.* alijsque similibus intelligi, quando in secunda Confessione declarari potest unà malitia sine mentione alterius, ut potuit in casu dicto *dictis num. 7. & 8.* & etiam in casibus dictis *num. 9. & 10.* At si in prima Confessione (quamvis bona fide) dixisti, te puellam violasse, quam tamen tu violaveras violenter, non satis in secunda Confessione explicares tuum peccatum, si diceres: *ego fui violentus in quandam personam*; nam fuisse violentum in personam aliquam, cum potuisset esse, vel circa honorem, vel circa personam, vel circa rem familiarem, non explicares turpem congressum factum cum violentia, qui constituit propriam speciem stupri; & ideò tunc, & in similibus non separatim, sed simul est Confessori in secunda Confessione declaranda, quando per accidens erit, quod bis ob necessitatem explicandi tuum peccatum, idem Confessioni subdatur.

CAPUT XIX.

De peccatis ex ignorantia, vel ex conscientia erronea.

1. SI cum culpa mortali non vis scire, hoc esse peccatum, non vis v. g. scire hodie esse diem festivum, & cum possis inquirere, non inquiris, & sic illum non servas, peccas mortaliter per ignorantiam, quam vincibilem, seu culpabilem appellamus: si verò probè sciens esse festivum, adhuc illum non servas, peccas item mortaliter, ut ex se constat.

2. Quæro jam, an in utroque hoc casu sufficienter sic confitearis; *Missæ non interfui die festivo*?

Respondeo. Sufficienter, sive enim culpabiliter ignarus, sive sciens Missam omittas, semper contra cultum DEI ab Ecclesia præceptum peccas;

unde utraque est eadem species peccati contra Religionem: hinc si occidisti hominem putans culpabiliter esse feram, vel eundem occidisti cognoscens, esse hominem, potes sic fateri: *occidi hominem*, & sic in similibus.

3. Non dissimili modo, si Titius v. g. putat, aliquod esse peccatum, quod certè peccatum non est (quo pacto dicitur habere conscientiam erroneam) & illud committit, contrahit speciem peccati, quam putat: quare si putat hodie esse vigiliam, illamque nihilominus non servat, peccat mortaliter ex conscientia erronea. Pari modò si Cajus v. g. scit hodie esse vigiliam, quæ reipsa est, illamque non servat, certè, ut ex se patet, peccat mortaliter contra præceptum à se cognitum; sed dico, utrumque tum Titium, tum Cajum sic legitimè confiteri posse; *Violavi præceptum Jejunij, seu in vigilia de præcepto non jejunavi.* Ratio est jam insinuata, quia peccatum, quod existimatur tale, & peccatum, quod est tale, non differunt specie morali, cum ex intentione operantis voluntas feratur in idem objectum.

4. Est tamen notandum, in tribus casibus ignorantiam, vel conscientiam erroneam esse declarandam.

Primò, quando videndum est, an ob ignorantiam ponatur quis in proximo periculo peccandi: ut si quis copuletur v. g. fœminæ nolens scire, vel scire culpabiliter nolit, an ea uxorata sit, an monialis &c. quia tunc ponit se in periculo committendi adulterium, vel sacrilegium &c.

Secundò, quando cognosci debet, an peccatum sit excommunicatione, vel censura, vel reservatione affectum; hæ siquidem sunt compositæ delictis, quæ in se talia sunt: quare si tu putans, Petrum esse clericum, cum ipse clericus non sit, peccasti quidem, si illum, suadente diabolo, percussisti, sed tamen in excommunicationem non incidisti.

5. Tertiò, aperienda est conscientia erronea, quando Confessor cognoscere debet tuum ipsum peccatum: si enim tu puer putans esse hodie diem jejunij, non jejunasti, fatearis autem hoc modo: *Jejunium in die vigiliæ non servavi* Confessor, qui te puerum esse videt, judicabit, te non peccasse, quia puer ad jejunium ab Ecclesia non obligatur: dicas igitur in hunc ferè modum: *Cum putassem, me obligatum ad servandam vigiliam, illam tamen non observavi.*

CAPUT XX.

Secreta.

1. QUod Confessio secreta esse debeat ex parte Confessoris, res est nota nimis, & infra suo loco magis explicabitur: An autem ex parte pœnitentis obligetur hìc Confessionem suam secretè apud Confessarium deponere, diximus supra satis *cap. 4. à numer.* 14. cum loqueremur de Confessione per interpretem.

CA-

CAPUT XXI.

Lacrymabilis, accelerata.

1. ID quod pertinet ad qualitatem (lacrymabilis) explicatum est cum de dolore actum est suo loco.

Quod pertinet ad Confessionem (acceleratam) dico non esse obligationem statim confugiendi ad Confessionem, ut primùm tu mortaliter peccasti: neque enim novum peccatum committit, qui suam Confessionem differt ad tempus obligationis Ecclesiæ, vel sumptionis Eucharistiæ, vel periculi mortis: sed quia est salubre consilium, statim sine mora revertendi ad DEI amicitiam, ideò acceleratio hæc maximè commendatur.

CAPUT XXII.

Fortis, & accusans, ubi de occasione proxima, & de recidivo.

1. ILlud (Fortis) ostendit, pœnitentem debere fateri difficultates omnes, ut peccata confiteatur, ut occasiones proximas deserat, ut à recidivo se compescat; circa quæ lege duo documenta, quæ infra dabo *cap. 26. num. 11. & 12.*

Denique illud (Accusans) ostendit, pœnitentem, utpotè reum coram Domino, accusare sua peccata debere cum sinceritate, non autem excusare: dico (cum sinceritate) æquè enim quis erraret, si se supra quàm commisit, accusaret, id quod iterum me monuisse, recordor.

CAPUT XXIII.

Sit parêre paratus; ubi, an Pœnitentiam à Confessario impositam, vel imponendam Pœnitens subire debeat?

1. POEnitens debet esse paratus, ea facere, quæ prudens Confessarius ipsi peragenda imponit: imponere autem solet. Primò aliqua in medicinam v. gr. ne in domum talis puellæ ingrediatur: ut jejunet ad edomandam concupiscentiam, atque hæc appellatur pœnitentia medicinalis: Secundò, explicare solet obligationem, quam habet pœnitens v. g. ad restituendum, ad officium suum exequendum, & hæc vocatur pœnitentia ex se obligatoria: Tertiò, imponere solet aliqua bona opera in satisfactionem pœnæ ob suas culpas debitæ, ut elargiri eleemosynam, orare, se flagellare, jejunare &c. & hæc propriè appellatur satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: de his igitur habe sequentia.

2. Posito, quòd Confessarius tibi pœnitentiam imponit, tunc eam acceptare, & adimplere omninò in praxi debes: omittenda enim hìc potiùs speculativa illa quæstio; quàm practica, an in omni rigore possit illam pœnitens non acceptare, paratus eam in purgatorio solvere: lege de Lugo, Castropalaum, aliosque citatos à Verricelli *de Missionibus tract. 9. quæst. 144. dub. 8. §.*

3. Quod si quæras, sub qua obligatione adimplenda sit? Respondeo: Medicinalem, & obligatoriam adim-

plendam esse sub gravi, vel levi obligatione juxta levitatem, vel gravitatem operis impositi: an pœnitentiam datam in satisfactionem, sub qua obligatione debeas? Est distinguendum: nam vel primo pœnitentia est levis, aut si est gravis, imponitur utraque pro solis venialibus, vel mortalibus aliàs ritè absolutis: vel secundo est levis, sed data pro peccatis gravibus: vel tertio est gravis, & data pro gravibus, sed Confessor se explicat illam injungere sine gravi obligatione: & dico in his tribus casibus probabile esse, te, si illam non adimpleas, non peccare mortaliter, esto contrarium sit etiam probabile, ut legere poteris apud Dianam *p. 3. tr. 4. ref. 136.*

4. Quando autem pœnitentia gravis est, deque gravibus absolutè injuncta est, debes omnino in praxi eam, adimplere, & quidem quàm primùm non incommode potes: sicuti docere de voto solemus, cum aliqua nimirum morali dilatione, dummodo nimia non sit dilatio, ut per illam minuatur ipsa pœnitentia, sicut minueretur ipsa impletio ingressus in religionem, si tardiùs ille fieret. Aliqui nimis laxe ad unum annum differri posse pœnitentiæ impletionem putant, perinde ac potest ipsa peccatorũ Confessio ad annum differri, nisi Evcharistiæ sumptio, vel mors imminens urgeat. Lege *p. 11. tr. 7. ref. 10. & tr. 8. ref 26.*

5. Posse te sine peccato pœnitentiam implere in statu peccati mortalis, fatemur omnes, ut videri potest apud de Lugo *disp. 29. de pœnit. sect. 6.*

6. Licèt probabile sit, pœnitentem non posse sibi in æquale, nec in melius commutare pœnitentiam (quamvis sibi possit, ex probabilissima opinione vovens sibi commutare votum, saltem non reservatum in æquale, vel in melius) quia pœnitentia est inflicta à Confessario, tanquam Judice, estque pars integralis Sacramenti: quale non est votum: oppositum tamen probabile etiam judico cum Diana *tract. 7. resol. 3. & tract. 8. resol. 26.* quia nimirum DEUS illam commutationem (maximè si sit in melius, acceptare præsumendus est.

7. Probabile item est, Confessarium sive eundem, qui pœnitentiam injunxit; sive alium posse, modo tamen mox explicando, pœnitentiam commutare, vel diminuere.

8. Et idem quidem Confessarius ex rationabili suo arbitrio, alius autem ex aliqua majore, ac justa causa, (qualis certè esset, si pœnitens diceret, non posse, seu difficulter posse illam pœnitentiam implere) commutare valet: quando autem commutatio fit ab eodem Confessario, non est necesse, ut hæc commutatio fiat in Confessione, & ut audiantur peccata, pro quibus talis pœnitentia injuncta fuit. Lege Dianam *ref. 3. est.*

9. At si commutatio expedienda sit ab alio Confessario, quamvis opus non sit audire illa peccata, pro quibus data fuit illa pœnitentia, cùm satis sit cognoscere ipsam pœnitentiam impositam; opus tamen est, ut fiat intra confessionem: ratio est, quia Sacerdos non habet potestatem in hoc tribunali, nisi

nisi quando administrat Sacramentum Pœnitentiæ : cùm verò commutatio, quæ nunc fit ab eodem Confessario, pertineat ad complementum prioris factæ confessionis ; ideo censetur fieri in confessione ; & sic non est necesse, ut dictum est, fieri in actuali confessione, cùm satis sit, si fiat in ejus complemento. At quia hoc complementum non est in alio Confessario, ideo debet is commutationem expedire in actuali, seu præsenti confessione, secus eam non expediret in administratione Sacramenti.

10. Pertinet ad Pœnitentiam imponendam id, quod habet Candidus *disp. 24. de Confess. art. 31. dub. 19.* his verbis : Nunquam Sacerdos errabit imponendo pœnitentibus remissiores, & leviores pœnitentias attenta eorum impotentia, vel fragilitate, vel debilitate corporis, vel animi, spiritúsque languore, & torpore; tum quia Sacerdotes semper debent in mitiores partes inclinare, & condescendere pœnitentibus, nam in hoc minùs periculi est, quàm si gravioribus pœnitentiis hominem deterreant, vel in desperationem inducant : tum quia Sacerdos solet imponere in satisfactionem pœnitentis generatim omnia opera pœnalia, quæ idem pœnitens facturus est, per illa verba (quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris &c.) hæc ille. Atque hoc postremè dictum notat etiam Diana *p. 11. 7. res. & tract. 8 res. 26.* Advertit autem de Lugo *disp. 25. de pœnit. num. 60.* monendum esse pœnitentem de levitate pœnitentiæ, ut scilicet ex se suppleat, & non putet, se minùs graviter peccasse.

11. Dices : at *Concil. Trid sess. 14. cap. 8.* ait, cavere debere Sacerdotes, ne, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

12. Respondeo, at idem Tridentinum paulò ante ibidem sic dicit : debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere. Hæc Concilium : nota illud (*& prudentia*) & illud (*salutares, & convenientes*) nam inde colliges prædictam doctrinam Candidi, Tridentino non adversari.

Huc denique facit id, quod his verbis docet, Quintanaduennas, *tomo 2. singularium.* *Quando*, inquit, *pœnitens est ita morti proximus, ut nihil percipiat ; non injungetur pœnitentia : item quando scrupulosus, vel timoratus, semel, ac iterum in eadem hora accedit post confessionem factam, aliquid novi semper confitendo potest Confessarius injungere pœnitentiam, jam alias, vel primò injunctam, si nondum sit impleta,* ita Fagund. Bonac. de Lugo.

13. *Immò si quis confiteatur duo vel tria peccata mortalia oblita in confessione, si pœnitentia injuncta talis sit, ut Confessarius graviorem, quam imposuerat, non imposuisset, possit alium pœnitentiam non addere.* Hæc Quintanaduennas.

Excusationes Pœnitentiam non adimplendi.

14. EXcusabitur primò pœnitens à solvenda pœnitentia, quoties illa arbitrio prudentis esset irrationabilis, & immoderata. Secundò quoties fieret impossibilis, vel valde difficilis, ut ob supervenientem morbum: adverte tamen, si solùm esset differenda, te non excusari, sed implere debes, quando potes. Ut etiam si sit dividua, non excusaris ab implenda parte, ut, si pœnitentia fuisset de recitando Rosario, & de flagellatione, si infirmitas te excusabit à gravi flagellatione, non excusabit à Rosario: immò potest contingere, ut ejusmodi infirmitas non sit tanta, quæ te excuset à flagellatione, quam levem fortasse Confessor imposuit.

15. Tertiò, quoties supervenit strictius præceptum, ut si deberes hodie inservire Hospitali, & supervenirret morbus gravis tuo patri, cui deberes assistere: tunc enim excusaberis à servitio Hospitalis, nec debebis postea, si pœnitentia expresè fuit addicta huic diei, sed certè pœnitentia injuncta à Confessario non solet addici præfixo tempori; quare etiam si dicat Confessor (*Jejuna cras*) si cras non potes, debebis postea, nisi expresè aliud explicet Confessor.

16. Quartò, quoties sine tua culpa obliviscaris pœnitentiæ, nec illam rescire à tuo Confessore potes; quia fortè absens est, in quo casu non obligaris alia opera subrogare, nec pœnitentiæ omissionem confiteri, si fortè oblivio sine culpa fuit; tunc nequaquam peccasti: nam si cum culpa, certè hujusmodi culpam opus esse apud Confessarium deponere, nimis est manifestum.

Quintò excusat acquisitio indulgentiæ eo modo, quem jam subdo.

An excuset ab implenda Pœnitentia Indulgentiæ plenariæ Acquisitio?

17. QUoties quis lucratur indulgentiam plenariam, liberatur ab obligatione implendi pœnitentiam, ita de Lugo cum innumeris *d* 27. *de Pœn. à num.* 22. Ratio (præter Bonifacij VIII. authoritatem, qui nolebat Confessarios imponere pœnitentias ijs, qui Jubilæum Anni Sancti lucrabantur) est, quia pœnitentia imponitur ad satisfaciendum pro peccatis: si ergo per indulgentiam utique plenariam tollitur debitum talis pœnæ, cessat fundamentum obligationis: Recole autem, nos hîc loqui de pœnitentia, quæ non sit ex se obligatoria, vel in medicinam necessariam, quales essent restitutio, remotio ab occasione, &c.

18. Hinc, colligit primò idem de Lugo *l.* 1. tempore Jubilæi posse leviores pœnitentias imponi peccatori etiam magnis, & enormibus culpis gravato, obligando tamen eum ad lucrandum indulgentiam Jubilæi: id quod certè est levamen Confessariorum, qui non rarò dubitant, quam pœnam possint ponere ingentibus peccatoribus, debet tamen id significari pœnitenti, ne is suorum peccatorum gravitatem

minimè expendat: id quod paulò antè etiam monuimus in simili.

19. Colligit idem secundò, Confessorem posse per impositionem factam pœnitenti, ut recipiat indulgentiam plenariam, ipsum sublevare à multis pœnitentiis, quibus fortè sit gravatus, & quas nondum solverit; & quia id non fit ex potestate Confessarij, ut fiebat in casibus modò dictis *num. 9.* sed ex potestate Pontificis indulgentiam concedentis, ideò potest fieri à quocunque Confessario, sive is imposuerit eas pœnitentias, sive alius: immò propter eandem rationem, si pœnitens sit homo doctus, poterit ipse ex se.

Prudenter tamen advertit cum aliis de Lugo, consulendum semper esse, aliquam pœnitentiam injungere, tum ob meritum talis operis, tum quia propter varias causas indulgentiæ effectus impeditur aliquando: nam cæterum, si verè plenariam lucrareris, recurreret documentum Bonifacij octavi.

20. Colligit tertiò, Quintan. *T. 2. singularium tract. 3. sing. 33.* ut pœnitenti non valde gravem Confessarius pœnitentiam imponat, posse ipsi applicare (si applicata non sit) indulgentiam plenariam pro vita semel in Bulla Cruciatæ concessam. Modum hanc applicandi dictus à me est *in tract. de hac Bulla cap. 12. §. 1. num. 1.* vel posse injungere, ut ex virtute ejusdem Bullæ visitet quinque Ecclesias, vel Altaria (*modo ibidem cap. 10. num. 1. à me dicto*) unde acquirat stationes Romanas, in quibus adest in unoquoque die indulgentia plenaria; vel posse injungere, ut visitet septem privilegiata Altaria, ubi illa sunt ad indulgentiam plenariam acquirendam: indulgentias concessas, nnmismatibus sacris, vel imaginibus, vel sacris quibusdam precibus, vel similibus: Quia tamen regulariter aliqua claudicant ex parte, vix huc adducor, nam incertæ propter varias causas sæpe judicantur: examinanda ergo semper erit indulgentia, an saltem sit probabiliter vera; & tunc ut habet ex Soto de Lugo *disp. 25. de Pœnit. num. 48.* satis illa erit ad omittendas pœnitentias, cùm probabilitas sufficiat, ut quis prudenter operetur, & consequenter ut judicet semper, illam indulgentiam completè iis satisfeciſſe.

De ijs, quæ pertinent ad Confessarium.

AD quinque capita hæc restringo; primò, ad jurisdictionem: Secundò, ad approbationem: Tertiò, ad prudentiam: Quartò, ad scientiam: Quintò, ad auditorum in confessione silentium.

CAPUT XXIV.

De Jurisdictione Confessarij.

1. JUrisdictio est potestas dicendi Jus, & proferendi sententiam absolvendo à delicto, vel imponendo pœnam: Jurisdictio ergo in nostro casu erit potestas data à legitimo Superiore alicui Sacerdoti, per quam tanquam in suos subditos dictus Sacerdos potest reducere in actum eam potestatem absolvendi à culpis, & pœnitentias injungendi,

gendi, quam habet ex ordine Sacerdotij.

2. Quamvis autem ex solius Sacerdotij vi, Sacerdos possit reducere in actum potestatem absolvendi peccata venialia, & mortalia aliàs absoluta, ut alibi dixmus; at ad absolvenda mortalia nondum absoluta, indiget facultate legitimi Superioris, qualis est summus Pontifex, vel Delegati ab ipso, ut sunt Episcopi, Prælatique respectu suorum subditorum.

3. Acquiret igitur Sacerdos hanc actualem jurisdictionem. Primò, per expressam concessionem sui Superioris, vel Episcopi, seu Prælati; Secundò tacitam, nempè per ratihabitionem de præterito, vel de præsenti, pro qua tot conditiones requiruntur, ut in praxi, nisi aliud expressiùs addatur, nunquam illam sequaris. Lege Fagundez *præcept. Eccles. 2. lib. 7. cap. 2.* Ratihabitionem de futuro sufficientem non esse, docemus omnes. Tertiò per errorem communem, & titulum coloratum acquiritur etiam hæc jurisdictio. Ut si quis Sacerdos habeat patentes Confessionis dolo extortas, & communiter à populo existimetur, & habeatur pro Confessario, ut latè disputat Sanchez *lib. 3. matr. disp. 22.* & Sanchez quidem *ibidem num. 4.* cum alijs requirit ad requirendam ejusmodi potestatem jurisdictionis tum titulum coloratum, tum errorem communem; at Pontius *lib. 5. matr. c. 20. n. 6.* alijque satis probabiliter ajunt, sufficere solum errorem communem.

4. Adverte autem, peccare graviter Sacerdotem utentem tali potestate, quam scit verè se non habere, licèt Confessiones sint validæ; quia Ecclesia præsumitur, illam conferre ob bonum pœnitentium ad imitationem legum civilium *l. Barbarius ff de offic. Prætoris*; non ad excusandum Confessarium. His positis adsunt duæ practicæ quæstiones.

Acquisitio Jurisdictionis ex sententia probabili.

5. QVæritur enim primò, an sicuti ex titulo colorato, erroréque communi acquirit Sacerdos jurisdictionem dictam; ita ex opinione probabili? Titius v. g. Sacerdos ex rationibus probabilibus colligit, se habere Jurisdictionem (ut item approbationem illam, de qua mox) ad administrandum pœnitentiæ Sacramentum, validéne administrabit, & licitè, quasi sic habeat necessariam facultatem ad illud administrandum?

6. Respondeo. Negant Joann. Sanchez, aliique plures *d. 44. num. 3.* Ratio est, quia, ajunt, in jure non invenitur, tradi jurisdictionem ex opinione probabili, sicuti invenitur tradi ex titulo colorato, erroréque communi: Adde, non posse duci paritatem à titulo, & errore ad probabilitatem, quia error communis est apud multos, at opinio probabilis est solùm apud paucos sapientes.

7. Concedunt nihilominus, & quidem meritò Thom. Sanchez *lib. 3. de matr. d. 22. n. 65.* & in summa *lib. 1. cap. 9. n. n. 35.* aliique plures; Ratio hujus sententiæ est, quia constat apud omnes, universalem Ecclesiæ consue-

suetudinem conferre jurisdictionem, vel elle signum jurisdictionis collatæ: sed omnes ferè Sacerdotes consuetudinem habent (ut testatur de Lugo *dub.* 19. *de Pœnit. n.* 35.) absolvendi, seu administrandi hoc Sacramentum cum opinione probabili suæ jurisdictionis, ergo, &c.

Neque obstat ratio prioris sententiæ, quia nostra non fundatur immediatè in aliquo jure scripto, sed innititur consuetudini universali, quæ juri æquivalet.

8. Hinc rectè Castropalaus *t. 1. tr. 1. p. 5. n.* 9. sic habet: *Quando adest probabilis opinio absolvendi à reservatis, & à censuris, & assistendi matrimonio; nullo morali periculo se exponit minister irritum faciendi Sacramentum; quia licèt ex privilegio jurisdictionem non habeat, habet tamen ex tacito consensu Ecclesiæ, & ratihabitione de præsenti supplentis jurisdictionem, ne totus actus irriti sint.*

Duratio jurisdictionis, ut etiam approbationis.

9. Quæritur secundò, quandiù duret jurisdictio (ut item approbatio) collata Sacerdoti ad absolvendum?

10. Respondeo. Tribus modis potest tibi ab ordinario, seu à legitimo Superiore delegari, seu concedi potestas absolvendi. Primò absolutè: Secundò, ad certum tempus: Tertiò ad tempus incertum.

Si primo modo concedatur, durabit donec legitimè revocabitur, & quidem posito actu revocationis: undè mortuo, vel amoto concedente, adhuc illa perseverat, donec successor positivè revocet, quia est gratia facta.

11. Si secundo modo, durabit usque ad tempus, seu terminum præcisè designatum, nisi antea revocetur.

12. Denique si tertio modo se habet ejusmodi concessio ad tempus incertum, duplici modo fieret solet.

Primò, per has formulas: (*do tibi facultatem absolvendi, donec revocavero*, vel *donec aliud ordinavero*, vel *usque ad aliud*: Dico, nisi Superior per voluntatem positivam removeat, seu revocet talem concessionem, semper illâm perseveraturam, etiam post mortem concedentis, vel post amotionem ejus ab officio, nisi à successore revocetur; Ratio est, quia ut expiret talis concessio, debet poni illud (aliud) seu illud (*revocavero*) quod jam nunc supponimus, non poni.

13. Secundò potest fieri hæc concessio per has formulas (*do tibi facultatem absolvendi, donec voluero*, vel *mihi placuerit*, vel *ad meum beneplacitum*) dico de his, duas esse sententias; Thomas Sanchez cum alijs *l. 8. matr. d. 28. num. 52.* docet concessionem sic factam expirare morte, vel amotione concedentis; quia, inquit, per has formulas deberet adesse volitio, seu placitum concedentis, at post mortem non adest; post mortem enim, nec volitio est, nec placitum, nec beneplacitum.

14. Nihilominus Caspar Hurtadus *l. de Pœnitent. diff. 4.* & alij ajunt, neque per has formulas posteriores expirare concessiones, sicuti non expirant

per priores, donec à successore revocentur. Ratio est, quia concedo, debere adesse per has formulas volitionem, & beneplacitum, at jam adest, seu continuatur; eo ipso enim, quod non revocatur ejusmodi voluntas, satis manet habitualiter, & morali, humanoque modo: nam dum non revoco voluntatem aliquid faciendi, certè in illa adhuc persisto; & sicuti voluntas Testatoris, quia jussit aliquid faciendum, remanet moraliter post mortem; ita proportionaliter in casu nostro.

15. Quæres, in tempore Jubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, facultas absolvendi durat usque ad finem temporis in illis assignati: jam quid faciendum in casu, quo pœnitens non potuit complere confessionem in tempore assignato.

Respondeo de hoc argumento satis dixi *in tractatu de Bulla Cruciatæ c. 4. §. 4. à n. 3.* & legi potest de Lugo *disp. 29. de Pœnit. n. 24.*

CAPUT XXV.

De approbatione.

1. SAcerdos, ut sit idoneus ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum præter statum gratiæ, in quo esse debet, uti etiam præter carentiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti personalis, & præter jurisdictionem, de qua dictum est in cap. præcedente, præter hæc, inquam, opus est, ut sit approbatus, id quod jam explico.

2. Approbatio est testimonium, seu sententia Prælati, non solùm de doctrinæ sufficientia, verùm etiam de integritate morum, prudentia cæterisque conditionibus ad confessiones dignè expediendas; nam propterea, etiam si quis sit doctus, vel magister, omni doctrina præditus, indiget hac approbatione, quia etiam notoriè sapientissimus claudicare potest in moribus.

3. Hæc autem approbatio solet à Prælatis concedi simul cum jurisdictione, quando hi concedunt facultatem administrandi hoc Sacramentum; ea denique jurisdictio conceditur aliquando à summo Pontifice, ut conceditur Religiosis, mediante ipsorum superiore; at approbatio omninò debet semper ab Ordinario loci experiri, sic enim injungitur à Trident. *sess. 23. cap. 15. Decrevit S. Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale, beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

In quo decreto sunt aliqua pro praxi breviter adnotanda.

4. Primò, in illis verbis (*Confessiones sæcularium*) Concilium loquitur de audituris confessiones sæcularium, non verò de audituris confessiones Religiosorum; quare Religiosi, etiam Novitij poterunt ab illis Sacerdotibus idoneis absolvi, quos ipsorum

Præ-

Prælati ipsis destinaverint ; inter sæculares hodie numera famulos eorundem Religiosorum, ut item proximè ingressuros in Religionem, utrique enim sunt sæculares.

5. Dixi (hodie) quia Urbanus VII. *in Const. quæ incipit (cùm sicut accepimus)* revocavit omnia privilegia Religiosorum, per quæ olim poterant audire confessiones suorum famulorum sæcularium sine dicta approbatione.

6. Secundò, in ijsdem verbis notatur, quòd moniales subditæ Episcopis debeant non alios Confessarios habere, nisi à suo Episcopo approbatos : sed de exemptis ab Episcopo, quæ scilicet sunt subditæ Prælatis Religiosorum exemptorum, olim quæstio versabatur : at verò hodie jam statutum est à Gregorio XV. *in Const. qua incipit (inscrutabilis)* Las non alios, quàm ab Episcopo pro ipsis specialiter approbatos habere posse in Confessarios : quare Sacerdos approbatus pro sæcularibus, vel approbatus etiam pro mulieribus non intelligitur approbatus pro monialibus, immò approbatus pro uno Monasterio, non intelligitur approbatus pro alio, ut etiam pro una vice, non pro vicibus alijs, nec pro una moniali intelligitur pro alijs. Lege Doctores apud Aversa *q. 16. de Pœnit. sect. 7.*

7. Tertiò in ijs verbis (*aut Parochiale beneficium obtineat*) significatur tunc Parochum posse Confessionem suarum ovium expedire, quando incepit possidere parochiam, non autem antea, nec postquam fortè parochiam amisit.

8. Quartò, illud (*ab Episcopis*) notat, approbationem, quæ conceditur conjuncta cum delegatione jurisdictionis, qualem dat Episcopus Sacerdotibus, debere concedi à proprio pœnitentis Ordinario, (qui quidem est idem Episcopus, vel Vicarius Generalis, Sede vacante &c.) at quando datur ab Episcopo, seu Ordinario sola approbatio, quæ solet dari Religiosis exemptis, à quonam ordinario dari debeat ? Ab Ordinario Pœnitentis, an etiam à quocunque alio alterius Diœcesis ? Vulgata satis est quæstio.

9. Respondeo. Ab Ordinario, cujus sunt illæ ; quæ sunt absolvendæ, hoc est, ab Ordinario pœnitentis, ut colligitur ex allato Tridentini Decreto, addita intentione Patrum dicti Concilij, qui tantum munus voluerunt, ut non delegaretur ab alijs, nisi ab Episcopo, cui cura suorum ovium incumbet : quamvis ergo illud (*ab Episcopis*) possit quis intelligere, satis esse, ut semel ab uno ex Episcopis totius mundi approbaretur Religiosus, ita ut semel approbatus, semper, & ubique approbatus sit ; tamen id post Trid. non est saltem in praxi ullo modo admittendum. Lege Ascanium Tamburinum *tom. 2. disp. 16. q. 14.*

10. Pro Confessore electo per Bullam Cruciatæ, cujus Ordinarij approbatio sufficiat, latè diximus *in tract. de eadem Bulla c.* 11. §. *1.*

11. Inquires, si sim dubius negativè de licentia mihi data ab Episcopo : possumne illa uti ?

Respondeo. Nequaquam : in dubijs enim prævalet id, quod est prius,

at prius est, te carere licentia, & postea illam possidere : non ita, si probabilitatem de illa habeas ; tunc enim illa uti legitimè vales ; quia alibi diximus, quando est probabile, te gaudere jurisdictione, Ecclesiam certò tibi illam conferre.

12. Quamdiu durat prædicta approbatio à te obtenta, nuper dixi *c. 24. à n. 9.* sed quia ibi inter alia diximus, dictam approbationem durare, donec revocetur ; inquiris, an Episcopus approbationem semel Sacerdoti absolutè concessam possit suo arbitrio, & ex nulla causa revocare ? Vel si data est ad certum tempus, an possit illam restringere.

Respondeo, & quidem priùs sciendum est, jurisdictionem (cum ea detur per delegationem) pendere in esse, & conservari à delegante ; quare si hic sine causa revocat, validè revocat : at approbatio, cùm non sit, nisi judicium approbantis de idoneitate ; ideò semel datâ, statim acquirit jus approbatus ; jus autem acquisitum non potest sine causa tolli. Hinc igitur collige, si à Sacerdote approbato, sine causa approbatio revocaretur, injustè, atque adeò revocaretur invalidè.

13. Illud tamen est maximè notandum, sæcularem Sacerdotem, à quo invalidè revocata sit approbatio, non esse legitimum Confessarium, quia ad id requiritur tum jurisdictio, tum approbatio, sed jam ab Episcopo tollitur validè jurisdictio, quæ ab ipso pendet; ergo &c.

14. Pro Sacerdote Religionis exemptæ adest decretum summi Pontificis, in quo prohibetur, ne Episcopi Confessarios regulares aliàs liberè ab ipsis approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere queant sine causa, & nec simul omnes unius Conventus. Legi id potest apud Barbosam *de Potestate Episcopi Allegatione 2. 5. n. 30.*

15. Quintò ; illud (quod gratis detur) notat, ne pro ejusmodi approbationibus obtinendis aliqua pecunia detur : & tamen si detur quamvis illicitè (de qua lege Dianam *p. 5. tract. 9. res. 70.* non invalidatur concessio approbationis, quia in hac prohibitione, de qua loquimur, nulla est clausula irritans concessionem, pro qua detur pecunia : abstrahendo à Simonia, de qua alibi.

16. Sextò denique, illud (*privilegiis, vel consuetudine non obstantibus*) notat duo ; Primò revocari consuetudinem illam olim introductam, qua Sacerdos sæcularis validè absolvebat alium Sacerdotem sæcularem sine prædicta Episcopi approbatione ; quod latè disputatum invenitur apud Joannem Sanchez *d. 48. n. 7.* & Dianam *p. 11. tr. 2. res. 11. & alibi.* Secundò notat revocari privilegia multa Regularium, quorum virtute Religiosi absolvebant sæculares sine approbatione Episcopi, quod latè disputatum invenies apud eundem Joann. Sanchez *ibidem*, & Dianam *p. 11. tract. 2. res. 11. & alibi.*

CA-

CAPUT XXVI.

De Prudentia Confessarij in ordine ad ipsummet.

1. PRima pars prudentiæ Confessarij est in ordine ad seipsum, ut scilicet non administret hoc Sacramentum in statu peccati mortalis, ne scilicet ipse mortaliter peccet, indignè Sacramenta tractando: ut distinctiùs alibi explicuimus: si verò prudenter sibi persuadebit, esse in statu gratiæ, vel quia non est sibi conscius peccati mortalis, vel si illius sit conscius, tamen sive per contritionem bona fide existimatam, sive per Confessionem Sacramentalem legitimè ab ipso positam, gratiam recuperavit, tutò Confessiones fidelium excipiat; de excommunicato dicemus satis infra, cùm agemus de Communione *c. 16. à n. 33.*

2. Quæres, si Confessarius peccator eliciat actum contritionis, non ante actum audiendi peccata pœnitentis, nec ante impositionem pœnitentiæ, sed ante absolutionem sufficienterne erit dispositus?

Respondeo. Sufficienter, de qua re supra diximus in simili *c. 2. n. 19.*

3. Quæres iterum; quid si idem peccator Confessarius vocetur ad proximè moriturum, nec possit in illa temporis angustia se conterere?

Respondeo. Absolvat sine timore; quia in illa necessitate Deus non imputabit illi ad peccatum, velle proximo in ea tam gravi necessitate salutem animæ conferre, de Lugo *l. supra cit. d. 8. de Sacr. n. 151.*

De Prudentia in ordine ad Pœnitentes.

4. ALtera pars prudentiæ est in ordine ad pœnitentes; & quidem prudenter se geret Confessarius.

Primò, si potiùs benignum Patrem se pœnitenti ostendat, quàm severum Judicem: id quod monent illi versus, quos ex Divo Thoma proponit Navarrus *in Enchiridio c. 10. n. 2.*

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis
Prudens, discretus, mitis, pius, atq; benignus.

Caveat tamen, ne dum nimiâ clementiâ utitur, omittat illum, ut convenit, increpare.

5. Secundò, prudenter se geret Confessarius, ne, dum aliquod grave, aut enorme peccatum audit, signa aliqua admirationis, vel horroris ostendat, aut aliqua perturbatione ipsum affici, advertat pœnitens: dissimulet ergo omnia usque ad finem Confessionis, ut dixi *c. 13. n. 3.* tunc increpet, si quid est increpandum, peccatorúmque gravitatem explicet pœnitenti.

6. Tertiò, prudenter se geret Confessarius, si velit duorum potiùs confessiones audire benè, quàm perfunctoriè multorum, ut benè advertit Cajetanus V. confessio; id enim gratius Deo est, & ex contrario subit Confessarius periculum imponendi suis humeris peccata pœnitentium.

7. Quartò, maximè prudentiam ostendat in examinando pœnitente, de quo omninò videatur, quod dixi *c. 2.*

n. 2. & 3. at videatur etiam monitio, quam pro peccatis turpibus dedi *c. 17. à n. 14.* addam tamen hìc in proprio loco duo documenta ad prudentiam Confessoris in examinando pœnitente, quæ etiam sunt cum prudentia intelligenda, & debito sale condienda.

8. Primum est Merollæ *tom. 1. disp. 2. c. 7. n. 74. & 79.* si quis, inquit, confiteatur, se v. g. non audivisse Missam tali die festivo, non est necesse, ut interroget eum Confessarius, quoties proposuerit non audire, & postea, retractato priori proposito per actum contrarium, iterum habuerit voluntatem non audiendi: quia, quòd homo postquam efficaciter primò proposuit aliquod committere, & postea retractavit propositum illud per actum contrarium, sed iterum statim redeat ad pristinam voluntatem, non ordinariè accidit; at ideò non est mirum, si de hoc Confessarij pœnitentes interrogare non debent: non enim tenentur Confessarij interrogare pœnitentes de omnibus peccatis, quæ potuerint ab illis committi, eorúmque circumstantiis, sed de illis, quæ ordinariè contingere solent, spectata pœnitentis qualitate. Hæc Merolla.

9. Alterum est Pallavicini *p. 2. d. 9. art. 2.* quem refert Cottonius *l. 2. de Sacramentis controversia 7. num. 206.* Confessarius, inquit, in universum excusari potest ab onere interrogandi de circumstantiis, etiam mutantibus speciem: nam aut pœnitens in peccando advertit ad malitiam specificam, & tunc eam non interrogatus aperiet, recordatus nimirum in examine, quod non minori advertentia fieri solet, quàm peccata committi: vel non advertit, ac proinde peccatum, nec contraxit, nec explicare tenetur; quòd si aliquando major ad peccandum malitia, majórque ad examinandum negligentia afferatur, non ob paucos hos eventus probabiles, imponi debet hoc onus Confessariis universaliter, quorum onerosum est munus, & ingens numerus necessarius in Ecclesia Dei. Hæc ille. Idem explicat in Ebrio Gobat *de Ebrietate c. 8. n. 41.*

10. Hìc quæret timoratus aliquis; an teneatur Confessarius admonere pœnitentem, ut ad cognoscendum numerum suorum peccatorum aliquam diligentiam exteriorem præmittat? exemplis clarior fiet quæstio: Titius peccavit cum complice multoties, nec recordatur præcisum numerum furtorum v. gr. obligatúrne convenire Cajum complicem, potentem revocare in memoriam dictum numerum? Pari modo: Petrus toto anno ab uno Paschate ad aliud in nullo die festo audivit Sacrum, dubitat autem, quot fuerint hi dies festi: tenetúrne accipere Breviarium, illúdque legendo numerare dies festos illius anni? Idem quæritur de similibus: Respondet Perez *tract. 3. de Sacr. & virtute Pœnitentiæ in suo Opere Posthumo disp. 5. c. 4. n. 94. fol. 358.* non teneris; Primò, quia id inusitatum est: Secundò, quia in Trid. solùm exigitur exploratio latebrarum conscientiæ, diligens cogitatio, & præmeditatio, ipsámque explorationem latebrarum nomine præmeditationis, & cogitationis diligentis com-

pre-

prehendit. At quis non videat aliud esse cogitare, & præmeditari, séque hominem excutere, & explorare latebras suæ conscientiæ; aliud consultare amicum complicem, & legere Breviarium? Hæc Perez.

11. Denique prudentiâ opus est in removendo pœnitentem ab occasione proxima, ut item à recidivo, de quibus habe à Laym. *lib. 5. tract. 16. cap. 4. n. 9. & n. 10.* duo, quæ hìc rescribam: alterum circa occasionem, alterum circa recidivum.

Circa occasionem proximam, sanè proximas (ait dictus Layman) occasiones (quæ sunt illæ, sub quibus homo frequenter, aut facilè labitur) vitare obligamur: Excipe tamen, nisi proxima occasio peccandi mortaliter, sine gravi incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non possit. Tunc enim consilium est, sed non præceptum; quare absolvendi sunt, qui officio, negotiatione, domo, in qua peccandi periculum imminet, discedere sine maxima difficultate non possunt; parati tamen adhibere remedia peccatorum, præsertim quæ affert Confessarius; Ratio est, quia occasio peccandi in se non est peccatum; quare permitti potest ex gravi necessitate, quæ impossibilitatem affert moralem. Nam tunc non tam est se committere periculo, quàm illud pati: Hæc Laym.

12. Circa recidivum sic habet idem Layman: qui est recidivus, abstrahendo ab occasione proxima, & scandalo (talis esset, qui sæpè se polluit sine occasione intrinseca, consultò assumpta, ut notat Joann. Sanchez *d. 10. num. 9.*) si affert aliquod signum emendationis, esse semper absolvendum: signa autem emendationis sunt, vel rariùs peccare, vel aliquis verus dolor, immò & dolor ex vero animo conceptus, vel ipsum sponte confiteri in iis, qui non urgente præceptore, vel alio, vel consuetudine Congregationis v. gr. &c. tunc enim habebitur signum emendationis, secus non erit absolvendus.

12. Benignissimè autem de hoc loquitur Dicastillus apud Dianam *p. 11. tract. 5. res. 30.* dicens: vix huic recidivo, præscindendo ab occasione proxima, debere negari absolutionem, sed certè aliquando potest, nam (ut habet de Lugo *d. 14. de pœnit. n. 160.*) sæpissimè ex frequenti lapsu mortali colligi potest, non adesse verum dolorem, quia moraliter impossibile est; ut qui verè dolet, aliquantulum non se abstineat: quare ex hoc capite potest negari, vel differri absolutio.

CAPUT XXVII.

De Scientia Confessarij.

1. Cum Confessarius exerceat munus Judicis, Magistri, & Medici erga pœnitentem, debet necessariò, aliquo saltem modo, esse peritus de iis, quæ ad ejusmodi munus pertinent.

Debet igitur primò scire, qua potestate absolvendi polleat: an circa viros, an circa mulieres; quæ peccata, quas excommunicationes absolvere valeat, quod est scire, quinam casus sint reservati, qui non item; quam dispositionem, dolorem propositum, mysterio;

ſteriorum fidei notitiam requirere debeat in pœnitente, ut is abſolutione ſit dignus: quænam peccata afferant obligationem reſtitutionis, quænam ſatisfactionis partis, quænam ſint ex ſe peccata venialia, quæ mortalia, quæ circumſtantiæ mutent ſpeciem, quæ non.

Dixi (aliquo ſaltem modo) hæc enim ita aliquo modo cognoſcere debet, ut de iis ſaltem dubitare poſſit, quo in caſu dilata abſolutione, poterit ex libris rem cognoſcere, vel ſine periculo fractionis ſigilli, doctiores conſulere, vel ipſum ad doctiores dimittere.

Quid ſi Confeſſarius hæc neſciat, valebitne confeſſio? Reſpondet Boſſius *de Jubileo ſect. 3. caſu 2. n. 168.* alios citans ait, Confeſſarium, niſi ſciat diſcrimen inter lepram, & lepram, id eſt, inter peccatum mortale, & veniale in caſibus communiter occurrentibus, invalidè Confeſſiones excepturum. Sed nimis rigidè: nam hic peccabit quidem mortaliter, ſed validè, ſi poteſtatem habet, Sacramentum conferet; quia ad Sacramentum validum ſufficit ponere materiam, & formam cum intentione legitimi miniſtri; ad quam intentionem ſufficit (& certè eſt neceſſarium) ut Confeſſarius noſcat peccatum ſub confuſa ratione peccati: ſi enim id neſciat, non poteſt habere intentionem abſolvendi peccata, atque adeo tunc non eſt mirum, irritam eſſe abſolutionem: ſanè quilibet Sacerdos etiam indoctus, validè abſolvere poteſt infirmum in articulo mortis, (& quando alius non adſit, debet abſolvere) ut omnes ſcimus: & tamen hic Sacerdos non ſupponitur, niſi confuſo modo rationem peccati hujus infirmi ſcire.

Ex his collige primò, peccaturum mortaliter eum, qui de induſtria quærit indoctum Confeſſarium: dico (de induſtria) nam cæterum ſemper præſumere debet, Confeſſarium, qui ſupponitur ab Ordinario approbatus, eſſe ſufficienter peritum, niſi poſitive ſibi oppoſitum conſtet:

Secundò, peccaturum mortaliter Ordinarium, ſi approbet inſufficientes; excipe illum caſum, ſi ſcilicet in Pagis, vel in villis non poſſunt adeſſe Confeſſarij ſufficientes; nam tunc meliùs eſt adeſſe Confeſſarium indoctum, quàm nullum: Epiſcopi certè huic malo omnibus viribus conſulere debent.

Tertiò, peccaturum item mortaliter ipſum Confeſſarium, ſi, ſe inſufficientem noſcens, exorquet licentiam excipiendi Confeſſiones; quia ſic ſe committit periculo evidenti malæ adminiſtrationis Sacramenti Pœnitentiæ: ne tamen timoratus Sacerdos dubitet, exercere officium Confeſſarij, ſi viti docti ipſum idoneum judicant, vel ſi ſe examinandum obtulit, & fuit approbatus à peritis examinatoribus, tunc enim non temerè, ſed prudenter officium exercebit.

Pertinet etiam ad actualem ſcientiam neceſſariam Confeſſarij cognoſcere gravitatem, levitatémque peccatorum, quæ audit, non tamen ſemper obligatur, ferre judicium, an illa ſint mortalia, an venialia: non rarò enim evenit, ut fatente pœnitente ſuum peccatum, ſicuti commiſſum fuit, ſive ipſe idem pœnitens, ſive ipſe Confeſſor,

ser, quamvis doctissimus, non possint determinatè decernere, an peccatum fuerit leve, vel grave, an v. gr. in eo affuit, vel abfuit plena advertentia ad turpem cogitationem, & similia: tunc ergo Confessor, qui jam, ut diximus, satis scit, quæ communiter sint venialia, quæ mortalia, poterit pœnitentiam proportionatam imponere, necessaria injungere remedia, & absolvere.

Quòd si deinde, peracta confessione, advertat pœnitens, peccatum expositum fuisse mortale, non sit sollicitus, iterum illud confiteri, si fideliter suam actionem enarravit, & Confessor habebat potestatem illud absolvendi; si verò hanc potestatem non habebat, vel infideliter aliquid actum sit, lege, quid faciendum sit apud de Lugo *de Pœnit. d. 22. n. 75. 55. dic 2.* & in nostra methodo Confessionis *l. 3. c. 8.*

CAPUT XXVIII.

De Silentio auditorum, hoc est, de Sigillo Confessionis.

1. ADeò rigorosa est obligatio tacendi ea, quæ Confessarius audit in Confessione, ut in nullo prorsus casu, etiam ob justam suæ vitæ defensionem, etiam ob extremum Regni discrimen violari possit, sine expresso, liberoque pœnitentis consensu.

2. Violatur autem primò, si peccatum quodlibet veniale signatè hoc, vel illud dicas; nam dicere (*Hic est confessus venialia*) non est sigilli violatio; quia posito, quòd quis confitetur, est satis notum, quòd saltem confitetur venialia: Secundò, si manifestes complices, seu socios in peccato tui pœnitentis: Tertiò, si dicas (*Hic est confessus peccata venialia gravia.*) Quartò, si dicas de eo, qui secretò voluit tibi confiteri, (*Hic est mihi occultè confessus.*) Valde propendeo ad affirmandum, immò affirmo, violari sigillum, quia datur occasio suspicandi de peccatis gravibus pœnitentis. Quintò, si pœnitentiam gravem à te impositam propales, sigillum violas, & quidem coronam Beatissimæ Virginis gravem esse pœnitentiam, non verò unum miserere, ait Diana *p. 5. tract. 11 res. 31.* Sextò, si Magistro v. g. dicas: (*Iniquis discipulis sunt, qui tali peccato peccant*) idem si quid simile dicas de Monasterio, seu Collegio, immò de oppido parvo: nam de numerosa civitate aliquanto benigniùs est sentiendum, quando non est periculum, nec illam civitatem infamandi, nec aliquem peculiarem manifestandi. Et tamen sanum consilium est, etiam de illa tacere. Septimò, idem dic, si dicas (*illum non absolvi*) immò etiam, si addas sic (*illum non absolvi, quia confessionem non finivit:*) ex utroque enim dicto magna ingeritur conjectura, quod multis gravibus peccatis ille fuerit deturpatus.

Denique Regula generalis sit, à te Confessario esse tacendum, quidquid in Confessione audisti, quod sit peccatum, vel quod redunder in aliquod dedecus, vel damnum pœnitentis: ne scilicet fiat odiosa confessio; & ita rigidè hoc silentium servandum est, ut si tyrannus Confessarium cogat, ut cum juramento dicat, an hoc, vel illud audiverit

diverit in confessione pœnitentis, possit Confessarius millies jurare, se nihil tale audivisse; audivit enim (ajunt omnes Theologi, & sic est) ut DEUS, qui à nemine potest cogi; non autem audivit, ut homo, qui cogi possit: custodiendum est autem dictum sigillum confessionis, primò ab ipso Confessario, secundò, ab ipso interprete, si quando per interpretem expedita fuerit confessio, tertiò, ab eo, qui scripturam factam à pœnitente ad finem exhibendæ confessionis legit (sane cum peccato, si ut primùm advertens à lectione non desistat.) Quamvis non negem probabile, quòd hic ejusmodi scripturam legens, non tenetur sigillo, sed solùm ad secretum naturale, lege de Lugo *de Pœnit. d. 23. num. 57.* quintò ab omnibus iis, qui in navi ob naufragij periculum Confessario peccata publicè confitentem audiverunt.

His cognitis, supersunt tres difficultates: Prima est, an Confessarius debeat servare ejusmodi silentium etiam cum ipso suo pœnitente? Cùm enim fractio sigilli sit fractio secreti; secretum autem non frangitur, si loquaris cum eodem de rebus ab ipso auditis; ideo videtur Confessarius respectu sui pœnitentis non obligari ad servandum sigillum.

Respondeo, vel hæc difficultas petit primò, an statim data absolutione, liceat Confessario loqui de auditis in illa? Vel secundò postea, sed in alia confessione? Vel tertiò in alio tempore extra duo tempora jam prædicta?

Si de primo difficultas proponatur, aio, statim ab absolutione licere, quia judicatur adhuc esse in eadem confessione; sicut ita judicatur, quando post datam absolutionem imponitur pœnitentia; sed nota illud (statim.)

Si de secundo: quamvis, quando nulla, vel modica necessitas adest, expediat, non loqui de auditis in aliis confessionibus, tamen quod in rigore est intra forum Sacramenti, id non esse prohibitum censeo; de qua re sic habet Malderus *tract. de sigillo cap. 11. ref. 20.* sicuti, quando, inquit, extra confessionem pœnitens de peccato, quod confessus est, consulit Confessarium, jam satis ei dat licentiam de eo loquendi: immò hoc ipsum ab eo requirit; ita similiter, quando statum animæ suæ exponit; & de eo judicari, & tractari vult in secunda confessione, satis censetur de necessariis ad bonam directionem confessionis Confessario tractandi secum potestatem facere: quod magis locum habet, quando peccata prioris confessionis sunt aliquo modo circumstantiæ peccatorum in secunda confessione expressorum; Hæc Malderus.

Si de tertio, ajo, in aliis temporibus à prædictis, non licere loqui cum pœnitente de auditis in ejus confessione; Ratio est, quia id non potest non esse pœnitenti molestum, ruborémque non modicum ipsi inducens: excipe semper, ut supra dictum est, nisi ipse priùs consentiat.

Secunda, & tertia difficultas, celebres duas continet quæstiones: Prima est, an Confessarius possit aliquando uti cognitione habita in confessione? v. g. an Superior possit claudere fenestram,

stram, unde exibat suus pœnitens ad peccandum, quam laudendo advertit ipse pœnitens, id à Superiore fieri ex cognitione, quam ipse in confessione dedit? Secunda est, si advertent alij complices ejusdem pœnitentis, quia etiam & illi exibant, vel ad exeundum se accingebant? Hæ duæ difficultates cùm sint raræ praxis, & ego latè de illis egi in opusculo de Confessione, ubi de *sigillo cap.* 6. ideo satis sit id ibi, & apud Doctores ibidem citatos legere.

Pœnæ violantium sigillum.

DEnique scito pœnam frangentis sigillum esse, ipsum peccare mortaliter contra Religionem, hoc est, contra reverentiam debitam Sacramento; aliquando autem erit etiam contra justitiam, & fidelitatem, si manifestetur aliquod pœnitentem infamans, & certè tunc erit obligatio restituendi famam, & damnum illatum. Alia pœna latæ sententiæ contra hos violantes non est, sed solùm ferendæ *ex c. omnis utriusque sexus de Pœnit.* qua scilicet debent per Judicem deponi à Sacerdotio, & in arctum Monasterium detrudi.

Judex autem erit Ordinarius, non vero Inquisitor (docet Castropalaus *de Pœnit. p.* 19. *num.* 1. cum aliis) licèt Quintanaduennas *tom.* 2. *singul. tr.* 3. *singulari* 28. asserat cumulativè etiam pertinere ad Inquisitorem. Legatur Menochius *de Arbitriis*, ubi *casu* 14. distinctiùs agit de pœnis, quas huic violatori poterit Judex infligere.

Finis Tractatûs de Confessione.

PARERGON I.
AD SECUNDUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.
DE
COOPERANTE CUM ALTERIUS TURPITUDINE.

LECTORI TYPOGRAPHUS.

Quoniam in superioribus cap. 15. num. 12. mentio facta est pollutionis, quæ manibus alterius committitur, de qua erudita concertatio fuit per duas litteras inter R. P. Tamburinum, & Caramuelem ab hoc relatas in sua Theologia Regulari tom. 2. à num. 3175. mihi visum est, rem tibi gratam, curiose Lector, facturum, si eas epistolas hic, in proprio quasi loco, interseram, addámque germanam doctrinam prædicti R. P. Tho. Tamburini, quam ipse, Caramuelis dicta, & rationes expendens, scripto legendam obtulit familiaribus suis, & eam ego typis evulgandam, ne pereat, mox dabo; animum tibi, Lector, gratificandi boni consule: & Vale.

Illustrissimo Ioanni Caramuelli, &c. suo Thomas Tamburinus. S. P.

QUT primùm posterior Theologiæ fundamentalis Illustrissimæ Dominationis vestræ editio in manus meas venit, legi avidè omnia: quis enim tam sublimes ingenij partus avidè non evolvat, *& quæ sequuntur, ad præsentem quæstionem non pertinentia.*

Paulò post:

In controversia, quam n. MCCCCXI. docte discutis de Sacerdote, alium non Sacerdotem, sed laicum polluente, indicas, posse me inter opinantes cum Llamas citari: oro te, atque obtestor, ut de hac re vindicationem, quæ ad tuas manus, quando id scripsisti, nondum forte pervenerat, legas (jam enim hìc inclusam mitto) & sicuti te ego meritò ibi vindico ab illa sententia Llamas; ita digneris ab eadem me vindicare &c.

Vin-

Vindicatio Tamburini.

R. P. Diana *p. 9. tract. 8. resol. 65.* & ab illo novissimè Illustrissim. Caramuel, in Theol. fundam. Fund. 50. §. 7. n. MLXV. ajunt, me in doctrina, quam trado *lib. 2. meth. Conf. cap. 7. §. 10. num 66.* quam modò exscripsi *num. 5.* sequi sententiam Hieronymi Llamas *p. 3. meth. cap. 8.* jussu sanctæ Inquisitionis Hispaniæ expunctam, qua docebat, eum, qui pollutus fuit alterius tactu, solùm teneri explicare qualitatem suæ personæ, si ignoretur à Confessario, ideſt, si habet votum simplex, vel solemne virginitatis, vel castitatis, non tamen teneri explicare complicis, qui illum tetigit, qualitatem, nisi ipse etiam causa fuit, ut alter etiam pollueretur.

Sed certe huic sententiæ nequaquam adhæreo, immò omninò contrariam semper professus sum, ut mea verba accurate consideranti palam fiet &c.

Omissis autem aliis, quæ hìc transcribere opus non est, sic in fine vindicationis rem totam summa claritate comprehendo, quæstionemque distincte propono.

Vides tertiò discrimen inter tres sententias, Llamas, Caramuelis, Tamburini (sic loquamur in tertia persona claritatis, ac distinctionis ergò) dum ijomnes expendunt, an laicus pollutus à Sacerdotis manibus debeat fateri votum castitatis Sacerdotis polluentis: Primus absolutè negat; Secundus distinguit; Tertius affirmat absolutè.

Nam Llamas absolutè docet, eum, qui pollutus fuit alterius tactu, solùm teneri explicare qualitatem suæ personæ, non verò qualitatem, nempe votum complicis, qui illum tangit.

Caramuel distinguens ait, Sacerdotem polluentem duplici modo habere se posse: Primò, ut dum alium tangit, admittat (ut communiter solet contingere) in se delectationem veneream, seu certè sit in periculo illam admittendi: Secundò, ut in se non admittat ejusmodi delectationem, nec tali subsit periculo: id quod sanè rarissimum est, & fortè metaphysicum: posset nihilominus, ait, evenire in fœmina multum effœta, etiam sine illo periculo, propter experientiam, quam forte habet suæ stupiditatis: hac distinctione posita, docet in priore casu pollutum laicum debere fateri votum Sacerdotis polluentis, quia pollutus, dum se illi tangendum tradit, vel permittit, cooperatur cum ipso Sacerdote ad admittendam illam sensualem delectationem, quod est cooperari cum frangente votum castitatis; Et quia Llamas, absolutè negans, videtur hunc casum comprehendere, ideò ejus doctrina deleta meritò fuit; in posteriore autem casu pollutus ille laicus (inquit) non obligatur Sacerdotis votum explicare, quia tunc pollutus non cooperatur cum frangente castitatis votum: si enim in hoc rarissimo casu Sacerdos nullam in se admittit delectationem, nec admittendi periculo se exponit, non peccat contra castitatem, quam vovit; ergo nec pollutus cooperatur cum peccante contra votum castitatis. Ad quid igitur illius votum patefacere debeat?

Tamburinus absolutè affirmat, semper scilicet votum esse aperiendum: in priore quidem casu ob rationem ab ipso Caramuele jam allatam: immò videant Doctores, an ex eadem ratione fiat, ut sæpissimè, ne dicam communiter, debeat explicari, quisnam te v. g. adolescentulum polluat, fœmina ne, an vir: nam hoc tactu facilè ij concipient affectum ad tuum concubitum, vel certe subjicietur periculo concipiendi; & sic aderunt duæ malitiæ: Alter erit affectus, & consequenter tactus sodomiticus ex intentione tui concubitus, alter erit ipsa cooperatio ad tuam pollutionem, & hæc etiam à Tamburino innuuntur in illo *n.* 66. hìc *n.* 5. dum dixit, *nisi aliud addatur.*

In posteriore item ex eo capite, erit votum explicandum, quia Sacerdos in illo etiam rarissimo casu suæ stupiditatis, peccat contra castitatem; cum enim ipse absolutè castitatem voverit, & castitatis virtus non solùm præcipiat, ut in sua persona quis non admittat sensuales motus, sed etiam ne ex industria illas positivè, & suo eodem corpore procuret in alio; is Sacerdos votum frangit, & consequenter pollutus laicus, non quidem intrinsecè propter suam pollutionem, sed extrinsecè propter sacrilegium polluentis, ad quod pollutus cooperatur, dando suum corpus, sacrilegus erit, & ut talem se in confessione manifestare debet. Addit tamen Tamburinus hanc doctrinam colligi ex illo priore principio dicto *n.* 14. an verò Doctrina Caramuelis possit deduci ex posteriore principio ibidem posito, se nolle sine accurata consideratione decernere.

Dicit Caramuel, qui vovit audire missam, is cui præcipitur die Dominico eidem interesse, qui ex præcepto recitare tenetur horas &c. si audita missa, recitatove officio, alium dejiceret ab audiendo sacro, vel officio recitando, peccaret quidem, sed non contra votum, vel præceptum; quia ipse jam servavit pro se: pro alio autem nec vovit, nec præceptum habuit: ergo pari modo in nostro Sacerdote.

Respondeo, me certè hæc decernere nolle, jam sæpiùs dixi; tamen ut Lectoris curiositati indulgeam, ajo, adesse disparitatem; nam, qui vovit missam audire, solùm audire, vovit, non facere audire, nec non impedire alium volentem audire; Pari modo præceptum se habet: vota n. hæc, & ejusmodi præcepta sunt de illo unico actu proprio, non verò de re ad aliud pertinente: non ita in vovente totam virtutem castitatis in sua latitudine, quale est votum, quod fieri solet in hac materia, ex communi voventium more; qui certe, dum vovent castitatem, illud vovent saltem sine dubio, ut suo corpore non admittant, nec eodem suo corpore positive adjuvent alium ad illicita: interroga. Religiosos omnes, id statim confirmabunt: cùm ergo ex alia parte ad eandem virtutem adæquate sumptam pertineat, alios ab illa positive non divertere, præsertim suo positivo, & immediato auxilio. Ideò non obscura appareret disparitas inter casum nostrum, & instantiam Caramuelis.

Dixi

Dixi autem (in castitatis voto, saltem &c.) ut abstraherem, an eodem modo se habeat vovens absolutè paupertatem, obedientiam, similésque virtutes. Neque enim, dicet aliquis, peccabo contra votum paupertatis, si, dum ego nihil prorsus usurpo, sum causa, ut tu contra tuum votum pecuniam usurpes: esto peccem contra charitatem, inducendo te ad peccatum, & sic de similibus: Ego enim (ut ab his abstraherem) in castitatis voto invenio, saltem pro modo, hoc præcipuum, sic eam ventes, omnia ad castitatem sive directe, sive indirecte pertinentia, saltem suo corpore non adjuvando, se vovere implicite; & fortasse, dum angelicam, ideſt, omnimodam castitatem vovent, etiam explicite profitentur. Dispatitatem hanc attuli; cæterùm adhuc repeto, me velle rem accuratiore trutina pensitare.

Hæc ad defensionem meam, sint disputata satis, quæ sane introspexit Reverendus Magister Sacri Palatij, dum Romæ opusculum illud hoc meum perdiligenter bis, in duplici editione ibidem data, legit, examinavit, approbavit; non approbaturus (puto) si sententiam Llamas ab Hispanica Inquisitione deletam, à me doceri notavisset.

Hanc Epistolam, & quidem integram, integramque vindicationem affert ad verbum Caramuel *in Theologia Regulari tom. 2. à num. 3176.* usque *ibidem à num.* 3189. sic respondet.

Eximio, & ingeniosissimo Viro Domino Thomæ Tamburino, &c. suus Joannes Caramuel S. P.

Literas tuas 29. Julij scriptas nimis serò recepi, & jam jam itineri accinctus respondeo, & esse doctissimas, & mihi summoperè gratas, apologiam tuam, qua te ab opinione Llamas vindicas, recognovi, & in ipsa iterùm ingenij tui divinitatem, & doctrinæ, quam doces securitatem, suspicio, & venereor: verba illa, quæ citaveram, non esse omninò clara, & sensum pati, quem esse tuum dixerat Antoninus Diana, certum est, & fateris, siquidem §. *Porro* æquivocationis culpam in illam particulam *At*, (quam adversativam putabat Diana, & à te sumitur copulativè) occulatissimè, & doctissimè rejicis. Stat ergo, te diversam à Llamas opinionem habere: hoc statim in libro meo notavi, ut si quando recudatur, sciant lectores, quid sentias, & quia non tam citò fortè ille liber novos typos subibit, hoc ipsum in tertia ejusdem operis parte, quam apparo, lectores suo loco monebo. Interim, quia §. *Vides* tres opiniones ponis, & primam Llamas, secundam Caramuelis, & tertiam tibi aseribis; digneris oculos convertere *ad §. Patet id quinto*, ubi citas hæc verba tua: *Sed jam oritur nova difficultas: An qui, habens votum castitatis, est causa inducens alios ad turpiter peccandum, debeat suum tale votum explicare? &c.*

Respondeo, non debere, &c. & ibi meo judicio, non jam tertiam, sed secundam

cundam, hoc est meam opinionem amplecteris.

Patere, quæso; nec te abire permittam, nam secunda illa sententia manifesta mihi videtur; & dolerem, si, ob negligentiam, illa mea, tuo doctissimo privaretur suffragio: Profectò objectionem illam meam, quam §. *dicit Caramuel*, adducis, meo judicio est fortissima, & verbis illis tuis, quæ tu §. *Patet id*, ut dixi, allegas, valdè conformis. Prætereà *in §. dixi autem* vis castitatis votum ab alijs solemnibus votis distinguere, & quæstionem, quæ videbatur juris esse, ad dubium de facto reducis. Potest re vera aliquis hoc modo profiteri solemniter: *Ego N. promitto obedientiam, (hoc est, me superiori regulari obedituru, & nunquam consilio, aut ullo modo cooperaturum, ut aliquis subditus suo superiori non obediat, Paupertatem (hoc est, me non habiturum rem propriam, nec cooperaturum, ut alius illicitè proprietatem acquirat) & castitatem (hoc est, me non admissurum aliquam voluptatem veneream, nec consilio, aut auxilio cooperaturum, ut alius illam procuret, aut patiatur.)* Potest etiam hoc modo: *Ego N. promitto obedientiam paupertatem, & castitatem (hoc est, me fore obedituru, pauperem, castumque; At verò me nec procuraturum, nec cooperaturum, ut alij obedientiæ, paupertati, & castitati non satisfaciant propono quidem, at nolo me voto, vel juramento obstringere*: Sanè sive vota priori, sive posteriori formula, & modo distinguantur, putarem, debere consequentiam servari; & sicut de paupertate, & obedientia, sic etiam de castitate philosophandum esse: qui enim professus esset primo modo, esset sacrilegus, nec non voti violati reus, si suaderet filiofamilias, aut etiam sæculari famulo, ne suo legitimo superiori obediret. Item qui suaderet Paulo, ut furaretur, & ut libidinaretur, Francisco; tamen sic ipse nec esset inobediens, nec proprietarius, nec lascivus. Qui autem secundo modo, peccaret opere, & consilio, at illo, & non isto votum solemne temeraret; sed utroque modo emittuntur in Monasterio vota? Si dicerèntur emitti primo modo, staret sola opinio tertia (hoc est tua:) corruerent prima, & secunda (id est, Caramuelis, & Llamas) servaretur tamen consequentia doctrinæ; At quia dicimus, vota emitti sensu, & intentione formulæ posterioris, stat sola Caramuelis sententia, corruit tua.

Reponis, Votum Castitatis solemne emitti sensu primo: & hìc ego uno verbo me expedio: Scio Tamburinum meum sincerum, & doctissimum esse, ergo respondeat: Novitius fuit, didicit, docuit, libros plurimos legit, conciones audivit, & habuit: Anne juxta primam formulam fuit à Magistro Novitiorum instructus? An ab aliquo Theologiæ Professore? An illam in aliquo Casista legit? An ab aliquo Concionatore audivit? An eandem alicubi prædicavit, aut docuit? Minimè, minimè; Ego enim à Viris sanctissimis institutus, & in Moralium Theologorum libris, ut æmuli fatentur, versatus, nihil simile, vel audivi, vel legi, vel esse verum cogitavi: immò

mò auderem asserere, me legisse in Bernardo: *Unusquisque reformare promittit vitam suam, non alienam*: Notavi locum, sed quia in itinere turbata omnia, & aliqua adversaria neglecta, urgebo hoc iterum, cùm recurrent verba formalia mei Bernardi. *Sed num. 3187. §. Respondeo*: instas, & ais: *interroga Religiosos omnes, id statim confirmabunt.* An non P. Antonius Cotonius est Religiosus? est Ordinis S. Francisci, Vir doctissimus & Religiosissimus, & mihi, & Dianæ nostro carus: Hunc ergo interrogo, *& in summa*: *Verb. Circumstantia num 30.* sic inquit: qui habet Votum Castitatis, & sit causa, ut aliquis idem votum habens peccet, non tenetur hanc circumstantiam aperire: nec Religiosus inducens alium Religiosum ad violandum Votum Castitatis, violat castitatem: An non respondet clarissimè? An non est Religiosus P. Acacius March. de Velasco? Cathedraticus fuit Theologiæ in Universitate Valentina, ob doctrinam & pietatem maximè æstimatur ab universis. Hic ergo *tom. 2. Verb. luxuria resol. 109. num. 14.* respondet, *Se à deauertir* (ait) *que los que son causa y ocasion de que otro cometa algun peccado en qualquiera de los modos y especies riferidos, peccare mortalmente, y será el peccado como fuera elque causan, y ocasionan.* Ergo conjugatus, quæ suadet cælibi, ut fornicetur, non committit adulterium: nec Religiosus, si idem faciat, committit sacrilegium, sed uterque peccat consilio, in genere simplicis fornicationis. Sicisti respondent, sic universi respondebunt.

Dicis, obedientiam, & paupertatem voveri, juxta secundam formulam at castitatem juxta primam; & unde id, quæso, colligis? ex communi voventium more, ais, §. *Respondeo me certè*; Ecce quæstionem speculativam reducis ad praxim, vel vis idiotas omnes juvenes Theologos subtilissimos esse. Sanè ex communi omnium opinione non deducitur resolutio quæstionis, quam pauci proponunt, & pauciores intelligunt: ergo ad doctos tantummodò est recurrendum: sanè si humanam consideres fragilitatem (quod *num. 1412.* attentissimè notari volui) tangit, qui tangitur, libidinaturque, qui contactu suarum manuum, ut alius libidinem expleat, concurrit: casus ergo hypoteticus, & purè metaphysicus, qui vix, aut nunquam potest accidere, non debet ex praxi resolvi. Poëta quidem junior in hunc sensum dixit:

Oscula dat numquam, tamen excipit oscula Clori,
Oscula an ignoras accipiendo dari?

Interrogo: si Petrus Sacerdos Joanni laico suaderet, ut cognosceret solutam fœminam, votumne castitatis violaret? Si asseris, gravioris criminis accusas reum consilij, quàm reum facti: si negas, incidis in opinionem Caramuelis. Quid si conjugato suaderet, ut debitum solveret, an etiam votum, hoc suadendo, violaret? Et hæc sint de hac controversia satis &c.

Alia, quæ attexuntur, ad alias quæstiones pertinent, cui tamen otium est, poterit integram, integramque vindicationem apud præfatum Caramuelem

prælegere in Theologia Regu. Tom. 2. à num. 3175. Nos, ut promisimus manu scriptum, quo prædictis à Caramuele Tamburinus respondit, hujus nimirum germanam Doctrinam afferamus.

Germana Doctrina P. Tamburini de polluente alium.

CAramuel licèt ingeniosus, & doctus, non videtur benè intellexisse doctrinam meam, quam ipse *in Theol. Reg. tom. 2. à num 3189.* & alibi impugnare sibi videbitur: Ego duo distinguo: alterum, an vovens castitatem, voveat etiam non hortari, non invitare, non incitare ad actus turpes alienos? & de hac quæstione assero, non neminem putare, voventem, suam vovere, non aliam, ut habeo in vindicatione §. *Patet id quintò* citato à Caramuele: addidi tamen non multò post notulam numero sequenti innuendam: alterum, an vovens castitatem, voveat etiam suo corpore non cooperari positivè ad actus ejusmodi turpes alienos? Et de hac quæstione, ajo, mihi videri, quod id etiam voveat, ut signatè in prædicta vindicatione declaro §. *In posteriore item ex eo capite* his verbis.

CASTITATIS VIRTUS non præcipit, ut in sua persona quis non admittat sensuales motus; sed etiam, ne ex industria illos positivè, & SUO CORPORE procuret in alio &c.

AT Caramuel hæc duo non distinguit; immò ne mentionem quidem hujus posterioris modi facit: & semper, totusque est in probando, voventem castitatem, non vovere, alteri lascivos actus non persuadere: si solùm hoc probat Caramuel, ut certè solùm probant ejus argumenta, contra meam assertionem nihil agit: nam in hoc ab ejus opinione non videor admodum alienus *in d. §. Patet id quintò.* Sed minùs rectè dixit Caramuel, me ejus sententiam amplecti, nam de hac expresè sic pronuntiavi §. *in posteriore item.*

An verò Doctrina Caramuelis possit deduci ex posteriore principio posito ibidem, hoc est *in* §. *Patet quintò*, nolo sine accurata consideratione decernere.

ID quod etiam alibi notari volui; sed id, quod ego doceo, est, votum castitatis involvere etiam promissionem, quòd ipse vovens SUO CORPORE, unde & SUIS MANIBUS non cooperaturus sit cum alio ad actus illos turpes, etiam præscindendo à sua quacunque delectatione, ut contingeret in stupidissima vetula.

Ego id confirmavi ex omnium Religiosorum saltem tacito sensu: nunc idem probare contendam ex ipsius Caramuelis consensu.

Fac monialem, vel Sacerdotem stupidissimos, ut complaceant homini sodomitæ, permittere, ut is agat cum ipsis præposterè, immò cum moniali vase naturali: dicetne quis hunc Sacerdotem, atque hanc monialem, quamvis nullam sentiant delectationem, nihil contra castitatem, quam voverunt, delinquere? Præterea si puer patiatur sodomiticè, solùm ob pecuniam sibi oblatam ab agente, nec ullam sentiat vo-

voluptatem, immò sentiat dolorem (ut aliquando factum esse audio) nonne contra sextum præceptum puer is directè operabitur, nec solùm indirectè ex permissione, quam indulget agenti? Quòd si audeas affirmare, illum tunc peccare dumtaxat permissione peccati alterius, sequitur, quòd patiens, non peccat, si non sentiat, ut patiens, delectationem, sed solùm peccato agentis, quæ certè esset doctrina nimis à sensu omnium aliena.

Quare concludendum est: votum castitatis, saltem probabiliter, se extendere ad prohibendum voventem, ne SUIS MANIBUS; suis coxendicibus, uno verbo, SUO CORPORE obscænos actus, sive suos sive alienos agat. Caramuel autem, si aliter sentit, afferat argumenta contra hanc probabilitatem, cùm hactenus solùm locutus sit de persuadente, de incitante &c. nunquam verò de cooperante cum SUO CORPORE, ut dictum est.

Pari etiam modo Cotonius, & Acacius, quos Caramuel adducit, alijque, qui adduci possent, de cooperante per consilium, per hortationem loquuntur, non autem de cooperante cum SUO CORPORE, quæ est mea consideratio.

Idem Caramuel, *T. 1. Th. Regul.* suam firmare sententiam, atque adeò meam infirmare, contendit his argumentis *num.* 989. Sic: Poterit monialis cooperari, ut Joannes reddat debitum uxori propriæ, quin contra votum castitatis procedat; quia ipsa non vovit castitatem alterius, sed propriam; ergo eadem de causa poterit cooperari, ut Joannes incidat in pollutionem, quin frangat votum castitatis, cùm ipsa non voverit vitare pollutionem alterius, sed propriam; vel assigna disparitatis causam. Hæc ibi Caramuel, quæ etiam breviter innuit in præcedente sua epistola ad me scripta §. *Interrogo.*

Huic argumento ex mea Doctrina facilè respondetur. Distinguo enim tum antecedens, tum consequens: poterit monialis cooperari, ut Joannes reddat debitum uxori propriæ, cooperari, inquam, suasione, invitatione, consilio, &c. concedo antecedens; poterit cooperari suo corpore; v. gr. SUIS MANIBUS adjuvare Joannem ad matrimonialem congressum, nego antecedens: eadem distinctione utere pro consequenti; hoc est, ergo poterit cooperari cum Joanne, ut hic incidat in pollutionem sine voti sui fractione, esto consequentia; SUO CORPORE, prorsus nego; quia monialis vovit illibatam castitatem, ut supra vidimus, quæ hujusmodi obscænis immunditiis SUO CORPORE non se immiscet.

Deinde *num. 990. dicti primi tomi* sic idem Caramuel arguit; non minus interdictum est moniali, nubere, quàm mollitiem committere, atqui, quando cooperatur, ut Joannes reddat uxori debitum, nihil facit contra suam castitatem, sed contra castitatem Joannis; ergo similiter, quando cooperatur monialis ad hoc, quòd Joannes habet pollutionem, nihil facit contra castitatem suam, sed contra castitatem Tertij, &c. Hæc ille.

Respondeo ex eadem mea doctrina; concedendo enim majorem, distinguo minorem: quando monialis cooperatur, ut Joannes reddat uxori debitum, nihil facit contra castitatem, quando, inquam, cooperatur consilio, persuasione, &c. concedo minorem; quando cooperatur SUO CORPORE v. g. SUIS MANIBUS, adjuvando Joannem ad illum conjugalem congressum, nego minorem; unde sub eadem distinctione, concedo, vel nego consequentiam.

Denique paulò post *num. 995.* Sic idem habet: quod ex circumstantiæ omnes possint tolli (nimirum quod monialis v. gr. nulli delectationi consensum præbeat, nec sit in summo periculo consensum præbendi) affirmant aliqui, qui audierunt varias confessiones: nam si sæpè mulier in actu venereo merè passivè se habet, & ut lapis, quod fœminis nimis deditis Veneri est frequentissimum: cur non earum aliqua possit, studens proprio lucro, non propriæ voluptati, etiam sine delectationis periculo, Amasium polluere, & peccare mortaliter, non contra suam, sed contra debitam Amasij castitatem? Hactenus Caramuel.

Verùm ego sic primò adversus ipsum, sive retorqueo, sive infirmam ejus doctrinam reddo: dicit, mulierem aliquam proprio lucro studentem, non propriæ voluptati, sine delectationis periculo Amasium polluere, & peccare mortaliter, non contra suam, sed contra debitam Amasij castitatem; quia ejusmodi mulier, nec delectationem sentit, nec periculum subit consentiendi; Ergo, si doctrinæ consequentiam servare velit dicere tenetur, mulierem illam merè passivè, lapidis instar, se habentem, quod fœminis nimis deditis Veneri frequentissimum esse, affirmat, posse studere proprio lucro, non propriæ voluptati, & sine delectationis periculo fornicari, immò & sodomiticè pati; & tamen illam peccare quidem mortaliter, at non contra suam castitatem, sed contra castitatem Amasij, & consequenter has fœminas Veneri jam diu deditas à peccatis contra suam castitatem Caramuel liberabit, Id quod docere unquam audebit nemo.

Sic secundò, quod idem modò dixit §. *oscula dat nunquam* infirmare possum; dixit, inquam, ibi casum, de quo disputamus, esse metaphysicum, qui vix, aut nunquam potest accidere: si enim fatetur eos, qui varias confessiones audierunt, id affirmare, & fœminas valde Veneri deditas sæpe se habere, ut lapides, qua firmitate doctrinæ asserit, id vix, aut nunquam accidere posse?

Sanè novi ego adolescentulum sæpe passum esse oscula, tactúsque turpes à magistro, non modò delectatione nulla, verùm etiam summa displicentia, idque ob timorem, ne ab illo malè tractaretur, & multoties ob pudorem illum à se repellendo: & quoties pater, frater, vel quilibet alius venereè osculatur puellam, puerúmve innocentes, nec ulla venerea delectatione infectos? Ergo sæpe accidit, ut oscula obscæna dentur, nec reddantur tamen.

Idem

Idem Caramuel *in tom. 1. Theolog. Fundamentalis fundamento 59. à num. MCCCCX. in 3. editione* hanc eandem quæstionem tractat, eadémque repetit, quæ hactenus nos attulimus, ubi pro sententia, quæ est mea, quòd scilicet peccet Sacerdos contra suam castitatem, quam vovit, si alium Laicum polluat, adducit Oviedum, adducit Dianam, adducit ex parte Candidum, adducit Trullench, cujus postremi verba ab eodem Caramuele ibidem producta, sunt hæc. Hinc fit (ait Trullench,) *t. 2. in Decal. lib. 6. c. 1. dub. 8. §. 1. n. 2.* quando mollities committitur tactibus Professi, aut in sacris constituti, esse id in confessione aperiendum, ut benè existimat Diana; poterat etiam adducere P. Vincentium Tancredi nostræ Societatis Theologum, mihíque amicissimum *2. p. quæst. moralium tract. 3. quæst. 17.* Jam, si hanc sententiam amplectuntur prædicti Doctores, cur in præsenti epistola, quam ad me scribit Caramuel, contra meam sententiam sic exultat? An Tamburinus (ait) juxta illam ab aliquo Theologiæ professore fuit instructus? An illam in aliquo Casista legit? An ab aliquo Concionatore audivit? An eandem alicubi ipse prædicavit, aut docuit? Minime, minime. Hæc ille, oblitus Doctorum, quos citaverat dicto *1. Tom. Theol. Fund.* Nam profectò si tot Doctores, ipso Caramuele fatente, hanc meam sententiam sustinent, ego audacter respondere possum, me ab his Doctoribus juxta illam institutum fuisse: Trullench non est Theologus? Diana Casista non est? Theologus non est Oviedus? Candidus, qui favet, non est Concionator, immò ex Concionatorum familia, & Theologus insignis? Legatur item Tancredi *p. 1. quæst. mor. tract. 3. quæst. ult.* ubi pro vera, hoc est, pro mea sententia in fine dictæ quæstionis sic habet: contrariam asserentes, hoc est, sententiam Caramuelis, non habere aliquod fundamentum.

Ad illud, quod à me quærit Caramuel, an alicubi eam sententiam prædicaverim, vel docuerim.

Respondeo, me nullibi eam prædicasse, quia hoc non est argumentum in Concionibus proponendum; addo, me illam docuisse privatim cum debita dexteritate, & modestia, immò illam in mea vindicatione nuper ab ipso Caramuele posita publicis typis, clarissimè sapientibus exposuisse: unde is nimis immeritò à me inquirit, an illam docuerim, cùm tam manifestè, me illam docuisse non ignoret.

Hactenus de hac controversia scripsisse sufficiat; nam alia quædam ab oculatis Lectoribus non difficili negotio diluentur.

Ego Thomas Tamburinus hæc scripsi Panormi 1. Nov. 1666.

Finis Primi Parergi.

PARERGON II.
AD IDEM SECUNDUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.
DE
CONFESSIONE COMPLICIS SUI PECCATI.

RUsticabam nudiustertius de more in suburbanis nostris hortis (Patres &c.) ut nonnihil otij indulgerem litterarijs exercitationibus meis: quod nihilominus non pauci ex incidentibus subinde occasionibus interpellabant; semel ergo Perillustris Vir, comite Sacerdote, eodemque peritissimo hujus civitatis animarum Curatore: me pro eorum humanitate ad meam salutem recognoscendam, convenerunt. Inter alloquia vergebat jam ad occasum sol; atque à vicinis montibus longiores se demittebant umbræ, & nos per spatiosa pomarij ambulacra amicè confabulantes incedebamus; ubi incidit fortè sermo de Sacerdotibus Græcis, quibus licet in Orientali Ecclesia matrimonio esse conjunctis; an hi, si Confessoris munere fungantur, suarum uxorum exhomologeses ritè excipere valeant? & inde modica, ut fit, ex altero sermone ad alterum, & ex grege ad armentum, transitione, in eam disputationem dilapsi sumus, sanè valdè arduam, & ancipitem valdè: an sacer Mysta ad idem munus adscriptus, piacularem Confessionem audire ejus possit, cum qua ab ipso inhonestè actum est? Quod sub alio dicendi modo proponunt morales Theologi; an valida sit Confessio turpis congressus cum ipsomet complice Sacerdote? Et Parochus quidem, quo cum familiariter agebam, validam esse, cum Joanne Sanchez putabat; Ego cum alijs mox laudandis, saltem ut plurimum, dissentiebam. Quoniam verò consequenti hoc anno meos auditores latè de Confessione sum, DEO favente, multa docturus, operæ pretium me facturum duxi, si prolusionis loco de proposita quæstione in hoc ornatissimo consessu disserem, veram solidamque sententiam sine fallacia sectarer, eandemque vestrum omnium, ut spero, doctissimis suffragijs comprobarem.

Itaque statuo, Confessionem turpium ipsi complici exhibitam, regulariter, ut loquimur, ac ferè semper, invalidam, & sacrilegam esse, ac necessariò repetendam: quamvis enim Doctores communi calculo eam fore validam, doceant: modò primò absit periculum novi lenocinij, novæque indecoræ

decoræ voluptatis : modò secundò legitimus adsit animi dolor : & modò tertiò, legitimum item suscipiatur, & constans non ampliùs labendi propositum : id quod docuere S. Thomas, Sylvester, Angelus, Sotus, Vivaldus, alijque cum Diana *p. 5. tract. 14. Resol. tentesima supra decimam* ; tamen (quidquid habeat Joannes Sanchez *dissput. 11. num. 16.*) hi Doctores intelligendi omninò sunt, perinde ac plures ex his conceptis verbis sese intelligi volunt, quando certum est nullum subesse periculum. At verò ijdem addunt, vel addere certè coguntur, ferè semper subesse veluti latens anguis in herba, probabile, ne dicam certum, oblectationis novæ periculum, vel ex parte puellæ, vel ex Sacerdotis parte. Præterea latere periculum diutiùs commorandi in eodem cœno : denique doloris ex animo concepti defectum. Quapropter meritò Fagundez 2. *Ecclesiæ præcepto lib. 4. cap. 3. num. trigesimo quarto*, esse lethale, complicis ejusmodi Confessionem excipere, disertè pronuntiat. Pontius item Legionensis *lib. 7. matrimonij cap. 38.* expressioribus verbis sic habet : *Confiteri complici, res est periculi plena, & occasio committendi non pauca sacrilegia. Quem enim animum esse cogites, & Confessario, & Pœnitenti ? Quare ratione periculi novi consensus, & committendi sacrilegij, istud illicitum esse asserero : nisi forte in extremæ necessitatis casu, aut quando imminente præcepto confessionis annuæ, non esset copia Confessoris, & ob magnum aliquod periculum, nulla ratione dissimulari posset omissio præcepti. Nam extra hos duos casus, dicerem, mulierem illam non habere copiam Confessoris, si non aliter, quàm Amasio confiteri potest, atque adeò non teneri præcepto Confessionis.* Hæc Pontius. Hinc meritò per summam prudentiam in Concilio Mediolanensi Provinciali quarto, teste Bonacina *de pœnitentia, quæst. 7. p. 5.* lege horrendæ excommunicationis latæ sententiæ interdicitur, ne quis improbi facinoris socio pœnitentiæ Sacramentum administret.

Jam verò his, quasi primis jactatis hastis, nec toto conatu disputatis, per singula capita diligentiùs excurramus ; & primò quidem periculi magnitudinem explicemus. Sanchez *lib. 1. in Decalogum cap. 6. num. 7.* sic ait : si mulier data opera, absque ulla necessitate, se ejus conspectui præbeat, à quo turpiter se amari non ignorat, etiamsi amorem illum non intenderet ; nescio, eam à mortali culpa liberare : jam in hunc modum ratiocinemur, auditores : si ratione periculi mortalem culpam contrahit pudica aliàs puella ex uno non necessariò sui conspectu, quem adolescenti offert ; propterea quòd hic facili negotio in lubricam delectationem impinget, quid exspectandum à Sacerdote, de quo agimus, quando amicè agit cum illo impura muliere ? Quando eadem superaddit non ingrata (ne amplius dicam) colloquia ? Quando præcedentium amplexuum memoriam refricat ? Quando sui amoris æstus ad integrandam confessionem deponit ? Quando obscœna sui cordis arcana desideria fatetur ? quas putatis flammas in temerarij Sacerdotis pectore

re tunc illa volens, nolens, non excitabit ?

At jam extinctæ sunt antiquæ Veneris flammæ, quandoquidem ad suarum culparum expiationem pœnitens accedit, idque ad emendandum fortè Confessarium : Audio, dixisti pulchrè, bellè narrasti ; verùm ego & scio, & experior, recens demortuam cereamfacem statim in ictu oculi, ut primùm igni admovetur, accendi. Quid si in socio flamma extincta nondum fuerit ? (quod tibi constare nequaquam, immò semper timeri potest.) Tunc sanè proh quantùm, & quàm inextinctum incendium excrescet !

Collector adagiorum explicans paræmiam illam (periculosum est, canem intestina gustasse) sic habet : monet adagium, haud facilè temperare à peccando, qui semel illecebram illam, veluti authoramentum vitiosum degustaverit : quemadmodum, qui scortum attigerit, qui semel perjurio rem auxerit, qui semel aulicam vitam sit expertus. Hæc ille. Et tu tam facilè, tam promptè, tam citò Sacerdotem tuum fuisse correctum, tibi persuades ? Non (tametsi jurejurando affirmaverit) credam.

Atque illud quidem, quod innui, (quando intima sui cordis arcana homologeta puella patefacit) quantam, quamque avidam escam admovet Amasio ? Detegere enim secreta pectoris, eximij amoris vehemens est incitamentum ; quod tanquam germanam ejus proprietatem indicavit Dominus, ac Præceptor noster *Joannis 15. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis* : & *Judicum 6.* Samsonem sic arguit Dalila : *Quomodo dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum* ? Explicat Lyranus perinde, ac si dicat ; quòd *me diligas, manifestè falsum est, cùm proprium sit diligentium, secreta sui pectoris invicem revelare* : addamus, & nos sapientes majores nostros ; qui, quia eos non latebat, inter amicos sinceram haberi non posse dilectionem, nisi animi penetralia iidem sibi invicem denudent ; nudum, nullóque ornatum vestimento amorem depinxerunt : quare admiratione dignum non est, si arcanorum communicatione foveatur, excitetur, accendatur amor. Unde nec etiam admirandum, si vobis ego id propugnem, quòd nimirum, cum amica puellula sui cordis interiora amico Sacerdoti, aperto veluti pectore ostendit, fieri non possit, quin ejusmodi Mystes vehementiore animi motu, in eam non feratur, & mellitum venenum, ut per aliam occasionem loquitur Plinius, mulsúmque lethale, vel invitus non bibat.

Nec profectò innocens constabit amor, quamvis ex pia Confessione consurgens, ut purus, & filio dignus in benè moratis Confessariis consuevit enasci, quando probus pœnitens sui pectoris occulta fideli enarratione confessario, tanquam Patri, commemorat : minimè, minimè, in eo, de quo nostra versatur locutio. Quod me juvat ex Medicorum documentis palam facere : Hippocrates Medicorum Princeps *lib. 2. Aphorismo 10. Non pura corpora* (inquit) *quantò plus nutries, tantò*

tò magis lædes. Rationem hujus pronunciati dat ejus Commentator, Medicorúmque Magister Galenus. *Quia*, inquit, *corrumpitur adveniens alimentum, quamquam probi succi ab humorum pravitate jam corpus obtinente.* Hæc illi. Nos verò non absimili ratione asseveramus, quantò plus amoris, quamvis probi, & innocentis adjungas, tantò magis lædes, nam impurum & sacrilegum pectus, ac pravitate venerea infectum, facili transitu, purum illum amorem, homine etiam minùs advertente, in tabem certò convertet, obscœno nimirum, & venereo motu ejus cor obsidente.

Hinc etiam fit, ut ego non videam, qua ratione improbus hic sacrorum minister, alterius esse medicus possit, cùm sit eodem contagioso morbo, iisdémque vulneribus ipse scatens; & qui errata mulieris castiget, incestátque ipse intercutibus vitiis miserabiliter madens? Quòd enim impudicus pudicitiam alteri instillet, nullo prorsus negotio impetrabis; siquidem nunquam efficies, ut cancer rectus ingrediatur, & ambuler.

Augetur inde malum, quia novit impudens Confessarius meretriculæ exteriora verba & actus; at cordis occulta non novit: quare sæpe anceps, sæpe anxius de ejus mente, déque vera dilectione subdubitat. Cùm verò ea accedit ad sacrum tribunal, aperítque pectoris ardentes faces, assiduásque fortasse cogitationes, ac propensiones ad eum, apud quem sua peccata (quamvis cum pœnitentia) deponit; quis ibit inficias, nefarij Sacerdotis pectus, vel accendi, vel accensionis evidentem aleam subire? Qui autem amat periculum, peribit in illo, est pronuntiatum vel ipsis tyronibus vulgare: Profectò amor amorem elicit, veluti silex ignem, chalybem percutiens. Amor philtrum est potentissimum ad amorem excitandum: quod eleganter scripsit Seneca ad Lucillum, *epistola nona: Ego*, inquit, *tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herbis: si vis diligi, dilige.*

Expendamus adhuc pressius mulieris sacrilegam confessionem: siquidem ea instituta est à Christo Domino, ut salubri confessione, & pudore, quæ in ipsa culparum narratione concipitur, excitetur in nobis alius purior de delictis commissis pavor, & dolor, prout oportet ad justificationis gratiam impetrandam: sic ad advocandum ejusmodi salutarem dolorem nobilissimi Doctores, Magister sententiarum *in quarto distinctione 7. & S. Thomas ibidem quæst. 3. art. 3.* asserunt, mortis urgentis periculo (si Sacerdos præstò non sit) debere quempiam confessionem instituere coram laico, non quidem quasi profanus homo piacularem absolutionem tribuere ritè queat, sed ut verecundiâ, ac pudore apud laicum concepto eventilet, atque excitet legitimi doloris faces, & salutaris contritionis actum extorqueat. Atqui, amabo te, commemorata crimina criminis socio, præsertim amico ejusdem farinæ pulvere, seu meliùs luto fædè conspersо, quodnam pudoris vestigium imprimet? Planè nullum. Putas, id quod pudicissime protulit Tullius *l. 1. de legibus:*

bus: erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia: Putas, inquam, locum habere in hac muliere, & eam, dum de impudicitiis suis cum impuro amico agit, vel latum unguem erubescere? Vach! adversus solem ne loquamur: manifestis, oro, ne repugnemus.

Confirmare tamen adhuc, quæ dicta sunt, pervulgato Judicis exemplo placet.

Docet Sanchez *in summa, iterumq; in consiliis lib. 3. c. unico*, non licere, Judicis Amasiam rogare, ut ea pro te apud ipsum intercedat, non licere (inquit) ratione scandali, tum sui ipsius, cùm se exponat vehementissimo labendi pericululo; tum alieni, quia in idem discrimen Judicem conjicit: solùm ratione urgentissimæ necessitatis, id concedunt Castropalaus, Hurtadus, aliique apud Dianam *part. 3. tract. 6. Res. Quadragesima quarta.* Ubi enim instat gravis necessitas, erit potius scandalum acceptum, quàm datum, passivum, quàm activum (quorum differentiam in præsentia distinctius explicandi locus non est.) Si igitur lethale piaculum committi putatur, quando de alieno impurum Judicem mulier alloquitur, quantò magis mortifera labe inficietur ea, quæ Sacerdotem lubricè dilectum alloqui non dubitat: & quidem non de negotio alieno, sed de ipsissimo turpis amoris incendio? Hanc, tu æstimaveris, sincerum ex animo dolorem de peccato posse concipere, dum actu peccato scandali peccat? Nec ulla in re præsenti necessitas excogitari potest: nam præter mortis periculum, aut gravem infamiam, ut initio hujus disputationis innuebamus cum Basilio, Pontio, quia tunc scandalum censetur merè passivum, nulla fingi lex potest, quæ jubeat, mulierem in eo eventu confiteri, quia reputanda tunc est, carere omni Confessario, si alius non adest, præter turpis peccati socium: satius enim tunc erit confessionem omittere, quàm sacrilegæ confessionis reum apud æternum Judicem constitui.

Nec prætermittendum est argumentum, ductum ab experientia omnium actionum tuta, fideli que magistra: siquidem ferè omnes ejusmodi confessiones procedente tempore sacrilegis fœdatas, fuisse deprehensas, compertum est, novis impudicitiis, vel in ipso confessionis actu, subinde refertas; & quod malorum caput est, per plurium annorum spatia cœnosum commercium perduravisse. Quare sæpe justissimo Dei judicio, hos impios homologetas, propterea quod sæpe in confessione sollicitatores fuerint, ad sacrum inquisitorum tribunal fuisse delatos, non ignoramus; de quibus libeat exclamare, O fidos ovium Custodes, ut ajunt, lupos; ergo (ne in sole caligemus auditores) confessiones turpium cum socio sacrilegæ regulariter existimandæ sunt, cùm regula desumenda sit ex his, quæ ut plurimum & frequenter eveniunt, sic pronuntiante communi jure, *lege in obscuris H. de Regulis Juris*: in obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.

Denique si hæc argumenta inferioris ordinis, hoc est, (humani ingenii) apud pertinacem aliquem non evincunt;

cunt; evincat locupletissimum testimonium à cælo latum. Etenim Cæsarius *l. 3. c. 24.* id enarrat, quo hactenus propugnata sententia confirmatur: dabo ejusdem Cæsarij verba, ne scilicet, si alio utar stylo, hoc est, meo, à sincera simplicis narrationis veritate, aliquid detrahere videar.

In quodam loco (ait) Sacerdos quidam nuper defunctus est, cui Superior ob meritum vitæ injunxerat, quatenus fratrum suorum confessiones audiret. Erat in eodem loco adolescens quidam, qui ad eum confitendi causa frequenter veniebat, cum quo, dæmone instigante, & humana fragilitate consentiente, idem Confessor semel tantummodo peccavit. Statim opere perpetrato cæpit dolere, & fiere amarissimè, dicebatque juveni: malè fecimus; alius hoc peccatum confiteri non possumus, sed consulo, ut tu mihi confiteatis, & ego tibi, altérque ab altero suscipiat pœnitentiam. Placuit consilium: confessi sunt invicem peccatum: parvo post tempore Sacerdos idem infirmatus est usque ad mortem; & cùm jam in extremis ageret, timore gehennæ, peccatum superiori confessus est, & obiit. Post mortem clara die apparuit adolescenti, facie lurida, & etiam veste trita, dixítque illi: In maximis pœnis sum propter peccatum illud tantum, quod tecum commisi: ab ignea enim catena astringor, & nisi in extremis peccatum Superiori in confessione expressissem, æternaliter damnatus fuissem. Si tu purè, & plenè confessus fueris peccatum nostrum, mihi multum proderis; sin autem, æterna pœna te suscipiet, sicque disparuit. Territus Juvenis fecit coram Superiore confessionem. Hæc Cæsarius.

Porrò ubi prædictam defuncti monitionem rescribit à Cæsario P. Joannes de Major nostræ Societatis *v. Communio, exemplo decimo speculi*, hanc notationem affigit. Potest quidem, inquit, esse confessio valida, & absolutio data ab eo, quo cum aliquis peccavit turpiter: sed quia sæpe (addo ego, ferè semper) contritio abest, cùm aliquis confitetur complici; ideo potuit fieri, & potest sæpe accidere (dicamus nos, ferè semper) ut talis confessio sit inutilis ad salutem. Hæc Joannes de Major.

I nunc nimis imprudens Mystes, & subi, ut libet, tam grande periculum, liquidissimas æterni regni delicias prodigendi, téque cum tuis amoris flammis in flammas ardentiores, æternum immergendi. Jam de proposita quæstione hæc pauca dixisse sufficiat. Nam extra modum vestra benevolentia abuteretur, si in longiorem cursum protraherem orationem meam, quod ob argumenti amplitudinem certè possem. Id tamen unum adjicere fas esto, pro quo sentio, mihi aurem vellicari, ut illud explicem, unde initium sumpsit disputatio de confessione complicum; quid scilicet decernendum de Conjugibus Orientalis Ecclesiæ concedentis legitimas nuptias Sacerdotibus? Morem vobis, sed brevibus geram.

Glossa *in capitulo, omnes, trigesima q. 1.* sic proponit hanc dubitationem, ac diluit; nunquid, ait, Sacerdos Orientalis Ecclesiæ audiet peccata uxoris

ſuæ? Non, quia nec ipſa ei liberè confiteretur, ſi commiſit adulterium. Fagundez etiam id approbat 2. *Eccleſiæ Præcepto lib. 4. cap. 3. n. 34.* qui, cùm docuiſſet peccare, mortiferè Sacerdotes, ſi fœminarum, cùm quibus ſceleratè ſe gerunt, confeſſiones excipiant, addidit, ſic etiam Sacerdos Græcus non debet audire uxorem. Hæc ille jejunè ſatis. Verùm, ejus, & Gloſſæ pace, ſolidam hujus ſententiæ rationem nequaquam video: niſi etiam timor adſit diminutæ confeſſionis, ut contingeret ob commiſſum adulterium, vel quid ſimile, quod ſolùm notare debuiſſet Gloſſa, non apparet ratio, cur uxoris homologeſim audire ritè non poſſit Conjux Græcus: illa enim, de qua modò noſtra proceſſit diſputatio, *complex erat, & ſocia peccati Confeſſarij*, quæ certè criminis ſocietas prorſus exulat in uxore, Græcóque Sacerdote ſancta nuptiarum Lege colligatis.

Atque hinc fit, ut ſemper illa diſtinctio ſit nobis ante oculos obverſanda, ut quæ diximus de ſacrilega confeſſione turpium cum complice Sacerdote, ad alia alterius claſsis peccata non ſint facilè extendenda, quale eſſet exempli gratia furtum, blaſphemia, perjurium, & ſimilia: quamvis enim aliqua mulier conſentiente Confeſſario, damnum v. g. alicui adverſus juſtitiam intulerit, cùm hujus delicti confeſsio non ſit, ut plurimum, cauſa, immò nec occaſio proxima, atque adeò proximum periculum iterum peccandi, vel in eodem peccato perſiſtendi, vel conſuetum contritionis, aut attritionis actum non eliciendi, ex quibus capitibus turpium confeſsionem à complicibus ablegavimus; ideò niſi quid aliud incommodi intercurrat, non erat in aliis delictis, eodem modo, ac in turpibus, decidendum. Atque hæc de contentione orta ex ſociali crimine hactenus diſputata, ſint ſatis.

PAR-

PARERGON III.
AD SECUNDUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.
DE
JUBILÆO.

S. D. N. D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

Jubilæum universale ad implorandam Divinam opem contra Turcas Clemens Papa X. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INter gravissimas, multiplicesque curas, quibus ex Sacrosancti Apostolatus humilitati, atque infirmitati nostræ divinitus crediti munere assiduè urgemur, illa animum nostrum acrius, vehementiusque angit, & lancinat sollicitudo, quam de florentissimi olim Poloniæ Regni rebus formidabili Turcarum potentia, atque immanitate summum in discrimen adductis, corde jugiter versamus: quis enim aliquo honoris DEI zelo, atque pietatis sensu præditus in luctuosam tam potentis, tantaque rerum pro Christiana Religione fortiter gestarum gloria longè, latéque fulgentis Regni faciem mentis oculos, absque lacrymis conjicere possit? Quis ad gravissima, quæ universæ Christianæ Reipublicæ imminent pericula, non expaveſcat? Expugnata siquidem nuper Camenecia, quæ infensissimorum Christiani nominis hostium impetus non semel cohibuerat, atque fregerat, immittis Turcarum Tyrannus, eo successu inflatus, pro inexplebili, qua flagrat, dominandi, imperiique sui confinia dilatandi libidine, victricia arma quaqua versum circumferre, arces, oppida, civitates, & provincias debellare, populos servitute opprimere, & miserandam in captivitatem abducere, ac Mahumetanæ perfidiæ abominationem vi, terrore, dolo, omnique conatu in agro DEI viventis plantare non cessat, totamque Rempu-

blicam Christianam clade involuere molitur. Verùm exclamare licet cum Propheta: quis dedit in direptionem Jacob, & Israël vastantibus? Nonne Dominus, cui peccavimus? Ita est planè, longanimem DEI patientiam proritant hominum flagitia, ejusque vindictam accersunt: nam, ut subjungit idem Propheta, noluerunt in vijs ejus ambulare, nec audiverunt legem ejus, & effudit super eum indignationem furoris sui, & fortè bellum: sed qui pius est, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat; effundet in nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, illasque dignis pœnitentiæ fructibus expiare satagentes, offeramus ei cordis contriti holocausta, & orationes nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas, tanquam incensum super altare ejus adoleamus in odorem suavitatis. Hoc itaque unanimi charitatis fervore agamus omnes, Patrem misericordiarum, & DEUM totius consolationis concorditer invocemus, ut Dominator exercituum, qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum, sicut ab initio, & allidat virtutem inimicorum nostrorum in virtute sua: & qui facit pacem in sublimibus, ille fideles suos fortiter vinciat concordiæ nexu, & induat fortitudine, quæ de cœlo est, ut hostes nostros, qui in multitudine contumaci, & superbia venientes hæreditatem DEI nostri delere satagunt, protegente Domino, in cujus manu est salvare in multis, & in paucis, dissipent, & disperdant, atque à Christianorum cervicibus longè repellant: quæ, ut fructuosiùs, majorique spiritus ardore peragantur, ex pristino Romanæ Ecclesiæ, omnium matris, & magistræ more, cœlestium gratiarum Thesauros, quorum dispensationem nobis commisit DEUS, in præsentibus necessitatibus aperire, & liberali manu erogare decernimus. Igitur ex parte Omnipotentis DEI Patris, & Filij, & Spiritus Sancti omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, tam in Alma Urbe nostra, quàm extra eam ubicunque locorum constitutos, Apostolica auctoritate paternè requirimus, monemus, & hortamur ad infrascripta devotè peragendum, ac ad DEUM Salvatorem nostrum toto corde orandum, ut per viscera misericordiæ suæ Religionem Christianam, fidemque Catholicam tueri, & protegere, nefariorumque illius hostium Turcarum impetus reprimere, vires conterere, & consilia dissipare, Polonorum animos dissidijs distractos reconciliare, ac in pristinæ charitatis, atque unionis compagem restituere, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare, & firmiter solidare, eorumque vires, & consilia ad tutelam Christiani nominis, Sanctæ matris Ecclesiæ exaltationem unire, augere, firmisque præsidijs munire, ac pijs omnium nostrum laboribus, atque conatibus felices successus largiri dignetur. Nos enim de Omnipotentis DEI Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, ex illa

illa ligandi, & solvendi potestate, quam nobis Dominus, licèt indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemni processioni, quam aliqua die proximè venturæ hebdomadæ ab Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam ad Ecclesiam Sancti Stanislai Nationis Polonorum de eadem Urbe una cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, Universoque Clero, & Populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel S. Joannis in Laterano Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, DEUM oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Evchariſtiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinarijs locorum, vel eorum Vicarijs, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, & alios, ut præfertur, faciendæ decursu, harum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint; plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & largimur. Navigantes verò, & iter agentes, ut, cum primùm ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilij, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non alijs quibuscunque tam laicis, quàm Ecclesiasticis sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa

Con-

Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinarijs ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eáque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe prædicta, quàm extra eam, ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut ipsi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinarijs, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & alijs Ecclesiasticis sententijs, & censuris, à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinarijs, sive nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascunque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocunque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant. Et insuper vota quæcunque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, alijs ejusdem Confessarij arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscunque Ordinarijs locorum, ubicunque existentibus, eorumque Vicarijs, & Officialibus, vel ijs deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, Nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate, quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes ijs, qui à nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Non obstantibus

stantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis indulgentijs ad instar, & quorumcunque ordinum, & Congregationum, sive institutorum Regularium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quocunque indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus non omnibus, & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus ut earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinto Novembris M DC. LXXII. Pontificatus nostri anno tertio. I. G. Slusius.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Secundo Ind X. die verò 5. Mensis Novembris Pontificatus, Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X anno ejus tertio supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis Principis Apostolorum, & S. Mariæ Montis de Urbe, & in Campi flore, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Stagium Sanctissim. D. N. Papæ Cursorem Carolus Francischinus Mag. Curs. Romæ, & iterum Panormi, ex Typographia Petri Coppulæ Impressoris Cameralis 1673. Impr. Cuzzolinus G. & V. G. Imp. R. Joppulo. P.

TRACTATUS DE IVBILÆO, CONCESSO A SANCTISSIMO CLEMENTE DECIMO.

IN novem Capita dividitur hìc Tractatus : Primum de publicatione Jubilæi. Secundum de Confessore eligendo. Tertium de Confessione etiam reservatorum. Quartum de Communione. Quintum de visitatione Ecclesiæ. Sextum de jejunio. Septimum de Eleemosyna. Octavum de commutatione Votorum. Nonum varia.

Quæstio incidens de Indulgentijs non transferendis, & de Indulgentijs apocryphis.

CAPUT I.

De publicationi Jubilæi.

1. ORdinarius habens transumptum, vel exemplum impressum Bullæ Jubilæi tenetur sub mortali, eam publicare; quia secus deficeret in re gravi: qui veniant hìc nomine Ordinarij dicam *c. 2. n. 5.*

2. Quamvis autem Pontifex mandet, ut Ordinarius statim sine ulla mora publicet; tamen non excluditur facultas aliquantulum differendi, quãdo extat causa rationabilis: ita videmus in alienibus diœcesibus publicari Jubilæum, primò in Civitate præcipua, & deinde in Oppidis, ex aliqua causa prudenter visa ab Ordinarijs.

3. Hinc multis Theologis consultis, Pellizzarius *de monialibus cap. 9. num. 21. ait*, Ordinarium posse pro monialibus differre publicationem per quindecim dies, post quam publicavit in eadem Civitate: idque ob illam causam, quòd Sacerdos pro monialibus audiendis occupantur antea in audiendis sæcularibus confluentibus ad confessiones.

4. Qui licèt possit, non interest processioni publicationis, nec peccat, nec officit acquisitioni Jubilæi.

5. Non nemo putat, quemlibet posse lucrari Jubilæum ex vi publicationis

nis factæ Romæ, vel alibi; sed certè non est audiendus; quia Pontifex singulis Ordinarijs publicationem delegat.

6. Ubi nulla fit publicatio, ut in locis infidelium, sufficit quælibet notitia Jubilæi; assignatio autem Ecclesiæ habeatur à Parocho, vel si hic, aut Ecclesia desit; commutet Confessarius in aliud opus: quòd si neque hic adsit, non poterit acquiri Jubilæum; quia Pontifex expressè, non nisi Confessarijs commutationem committit.

7. De itinerantibus, & navigantibus sic disponit Pontifex: *Navigantes verò & iter agentes cum primùm ad suorum domicilia se receperint, suprascriptis operibus peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, vel Parochiali loci eorum domicilij; eandem Indulgentiam consequi possint.*

Publicatio pro Religiosis.

8. REgulares omninò expectare debent publicationem Episcopi; quod enim aliqui dicunt, eos non teneri expectare, sed ipsorum Superiores posse Jubilæum publicare, Ecclesiamque designare, quia sunt exempti ab Episcopis, & eorum Ordinarius est Superior: non habet solidum fundamentum: quia Pontifex Ordinario loci ea committit: at superior Religiosus non est Ordinarius loci absolutè dictus, licèt sit Ordinarius sui Conventus: nomine enim Ordinarij loci in usu communi, quem servat Pontifex, quando loquitur cum populo; intelligitur Ordinarius sæcularium, non verò Religiosorum.

Publicatio pro præsentibus, vel absentibus.

9. IAm verò quæres hìc primò, si quis initio promulgationis inveniatur in sua Patria v. g. hìc Panormi; ubi Jubilæum publicatur; sed statim ob sua negotia hinc discedat; & si quis advena, seu peregrinus hìc etiam eodem tempore existat, sed pariter discedere debeat: & denique siquis huc adveniat post inceptam hebdomadam, & cogatur statim discedere, quæres (inquam) quid hi facient, ut ritè Jubilæum lucrentur.

10. Respondeo; alterum ex duobus sequentibus remedijs eligant; vel liberè proficiscantur ad sua negotia, & cum redierint, seu pervenerint in suas patrias, faciant opera injuncta, sicuti itinerantes, de quibus *modò num.* 7. dixi, ij enim sunt censendi itinerantes propter impendentem discessum: vel petant à Confessario commutationem eorum operum, quæ ante discessum exequi non possunt; his enim utpotè impeditis, concedit Pontifex talem operum commutationem; & ex alia parte; quia statim, ac aliquis invenitur in loco, ubi Jubilæum publicatur, acquirit jus ad illud omni meliori modo, quo potest, ibidem acquirendum, ideò poterunt hoc modo acquirere.

11. Immò propter idem jus, quod per dictam præsentiam acquiritur; ille qui cæpit aliqua facere, poterit cætera exequi in itinere, vel etiam extra locum Jubilæi. Solùm obstare potest visitatio Ecclesiæ, sed vel illam visitet

ante discessum, vel si non potest, commutet Confessarius visitationem hanc.

Dixi (*non potest*) non autem dixi (*non vult*) quia rationabiliter impeditis commutare Confessarius potest ex concessione Pontificis, non verò alijs merè nolentibus.

12. Quæres secundò; qui pervenit huc, Panormum v. gr. ubi sit Jubilæum, sed pervenit tamen tardè, ut solùm in die ultimi sabbati hîc inveniatur; poteritne lucrari Jubilæum?

Respondeo propter dictam rationem, quòd statim acquirit jus lucrandi Jubilæum; sanè poterit, commutatis à Confessario operibus, quæ facere in illa temporis angustia nequit; is enim tunc legitimè dicitur impeditus: eundem posse se gerere, ut itinerantem & lucrari Jubilæum in patria, constat ex dictis.

13. Quæres tertiò, si eadem hebdomada hîc Panormi publicetur Jubilæum, & in eadem publicetur Montis regalis, possitne hic erogare eleemosynam, & deinde exequi cætera, sic & Jubilæum acquirere?

Respondeo, sine Confessarij legitima commutatione non posse, quia solùm acquititur jus ad Jubilæum, positis operibus in ea promulgatione requisitis, non verò positis operibus ex vi alterius publicationis; ita de Lugo *disp. de Pœnitentia n. 127.*

14. Quæres quartò, possumne incipere opera Jubilæi v.g. eleemosynam, vel visitationem Ecclesiæ, antequam Jubilæum promulgetur v. g. mane, si publicatio fieret circa meridiem?

Respondeo, non posse, quia non fiunt legitimè, nisi fiant ex vi Jubilæi publicati, non verò publicandi. De Lugo *ibidem.*

15. Quæres quintò si hîc Panormi v. g. lucratus sum Jubilæum seu (quod idem id) Indulgentiam (quæ certè est absolutè plenaria) possumne alibi v.g. Messanæ, si me illuc conferam, quando ibi promulgatur Jubilæum, iterùm lucrari, & à reservatis iterùm absolvi, &c.?

Respondeo, probabiliter posse sustinent Enriquez, Moronus, plurèsque apud Dianam; quia Jubilæum est privilegium locale pro personis, quæ in tali loco quomodocumque inveniuntur; de Lugo *loc. cit. num.* 121. fatetur, hanc sententiam esse probabilem, sed ipse sequitur negativam, quam dicit esse probabiliorem.

16. Dices, si bis ego lucrari modo dicto Jubilæum possum Panormi, & Messanæ, multò magis possem illud lucrari Panormi, hoc est in prima hebdomada, & iterùm repetendo eadem opera in hebdomada secunda?

Respondeo, id tibi probabiliter concedo, ut tibi concedit Moronus *loco cit. num.* 305. & Pasqualigus *de Jubilæo quæst. 22. & quæst. 238.* & consequenter absolvi iterùm poteris à reservatis, & obtinere commutationem votorum.

CA-

CAPUT II.

De confessario eligendo.

1. QUamvis in aliquibus Jubilæis olim concessis dubitaretur, quinam Confessarius esset, à volente Jubilæum lucrari, eligendus; tamen in præsenti CLEMENTIS X. omnis dubitatio ablata est; debet enim esse is, qui ab Episcopo, seu Ordinario loci approbatus sit; non igitur ab Ordinario pœnitentis, vel Confessoris.

2. Qui autem est approbatus ab Ordinario loci pro certis personis non potest eligi, nisi à dictis certis personis, nec, si finijt tempus approbationis: quæ ego universaliter docui *in tract. de Bulla Cruciatæ c. 11. §. 1. n. 10.*

Variatio Confessorum.

3. VNo à te electo, potes eligere alium, vel alium tempore Jubilæi, & ab hoc petere, commutationem voti, ab illo absolutionem reservati; quia tunc omnes Confessarij, sunt unius rationis, si legitimè ab Ordinario loci sint approbati; immò etiam incæptam confessionem apud unum, poteris Jubilæi tempore perficere apud alium approbatum ab Ordinario loci, modò huic omnia peccata non absoluta deponas.

4. Et elapso Jubilæo non potest, nisi in uno casu alius eligi; casus autem unicus est, quando quis tempore Jubilæi gravatus reservatis habuit à Confessario propter causas rationabiles (quas tangam mox *num. 18. & 19.*) dilationem Confessionis faciendæ post tempus Jubilæi; nam tunc posset postea eligere eundem, qui illi distulit confessionem, quamvis hic Confessarius fuerit approbatus solùm pro tempore Jubilæi: Et ratio est, quia causa apud hunc jam cæpta fuit; unde radicata in ipso fuit jurisdictio quoad talem pœnitentem.

5. Immò potest etiam alium tunc, vel alium Confessorem eligere, qui habeat tamen approbationem ab Ordinario pro absolvendis mortalibus, licèt non pro reservatis, id quòd distinctiùs dicam *num. 20.* & iterum *c. 3. n. 2.*

Confessarius à quo approbandus.

6. ESt ex nostro Jubilæo approbandus ab Ordinario loci: Intelligimus autem pro Ordinario loci Episcopum, Vicarium Generalem cum speciali mandato, Vicarium item Generalem, sede vacante, cum simili speciali mandato, Abbates denique territorium, & Episcopalem jurisdictionem habentes.

7. Rogas: an sæcularis, vel Religiosus possit eligere Confessarium Religiosum approbatum dumtaxat à Prælato, seu Superiore suo Religioso?

Respondeo, Moronus *in centum responsis moralibus, responso* 98. ait, esse probabilissimum, quòd possit; quia, inquit, Conventus Religionis non est locus Episcopi, sed Superioris Religiosi: quare Sacerdos Religiosus, qui habet approbationem sui Superioris, dicetur sufficienter habere approbationem Ordinarij sui loci, id est sui Conventus: sed profecto id approbare non possum: quare negativè respon-

dendum est, ut docet contra Bonacinam de Lugo *disp. 20. n. 141.* Et ratio est, quia nimis manifestè Pontifex requirit approbationem illius Ordinarij loci, qui simpliciter talis est in communi usu loquendi; nam (*sicuti modò dicebam c. 1. n. 8.*) in hujusmodi Bullis populo datis, Pontifex communibus vocabulis utitur: confirmat hoc de Lugo ex inconvenienti; nam sequeretur, quòd Sacerdos sæcularis non approbatus ab Episcopo, sed approbatus à Superiore Religioso (ut certè potest extra Jubilæum pro suis subditis) esset aptus pro omnibus tempore Jubilæi, vel saltem pro omnibus Religiosis illius Conventus.

Illud igitur, quod nonnulli dicunt, quòd Religiosus potest per Jubilæum eligere Sacerdotem approbatum à solo suo Superiore, falsò dicitur; in nostro enim & simili Jubilæo requiritur approbatio Episcopi, seu Ordinarij loci, ut dictum est.

Confessarius Religiosorum à quo approbandus?

8. QUid contra? possúntne Religiosi eligere, pro hoc Jubilæo acquirendo, Sacerdotem, qui sit approbatus ab Ordinario loci sæcularium, non autem qui sit approbatus ab ipsorum Superiore, vel ipso Superiore non consentiente?

Respondeo: posse, nam revocantur à Pontifice omnia privilegia, quæ habent Religiones, ne eligant Confessarium non approbatum ab ipsorum Superiore. Ratio autem, quòd possint, maximè fundatur in eo, quòd hæc electio Confessarij tempore Jubilæi, qui possit absolvere Religiosos ab omnibus; sicuti sæculares, etiam à reservatis in Religione, non officit Religiosæ observantiæ, cùm sit de ratò contingens; tum quia admodum fructuosa est ad sedandas Religiosorum conscientias; tum quia valde libera, & amplissima conceditur fidelibus hæc facultas; & mirum sanè esset, si ea non prodesset tot numero Religiosis; tum quia denique praxis Religiosorum etiam timoratorum usu ipso idem affirmat.

9. Multò magis possunt Novitij eligere Confessarium approbatum ab Ordinario loci sæcularium, quia Novitij in favorabilibus veniunt nomine sæcularium.

De Religiosis Soc. JESU.

1. DIces, at Gregorius XIII. prohibuit, ne Religiosi Soc. JEsu frui possint Jubilæo, nisi cum licentia, & voluntate Superiorum suorum, ut diserte habetur in compendio privilegiorum ejusdem Societatis *Verb. Absolvo §. 11. & Verb. Gratiarum usus §. 2.* quid igitur de his dicendum?

Respondeo primò. Idem dicendum esse, quod dictum est de cæteris Religiosis, id quod constat ex declarationibus datis ad varias Provincias à P. Generali ejusdem Societatis, quæ referuntur in responsis Generalium Societatis *verb. absolutio, & Jubilæum n. 2. & sequentibus*, quæ sunt ejusmodi.

2. *Cùm forma Jubilæi unicuique det libertatem eligendi Confessarium, nulli sunt designandi pro nostris Confessarij,*

sarij, *sed concedenda unicuique facultas eligendi aliquem ex domesticis Confessariis approbatis, ut hac libertate permissa, non valde curiosè inquirant, num etiam externus eligi possit. Pol. 19. Junij 1641. lib. 4.*

3. *Quando in Bulla tam ampla potestas conceditur eligendi Confessarium, ut in postrema concessa fuit, liberum est etiam nostris confiteri cuivis approbato, sive alterius ordinis Religioso, sive sæculari. Austriæ, Gallob. per P. Claudium, Aquitaniæ 1597. l. 4.*

4. *Hinc quando Bulla tam ampla potestatem concedens revocat quæcunq; privilegia contra facientia, sicuti factum est in proximo, non potest Societas vi privilegij Verb. Absolutio num. 11. suis denegare hanc facultatem. Gland. p. Sept. 1618. l. 4.*

5. *Non est necesse nostris tunc indicare, sed satis est, ipsum exemplar Bullæ publicè proponere, omissa designatione certorum Confessariorum, & omnibus facere liberam facultatem confitendi cuilibet Confessario Societatis. Gall. Austriæ, Gland. post rescriptum à Patr. Claud. Aquitaniæ 1691. in eadem verba datum.*

6. *Quod si in formula Diplomadis aliquid dubij occurrat circa amplitudinem facultatis, consulendi sunt Doctores, & eorum judicium sequendum. Gland. Rhen. Infer. 6. Julij. 1530.*

De Monialibus.

10. IAm verò de Monialibus idem dicendum est, posse scilicet in foro conscientiæ tum validè, tum licitè, perinde ac sæculares, etiam si Confessarij non sint specialiter pro ipsis approbati, dummodo sint absolutè approbati à loci Ordinario. Legite Moronum *num.* 145. & Pasqualigum *de Jubilæo quæst. 210.*

Dictum est (pro foro conscientiæ) nam cæterùm pro foro externo varias prohibitiones solent promulgare Episcopi, qui fortasse moniales, & Confessarium punirent (sed an rectè, ajunt dicti Moronus, & Pasqualigus citati, ipsi videant.) Pellizarius *loco supra cit. n. 21.* nimis indulget ejusmodi prohibitionibus. Si quis Confessarius esset ita indignus, ut Episcopus ex gravi causa spectante ad confessionem tolleret ab ipso approbationem, tunc mirum non foret, si is & invalidè, & illicitè moniales, vel alios quoscunque absolveret.

Pœnitentiæ salutares.

11. VT munus suum rectè obeat Confessarius, debet in hoc Jubilæo salutares pœnitentias pœnitentibus imponere; id enim expressè hic mandatur: & quamvis nonnulli aliter id interpretentur, tamen quod dicimus, saltem tutius est, & solùm concedimus, posse aliquanto mitiores imponi.

Satisfacta parte.

12. MVnus item Confessarij est, imponere pœnitenti satisfactionem partis, quando ea necessaria est, debétque omninò præmitti ante absolutionem: secus Confessarius peccabit contra jus partis. Id quod distinctiùs diximus *in tract. de Bulla Cruciata cap. 11. §. 7.*

13. Quid

13. Quid si omnibus pensatis, pœnitens sit impotens ad satisfaciendum? Respondeo, in hoc casu nihil se ingerat Confessarius pro foro externo: at pro foro conscientiæ, sive ad facultatem, quam habet absolvendi Confessarius, addatur hæc clausula (*absolvas satisfacta parte*) sive non addatur, probabile est, propter dictam impotentiam sufficere propositum satisfaciendi, vel cautionem (de qua dixi loco cit.) quod quando pœnitens poterit, satisfaciet, & sic posse absolvi in foro conscientiæ; ita tamen, ut non turbetur forum externum.

Prudenter autem Doctores monent, ne te decipiat, amplificando suam impotentiam, pœnitens.

Potestas Confessarij in absolvendis peccatis, & censuris.

14. His verbis hæc potestas conceditur à Pontifice in nostro Jubilæo, quæ admodum ampla est.

Qui Confessarij, ait, pœnitentes ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus, & aliis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine, quavis causa latis, seu inflictis, nec non omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, etiam nobis, etiam in Cœna Domini reservatis, vel in quibuscunque nostris constitutionibus, hac vice tantùm absolvere, & liberare in foro conscientiæ valeant.

Et paulò post. *Sed neque in foro conscientiæ id concedimus pro Irregularitate, Incapacitate, &c. Neque pro declaratis, vel publicè denunciatis incidisse in censuras, nisi intra tempus dictarum hebdomadarum satisfecerint, vel in partibus concordaverint.* Illud (*hac vice tantùm*) explicabimus mox *cap. 3. num. 12.*

15. Quæres primò: Potéstne ex vi hujus Jubilæi absolvi hæresis formalis? Respondeo, quoniam emanavit declaratio à Sacra Congregatione Anno 1656. sub Alexandro Septimo, per quam explicatur, nunquam concedi ejusmodi potestatem in Jubilæis, Bullis, & Rescriptis, nisi expressis verbis dicta formalis hæresis absolutio concedatur; in hac autem Bulla præsentis Jubilæi hæc expressio non adest, propterea ea absolvi nequit.

16. Dictum est (*hæresis formalis*) nam Blasphemiæ hæreticales, vel quæcunque externa hæreticalis actio sine errore intellectus, cum tunc hæresis formalis nequaquam sit, absolvi sane poterit.

17. Quæres secundò: Quando ex Jubilæo, vel alio Privilegio danda est absolutio excommunicationis, debétne dari in foro Sacramentali, hoc est, dum pœnitens suscipit Sacramentum pœnitentiæ?

Respondeo, quamvis in Jubilæo, seu privilegio ponatur, ut absolutio fiat in foro pœnitentiæ, vel in foro conscientiæ; tamen poterit fieri extra Sacramentum Pœnitentiæ; nam tolùm tunc opus est fieri, dum pœnitens suscipit Sacramentum, quando privilegium signatè diceret, ut fieret in Sacramentali Confessione, Sanchez, alijque. Quoniam verò in præsenti Jubilæo hæc clausula non adest, poterit in rigore extra

extra Sacramentum fieri, licet solùm valeat pro foro conscientiæ, non autem pro foro externo.

Dico (*in rigore*) nam cæterum satis est, fieri in Sacramento Pœnitentiæ, quia tunc pœnitens meliùs disponi à Confessario potest ad propositum non relabendi.

Potestas Confessarij in commutandis operibus injunctis.

18. EX vi Jubilæi, quod olim emanavit eo tempore, quo scripsit Cardinalis de Lugo tomum de pœnitentia, poterant quidem alia opera à Confessario commutari, ex causa, in alia pia opera, sed non confessio, & communio: Verùm in nostro Jubilæo Clementis X. ut etiam in Jubilæo Clementis IX. possunt omnia, etiam confessio, etiam communio, si opus erit, pro impeditis commutari. *Confessarij* (ajunt Clemens X. & IX.) *supra expressa* (expressa autem supra erant omnia, etiam confessio, etiam communio) *vel eorum aliqua præstare pœnitentes nequiverint in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint.*

19. Hinc ergo sequitur, Confessarios, ei, qui fecit omnia opera injuncta, sed est in proxima occasione peccandi, posse, ut illum probent, concedere dilationem confessionis. Multitudo item concurrentium ad confessiones, poterit non ratò esse causa, ut Confessor det dilationem; idem dic, si pœnitens habet multas censuras, & intricatam conscientiam, poterit enim Confessarius dare huic rationabilem dilationem.

De Casibus reservatis interim commissis.

10. QUid si ejusmodi dilatus incidat interim in alia reservata, poteruntne hæc absolvi à Confessario?

Respondeo. Circa hoc aliquid innui *num.* 4. & 5. Et quidem, quod possit absolvi ab omnibus commissis ante spiratum tempus Jubilæi, non est dubitandum; sed dubitatio posset procedere de reservatis, quæ fortè committet antequam ipse Jubilæum, seu Indulgentiam per ultimum opus ex injunctis acquirat; nam tunc Indulgentia acquiritur. Et nihilominus respondeo, etiam ab his absolvi posse ab eodem Confessario, qui dilationem dedit. Ratio hujus sententiæ (quam licèt neget de Lugo *loco cit. numer.* 124. amplectuntur tamen Alphonsus de Leone, Santarellus, cum Diana *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 147.) est, quia posito, quod Confessarius Confessionem prolongavit, totum illud tempus intermedium usque ad Confessionem, est tempus Jubilæi pro dilato.

21. Dixi (*ab eodem Confessario*) quod minùs dubitandum est: nam cæterum posse à quocunque legitimo Confessario, qui habet jurisdictionem ab absolvenda mortalia dixi *n.* 4. & 5. & iterum dicam *cap. seq. num.* 2. Quia omnes Confessarij legitimè approbati, sunt veluti unus pro ijs, qui Jubilæum sumunt.

22. Nota, posse contingere, ut aliquis sumat Jubilæum, seu acquirat Indulgentiam die Jovis v. g. quia propter rationabile impedimentum fuerunt illi commutata jejunia feriæ sextæ, & sabbati, aliaque opera finierit dicto die Jovis, in hoc ergo casu inquires, si is post acquisitam Indulgentiam committat reservata, possetne ex vi Jubilæi acquisiti ab illis absolvi?

Respondeo, non posse: nam facultas absolvendi à reservatis est concessa in ordine ad lucrandam Indulgentiam: si ergo hìc completè illam acquisivit, spirant pro ipso Jubilæi tempus, ejusque privilegia.

23. Advertat denique Confessarius, quod licèt possit tolli reservatio, & excommunicatio, invito pœnitente, ut diximus *in tract. de absolutione excommunicationis*; nunc tamen per Jubilæum, ut per Bullam Cruciatæ, non potest, illo invito, tolli, quia privilegia Jubilæi, & Cruciatæ sunt concessa pœnitenti ipsi, qui non potest cogi ad usum sui privilegij: quare dictam absolutionem debebit ipse petere à Confessario; si non petet, nihil poterit Confessarius.

CAPUT III.

De Confessione.

Peccatis mortalibus carens.

1. QUi sine culpa putat se liberum esse à peccatis mortalibus; & ideò non confitetur, an gaudeat privilegio Jubilæi, Indulgentiamque lucretur, si cætera injuncta ritè præstet?

2. Respondeo. Sanchez, Henriquez, alijque negant, quia confessio est unum opus ex injunctis omninò requisitis. Suarez, alijque affirmant; quia ex interpretatione mentis Pontificis, praxim fidelium scientis, qui non judicant, se obligari ad confessionem, nisi mortalibus graventur; intelligimus, confessionem non propter aliud in Jubilæo à Pontifice requiri, nisi ut, quis ponatur in statu gratiæ: utraque sententia probabilis est, ut fatetur ipse Sanchez, licèt suam vocet probabiliorem.

3. Quid si prædictus post acquisitum, & elapsum Jubilæum recordetur alicujus mortalis reservati, à se ante Jubilæi acquisitionem commissi, poteritne absolvi ab hoc oblito per quemcumque Confessarium, qui habeat potestatem absolvendi à mortalibus, sed non à reservatis?

4. Respondeo, posse: siquidem per acquisitionem Jubilæi acquisivit in sententia probabili jus ad hujusmodi absolutionem, idque etiam si post multum tempus, v. g. post annum recordetur illius, vel etiam aliorum commissorum ante acquisitionem Jubilæi; tunc enim in prima confessione, quam faciet, debet illa clavibus subjicere, ut legitimè absolvatur. Ita docent Sanchez, Henriquez, & alij.

Confessus, vel non Confessus non recipiens Jubilæum.

5. QUi peregit confessionem cum animo lucrandi Jubilæum, & tem-

tempore Jubilæi fuit absolutus etiam à reservatis, si postea Jubilæum non lucretur, sive sine sua culpa, sive cum culpâ, remanet ne absolutus?

6. Respondeo affirmativè; quia absolutio licèt fuerit collata in ordine ad Indulgentiam acquirendam, tamen absolutè collata est, & non ad reincidentiam. Non ita esse, quando quis in articulo mortis absolvitur ab excommunicatione reservata (nam tunc datur absolutio ad reincidentiam) diximus *in tract. de absolutione excommunicationis.*

Hæc autem pœna reincidentiæ tunc solùm incurritur, quando Pontifex sic se expresè declarat: at in Jubilæo id non exprimit; unde sequitur, malè facturum Confessarium, si Jubilæi tempore pœnitentes absolveret ad reincidentiam; debet enim absolvere absolutè, & sub nulla conditione in futurum.

7. At verò, qui nullam peregit confessionem, qui fortè, ut diximus *num.* 1. mortali peccato non gravabatur, licèt alia injuncta executus sit, nullo Jubilæi privilegio gaudere poterit, quia tunc nec confessio peracta est, nec Jubilæum acquisitum.

8. Idem dic, si quis confiteretur non habens intentionem acquirendi Jubilæum; hæc enim Confessio, licèt aliàs legitimè, & cum fructu facta, non est tamen confessio privilegiata per Jubilæum, cùm non facta sit ex intentione acquirendi illud, quæ intentio necessaria est, ut paulò post dicam.

9. Quid dicendum de illo, qui fecit quidem confessionem, sed propter defectum doloris v. g. sacrilegam illam fecit, & invalidam?

Respondeo. Quamvis hic exequatur omnia alia opera injuncta, non lucrabitur Jubilæum, nec ejus privilegia: quia, cum sit DEI inimicus, Jubilæi, seu Indulgentiæ, & Privilegiorum ex his consequentium particeps esse non potest.

Quid si ante ultimum opus conteratur? Respondeo, neque lucrabitur: quia in hac figura casus non fecit omnia injuncta, quia non fecit confessionem, confessio enim sacrilega nullo modo confessio est.

10. Instas: quid si illa confessio fuerit valida, sed informis?

Respondeo: Etiam concesso, quod dari possit confessio, seu Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, quod innumeri Doctores negant, & concesso etiam quod hic per contritionem recuperet statum gratiæ ante ultimum opus; dico, eum non lucraturum Jubilæum, quia pari modo hic non posuit unum ex operibus injunctis, nempè confessionem, quia non injungitur à Pontifice quæcunque materialis, quamvis valida confessio; sed illa, quæ conducit ad gratiam, & Indulgentiam obtinendam; atque adeò, quæ sit formata ex gratia. Ita Pasqualigus *q.* 73. *contra Leonem, & Faustum.*

Confirmatur hæc responsio; nam hodie est ab Alexandro VII. damnata hæc propositio (*qui facit confessionem nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*) si ergo confessio nulla, qualis certè est in

muni usu loquendi illa, quæ nullam parit ex se gratiam, non satisfacit præcepto Paschali Ecclesiæ; satisfacietne intentioni Pontificis pro Jubileo?

11. Rogas: qui confessus est, & absolutus spe Jubilei; si deinde Jubileum nollet ex culpa sua consequi, peccatne?

Respondeo: Suarez docet peccare; quia facit contra virtuale pactum in eo beneficio absolutionis à se recepto. Sed Sanchez negat, quia non apparet adesse ejusmodi pactum: & ex alia parte Confessarius absolutè, & sine conditione in futurum absolvit, ut modò diximus *num 6.* Fuit igitur solùm propositum pœnitentis, à quo recedere, certè ex se peccatum saltem grave non est.

Absolutus nulliter à reservatis.

12. SI Pœnitens bona fide confiteatur, etiam reservata, habeatque animum lucrandi Jubilæum, at Confessarius, qui non sit approbatus ab Ordinario loci, tamen (certè cum peccato) illum absolvit; lucraturne is privilegia Jubilæi? Cùm verè legitimam confessionem, seu absolutionem non obtinuerit.

13. Respondeo Moronum *loc. cit. num. 297.* putare lucrari tunc ejus privilegia; siquidem (ait) huic bona fide procedenti nocere non debet malitia Confessarij, idque etiamsi confessio requireretur, ut conditio; necessitas enim ponendi conditiones cessat; quoties per debentem illas ponere non stat, quod conditio executioni non mandetur. Contrarium docet Pasqualigus *quæst. 71.* quia hic, si confessio supponatur requiri ut conditio, verè non ponit opus injunctum, nempè confessionem validam; tanè utrumque probabile videtur.

14. Si in ejusmodi pravo Confessario adfuisset error communis, non essemus in dubio; nam tunc confessio satis superque legitima fuisset, ut alibi à nobis dictum est sæpè.

15. Quid si bonus ille pœnitens veniat in cognitionem de illegitimitate sui Confessarij?

Respondeo. Si adfuit prædictus error communis, ad nihil obligabitur; si ejusmodi error communis non adfuit; puto necessarium fore, ut pœnitens subjiciat sua illa peccata alteri confessario legitimo, potenti absolvere à mortalibus, ut in simili alibi diximus de peccatis indirectè absolutis.

Peccati antiqui memor.

16. ILle qui validè confessus est de mortalibus, & ille, qui non est confessus, quia solis venialibus gravabatur, sed jam Jubilæum acquisivit; si uterque aliquorum mortalium sine culpa est oblitus, neuter obligatur, illa oblita fateri ante elapsum Jubilæum, satis est suo tempore.

Immo ab oblitis commissis etiam reservatis ante acquisitum Jubilæum, poterit in prima confessione absolvi per quemcunque Confessarium, potentem absolvere mortalia, etiam post multum tempus ab elapso Jubilæo, ut nuper *dixi n.* 3.

Quan-

Quando facienda Confessio.

17. SAtisfit Jubileo, sive confessio præcedat, sive consequatur alia opera; quia ordo positus in tenore Jubilæi est consilium, non præceptum: certè operæ pretium erit, confessionem præcedere in eo, qui habet mortalia, ut scilicet consequentia opera cum fructu fiant in statu gratiæ.

18. Dubitabatur olim, an confessio potuerit fieri die Dominico post sabbatum hebdomadæ à nobis electæ pro consequendo Jubilæo. Negabant olim antiqui nonnulli. verùm hodie ablata est hæc dubitatio; quia Bulla dicit (*ut Confessi communicent die Dominico immediatè sequenti, vel alia die intra hebdomadam*) ita de Lugo *loc. cit. num.* 107. & communiter.

19. Hinc ergo sequitur, quòd, quia dies Dominicus prædictus est inclusus in tempore Jubilæi, poteris in toto die Dominico legitimè facere alia opera injuncta, etiam usque ad mediam noctem, quæ ad dictam Dominicam consequitur. Hanc sequelam negat de Lugo; sed quia multi eam amplectuntur congrua ratione ducti cum Pasqualigo q. 58. probabilis ea sit.

Absolutio reservatorum quoties? & quid peccans ex confidentia?

20. IN tempore ante acquisitum Jubilæum, seu Indulgentiam, quæ acquiritur in ultimo opere, quod tu facis, potest quis absolvi à reservatis toties quoties, (idem dicemus mox de votorum commutatione antea emissorum) immò etiam si quis ea reservata commiserit in confidentiam Jubilæi; quia hæc restrictio non ponitur hic à Pontifice; quæ tamen posita est in Bulla compositionis contra furantes in confidentiam illius Bullæ.

21. Instas. In Jubilæi tenore solet poni, & ponitur in nostro, hæc clausula (*absolve pro hac vice tantùm*) ergo non toties quoties.

Respondeo, hanc limitationem dictæ doctrinæ non obstare, quia sensus est (*pro hoc Jubilæo, seu ex vi hujus Jubilæi tantùm*) hoc est pro tempore, quo durat hoc Jubilæum dumtaxat.

Peccans ante ultimum opus ex injunctis.

22. TItius legitimè confessus, legitimèque omnia opera executus est, præter ultimum, v. g. visitationem Ecclesiæ: at accidit, ut antequam Ecclesiam visitaret, peccatum mortale commiserit; visitavit tamen, & nunc quærit, an Jubilæum acquisiverit, privilegiisque Jubilæi gaudere possit?

Respondeo, esse distinguendum: si enim Titius, antequam Ecclesiam visitavit, elicuit actum contritionis, vel novam confessionem vitæ fecerit, Jubilæum & Indulgentiam acquisivit, & ejus privilegiis frui poterit; at verò si nec contritus, vel nec de novo confessus visitavit; Jubilæum, & Indulgentiam non acquisivit, quia in ultimo opere non erat in statu gratiæ; quare nec ullis Jubilæi privilegiis uti poterit.

CAPUT IV.

De Communione.

Quando?

1. SOlet Communio fieri die Dominico sequenti ad hebdomadam electam; verùm, ut innui cap. præcedente, potest illa fieri etiam in tota illa hebdomada à te electa, qui dies Dominicus assignatur de consilio, non de præcepto.

Qui communicare debent?

2. COmmunio est omnibus necessaria ad lucrandum Jubilæum, etiam pueris, qui per ætatem possunt: alij autem, ut patientibus tussim, vel vomitum, vel similibus, quibus communicare integrum non est, commutetur illa à Confessariis.

Communio Sacrilega?

3. CVm status gratiæ requiratur in ultimo opere, ut supra sæpe diximus; Communio ultimò facta à gravato mortalibus, cùm sit sacrilega, nec ponens hominem in gratia, non sufficit ad Jubilæum acquirendum.

Impediti cum culpa, vel sine culpa.

4. QVæres, qui aquam v. g. bibit in ultima Dominica, quando suscipere debebat sacram Evchariſtiam, quid faciet, ut Jubilæum lucretur.

5. Respondeo. Si per incuriam in culpabilem bibit, non est dubium, quòd possit à Confessario obtinere commutationem communionis in alium diem: si verò per incuriam culpabilem, quamvis aliqui negant, Fillucius tamen, quem sequor, ait: etiam posse, eum à Confessario impetrare commutationem in aliud opus; vel melius, posse recipere dilationem in alium diem. Ratio est, quia tenor Jubilæi concedit, posse commutari à Confessario omnia opera ei, qui est impeditus: at hic in præsenti jam impedimento subjectus est, & antequam spiret tempus Jubilæi, commutationem postulat, ergo, &c.

6. Propter paritatem rationis idem dic de eo, qui noluit jejunare in tota hebdomada, vel noluit alia opera imposita peragere; & antequam spiret tempus, ad Confessarium accedit, significans cum pœnitentia prædictæ nolitionis desiderium acquirendi Jubilæum. Et dic etiam idem de illo, qui fortè in ultimo die notitiam habuit promulgati Jubilæi, & suum desiderium acquirendi manifestat Confessario; dic, inquam, posse in utroque casu, Confessarium commutationem hic concedere, sunt enim secundùm præsentem statum impediti.

CAPUT V.

De Visitatione Ecclesiæ.

Quæ?

1. VIsitanda est Ecclesia, tanquam unum opus ex injunctis, solet autem esse una ex necessitate, quam quis elegerit ex assignatis ab Ordinario loci; plures enim assignantur pro commodi-

moditate fidelium. Excipe semper, nisi plures Pontifex requirat, quas plures non requirit in præsenti Jubilæo.

2. Monialibus deputare debet Ordinarius Ecclesiam proprij Monasterij, vel si non deputet, commutet illis Confessarius, & quidem satis congruenter in visitationem Ecclesiæ proprij Monasterij.

Regularibus, secundùm veram nostram sententiam, non proprius Superior, sed Ordinarius loci assignare debet Ecclesiam visitandam; & de facto intelligitur etiam pro illis assignata, dum assignat pro cæteris de civitate. Iis autem Regularibus ita claustratis, ut exire à Monasterio nequeant, fiat, sicuti dictum est de Monialibus.

4. Non est necesse, visitationem fieri eo die, quo fit processio, satis enim erit, fieri in aliquo die hebdomadæ à te electæ.

5. Si fortè invenias Ecclesiam clausam, ora ad januam, & erit satis.

Devotè visitaverint.

6. OPus non est, ut sis in statu gratiæ, dum visitas, fructuosiùs tamen tibi esse, si sis in gratia, quis ignorat?

Acquires autem Jubilæum, modò in ultimo opere (ut sæpe diximus) gratiæ statum recuperaveris, & quando visitas, devotè ores: Bulla enim Jubilæi clarè sic pronunciat (*& in Ecclesia devotè oraverint.*) Sed rogas, quid sibi vult illud (*devotè?*)

Respondeo: ut Oratio fiat in Dei, vel Sanctorum honorem; nam in Sanctis honoratur Deus. An autem devotio solùm externa sufficiat, quamvis cum evagatione voluntaria mentis? Aliqui negant, sufficere; tamen per alios probabile est, quod sufficiat, quia verbalis sic oratio facta in Dei honorem est actus Religionis. Sed profectò, si tutiora sectari velimus, meritò monet cum aliis Moronus *num.* 581. ut mentis evagationem fugiamus.

Quæ Oratio?

7. ORatio potest esse vel vocalis, vel mentalis, commendando Deo actualiter, vel virtualiter ea, quæ Pontifex commendanda significat; quæ si in mentem non veniant, sufficit orare ad Pontificis intentionem.

8. Certæ preces non solent à Pontifice decerni; si tamen Pontifex eas assignaret, hæ essent recitandæ. Episcopus autem aliquid addere supra eas, quas decernit Pontifex, non valet; quare si addet, addet ex consilio.

Spatium orandi.

9. TEmpus orandi est arbitrarium, sed non tam breve, ut possit de illo dici (spatium pro nihilo reputatur) & quamvis non nemo teneat, sufficere orationem minimam; tamen ad tutius agendum, sit aliquantulum notabilis. Quinque Pater, & Ave in rigore sufficere, non est mihi ambigendum.

Oratio cum socio.

10. POtest eadem ratio fieri cum socio alternatim respondendo, te recitante v. g. unum versiculum ex Miserere, socio alterum recitante ad modum Chori.

11. Po-

11. Potest etiam pro Jubilæo applicari oratio aliàs à te debita sive ex voto, sive ex obligatione Officij Divini. Ita multi apud Dianam, licet contrarium probare contendat Pasqualigus *quæst. 43.* Non esse tantam amplitudinem in commutatione votorum, dicam *cap. 8. à num. 7.*

Oratio infecta peccato.

12. SI quis dum orat in Ecclesia, peccet mortaliter concupiscendo v. g. fœminas, ejusmodi oratio éstne in rigore sufficiens pro Jubilæo?

Rursus, quid si quis peccet venialiter, orando, ut si oret ad finem vanam gloriam aucupandi?

13. Respondeo ad primum, nequaquam sufficere (quidquid dicant aliqui apud Bossium *de Jubilæo sect. 4. casu 12.*) Ratio est, quia ejusmodi oratio ita inficitur à peccato mortali, ut saltem morali modo non possit dici devota, & Deo grata, qualis certè requiritur à Pontifice ibi (*devotè visitaverint*) multò minùs sufficere, si illa oratio fieret ad finem conciliandi turpiter sibi fœminas, quia hujusmodi oratio, inducta tanquam medium ad talem finem peccaminosum, potiùs esset actus contra castitatem, quàm actus Religionis. Perinde ac ille, qui furatur propter adulterium, qui est per Aristotelem potiùs adulter, quàm fur.

14. Ad secundum puto distinguendum: si enim sic ores, ut per orationem tanquam per medium velis peccatum veniale, velis v. g. aucupari vanam gloriam, quo pacto vana gloria esset causa antecedens tuæ orationis, non sufficienter orares pro Jubilæo; quia sic esses potiùs vanus Pharisæus, quàm devotè orans Publicanus. Scio Moronum *loco cit. n. 570.* putare, sufficere dictam orationem tendentem ad peccatum veniale, sed propter nostram rationem dictam *num. præcedente*, quæ etiam hìc facit, non est audiendus.

15. At verò, si supposito actu orationis facto ad honorem Dei, addatur consequenter, vel comitanter alius actus, id est effectus v. g. vanæ gloriæ, esset in rigore oratio sufficiens pro Jubilæo, quia utile per inutile non vitiatur. Ita sustinet Pasqualigus q. 98. de eo, qui dum orat in Ecclesia, actum venialem impatientiæ faciat, vel rideat, vel jocetur venialiter, vel similia.

CAPUT VI.

De Jejunio.

Quando jejunandum?

1. TEr profectò in hebdomada electa ad Jubilæum, nempe feria quarta, sexta, & Sabbato est jejunandum, nec sine causa possunt ij dies mutari à Confessario.

2. Si quis in prima hebdomada, quam elegit, implere non potest jejunia, non obligatur exspectare secundam hebdomadam, in qua posset: cùm enim habeat jus lucrandi Jubilæum in illa prima; habebit jus, ut jejunia illi commutentur à Confessario.

Quòd

Quis ?

3. OMnes quidem, ut per se patet. Qui autem trium dierum jejunia nequeunt sine notabili difficultate perferre, ut sunt infirmi, pauperes, qui non habent pro plena refectione, artifices artis laboriosæ, & similes, postulent, & impetrent à Confessario commutationem.

Pueris, quamvis impuberibus, & adolescentibus usque ad annum vigesimum primum non expletum, ne Confessor commutet jejunia, nisi ex aliquo capite præter ætatem detrimentum ex illis jejuniis; & quidem notabile patiantur.

Idem dicendum est de sexagenariis. Ratio est, quia omnibus non impeditis hæc jejunia injungit Pontifex illis, qui Jubilæo frui velint.

Qualia ?

4. FIent modo Ecclesiastico, hoc est, transigendo diem cum unica refectione sine carnibus, habito consueto vespertino ientaculo. Quoniam verò est probabilis sententia, quod anticipatio horæ non frangit jejunium Ecclesiasticum: immò cum causa neque est culpa venialis; & eodem modo refectio ientaculi facta sub meridie, reservata vespere perfecta cœna, neque venialis est ex causa, ut latè dicitur in *tract. de jejunio*, ideò neque sic nocetur obligationi Jubilæi.

5. Insuper qui violat jejunium per culpam venialem anticipando v. g. refectionem sine causa, vel minimum quid comedendo in die, non officit jejunio Jubilæi, quamvis cæterum peccaverit venialiter. Ratio est, quia sic substantia jejunij adhuc persistit.

Non displicet sententia Gobat *de Jubilæo num.* 208. dicentis (sed certè an probabiliter, me sapientioribus decernendum relinquo) si jejunium Jubilæi incidat in vigiliam Natalis Domini, sufficere pro Jubilæo illud facere cum ientaculo vespertino dupliciter majore, quia illud pro illa die est, inquit, Ecclesiasticum jejunium. Ne tamen id extendas ad vigilias Paschatis, & Pentecostes, quia in his, quamvis vigiliis lætitiæ, saltem ex consuetudine non admittitur duplicatum ientaculum.

Cum Lacticinijs.

6. SEd quid de lacticiniis ? Præcipitne Jubilæum eorum abstinentiam ?

Respondeo. Quamvis non pauci distinguant, & aliud asserant pro locis, ubi est consuetudo illa in jejunio adhibendi, & aliud ubi hujusmodi consuetudo non adest. Et item quamvis plures distinguant, quando tempus Jubilæi incidit in quatuor tempora, vel vigilias, & quando in Quadragesimam; & præterea, quamvis aliqui aliud dicant de habentibus Bullam Cruciatæ, aliud de eam non habentibus, tamen probabilissima sententia est, quam multis firmat Sanchez, semper in jejuniis Jubilæi adhiberi lacticinia posse. Ratio autem principalior est, quia Jubilæum imponit jejunium secundùm morem Ecclesiasticum; at Ecclesiasticum jejunium satis servatur cum lacticiniis, nisi aliud jubeatur, ut jubetur in Quadragesima, &c.

Immò notat idem Sanchez, quod, si quis sine causa jejunaret cum lacticinijs pro Jubilæo, incidente in Quadragesimam, peccaret quidem, sed illud jejunium sic peractum satis, superque esse pro Jubilæo.

7. Rogas per hanc occasionem: Græci, quorum jejunium in Quadragesima est sine piscibus sanguinem habentibus, possúntne legitimè pro Jubilæo jejunare cum lacticinijs?

Respondeo, posse: quia Pontifex, dum omnibus fidelibus concedit Jubilæum cum jejunio Ecclesiastico, & quidem latino, satis idem concedit fidelibus Græcis. Confirmatur, quia *in tractat. de Bulla Cruciatæ capit. 3. §. 3. numer. 4.* diximus, eadem lacticinia ijsdem concedi per dictam Bullam.

Quæres. Græci, qui ritu Græco viventes, carnes comedunt die sabbati; debentne illo die latino modo jejunare?

Respondeo, debent; etenim nimis diserte Pontifex jejunium Ecclesiasticum (quod certè est latinum) injungit omnibus fidelibus, si Jubilæum lucrari velint. Profectò nec etiam latini obligantur die sabbati rigorosè jejunare, & tamen pro Jubilæo, non obstante ipsorum more jejunare rigorosè debent: ita igitur Græci debebunt illo die rigorosum jejunium (non obstantibus suis moribus) assumere.

Jejunia aliàs debita.

8. JEjunia ex obligatione, quæ fortè incidunt in tempus Jubilæi, sufficiunt pro impositis ad Jubilæum consequendum. Siquidem per unum, idemque opus utrique obligationi in re hac nostra satisfit. Ita Moronus *loco cit num. 564.* ex Henriquez, & Santarello. Quare si quis voviſſet jejunare omnibus sextis feriis v. g. illud jejunium poterit inservire etiam pro Jubilæo. Idem diximus *sup. c. 5. n. 11.* de oratione aliàs debita. Legite, quæ dicam *c. 8. n. 7.*

Propter eandem, vel similem rationē, si in unam ex dictis hebdomadis inciderint quatuor tempora, in aliam non item; poteris legitimè eligere pro Jubilæo illam, in qua residēt jejunia ex obligatione Ecclesiæ; jam enim satisfacis Jubilæo.

Jejunia fiant ex intentione Jubilæi.

9. DIximus paulò ante, requiri intentionem lucrandi Jubilæum, ut illud acquiratur: Jam quæro, an opera, & consequenter jejunia injuncta debeant etiam fieri ex intentione illud lucrandi?

Figuremus casum in hac materia jejunij, in qua faciliùs posset difficultas evenire. Titius jejunavit die mercurij primæ hebdomadæ, nihil sciens de jejunio impositio per Jubilæum, eratque dies vigiliæ ex obligatione Ecclesiæ: unde tunc ipse nullam habuit intentionem lucrandi Jubilæum. An illud tunc ipsi valeat pro injuncto, si cæteris exequatur, & velit nunc in hac prima hebdomada Jubilæum acquirere?

10. Respondeo. Negat Suarez, Layman, Castropalaus apud Burgabet *centur. 2. num. 91.* Sed probabiliter Salas,

Salas, de Lugo, Dicastillus cum eodem Bargaber affirmant, valere, quia quilibet operans aliquid boni, habet universalem interpretativam intentionem lucrandi pro anima sua quidquid per suum bonum opus lucrari potest: quare si is cętera opera intra Jubilęi hebdomadam à se electam exequatur, eaque applicet saltem virtualiter, ut supra diximus, ad intentionem Pontificis, illudque jejunium antea factum applicet ad dictam Pontificis intentionem, sanè illud lucrabitur.

11. Atque hìc obiter nota, hanc applicationem saltem virtualiter ad Pontificis intentionem esse omninò necessariam, siquidem est unum ex operibus injunctis, ut notat Pasqualigus *q.* 34.

Jejunia in quid commutanda?

12. QUoniam pro impeditis potest Confessarius commutare opera injuncta, aliorum autem operum facilè sit prędictam commutationem expedire. Quoad jejunium verò, sit aliquantò difficiliùs; Ideò hujus rei praxim meritò à me quęris. Et tamen vix plenè respondere possum: etenim cùm id decernere dependeat à qualitate personæ, an debilis sit, an infirma, an robusta, an otiosæ vitæ, an obnoxia arti laboriosæ, & similibus circumstantijs; ideò prudentis judicio Confessarij id committitur, ut ego universaliter, & latè expendi *lib. 3. Decal. c.* 16. §. 6.

13. Quæres denique. An pro acquirendo Jubilæo possim jejunare in prima hebdomada semel, in secunda autem bis, vel contra.

Huic quæstioni sic meritò respondet Gobat *loco citat. num.* 212. *Post lectas* (ait) *tam multas Bullas fore mihi certum, te non adipisci Jubilæum: quia modus loquendi in prædictis Bullis mihi significat, in eadem hebdomada fieri jejunia debere.* Hactenus Gobat Sed de hac separatione iterùm redibit sermo infra *c.* 9. *n.* 8. ubi cum de Lugo negabimus universaliter, posse opera injuncta partium fieri in una hebdomada, partim in alia.

CAPUT VII.

De Eleemosyna.

Quæ? & cui?

1. ERoganda est eleemosyna, & quidem intra tempus Jubilæi, ut etiam alia opera: sufficit autem modica, est enim arbitraria; sed quia olim in Jubilæi tenore addebatur (*quod daretur juxta proprias facultates*) ideò tunc erat rationabilis dubitatio, an pro omnibus modica sufficiens fuisset; verùm hodie cessat hæc dubitatio: dicitur enim in nostro Jubilæo (*dans aliquam eleemosynam; prout unicuique suppetit devotio.*)

2. Si sis adeò inops, ut nihil erogare queas, postula à Confessario commutationem. Verùm id in praxi vix locum habet: siquidem etiam pauperrimus, potest aliquid minimum erogare.

3. Eleemosynam hanc si consanguineo pauperi dederis, satis Jubilæo feciſti. Idem si extremè indigenti,

non enim inde deficit eleemosynæ substantia. Idem etiam si quid temporale mutuum, vel commodatum des, proprium v. g. equum ad usum pauperis, &c. quia hæc etiam eleemosyna est, vide *mox n. 9.*

Eleemosyna per alium.

4. NOn opus est, eam fieri per seipsum, satis est per alium, modò fiat ex bonis propriis. Et tamen satis etiam erit, si faciam, ut amicus stipem eroget nomine meo, nam tunc virtualiter dat amicus illam mihi, & ego illam numeratam jam inter mea bona, erogo pauperi.

Præterea mihi, & Cardinali de Lugo certum est, satis esse, si dem eleemosynam ei, quem bona fide puto esse pauperem; nam secus obligarentur fideles proximi facultates examinare.

5. Sed quid, si ego consignem eleemosynam meo v. g. famulo, ut det illam pauperi; ipse verò sibi illam retineat?

Respondeo. Santarellus, quem sequitur de Lugo, ait, sic non acquiri Jubilæum. Sanchez, aliique ajunt, acquiri, & quidem meritò; nam ex parte mea jam eleemosynam dedi.

Idem dicerem (quidquid in contrarium putet de Lugo) de eleemosyna, quam ego mittam ad pauperem distantem, ita ut propter distantiam non fuerit illi in manus tradita intra hebdomadam mei Jubilæi, Idem, inquam, dicerem: nam ex parte mea jam eleemosynam distribui intra tempus mihi legitimum.

Eleemosyna Religiosorum.

6. SUperior Religiosorum legitimè potest eleemosynam distribuere pro omnibus suis subditis. Neque dicas, tunc eleemosynam, qui nullius dominij capax est, non fieri pro subdito ex propriis bonis, ut requirit Pontifex, sed ex bonis Religionis: neid, inquam, dicas, nam subditus habet illorum bonorum usum, quem ejus nomine dat ex parte Superior ipsi pauperi.

7. Si Superior nullam vellet porrigere eleemosynam, possent subditi ex bonis Monasterij aliquid moderatum clam surripere, illúdque dare pauperi sine consensu Superioris; quia tunc esset is nimis irrationabiliter invitus. Ita Pellizarius agens de Monialibus in casu, quo Abbatissa eleemosynam dare pro omnibus recusat. Sed addit, satiùs tunc fore, si ex proprio peculio, quo fortè gaudet Monialis, det eleemosynam: vel commutationem petat à Confessario, quando nullo peculio gaudet.

8. Monet hic meritò de Lugo, nequaquam sufficere, quòd eleemosynam det Superior, subditis ignorantibus, & nisi saltem intra hebdomadam id subditi scientes, illam ratam habeant (& idem dicere deberet, si amicus meus det eleemosynam pro me.) Ratio est, quia eleemosyna (de Lugo) est actio moralis, ad quam requiritur aliqua cognitio, & voluntas, ut ex natura actionis humanæ constat. Gobat n. 217. negat (& quidem etiam probabilirer) esse necessariam ejusmodi scientiam, & ra-

ratihabitionem, & idem consequenter dicet Burgaber supra allatus *cap. præcedente num.* 10. quia quilibet vult habitualiter, & cupit, sibi prodesse ea, quæ ejus nomine fiunt ab aliis.

Eleemosyna Sptritualis.

9. SUfficitne pro Jubilæo eleemosyna spiritualis?

Respondeo. Sufficere, ait Gabriel à S. Vincentio *in summa morali verbo Jubilæum*, si promittantur v. g. Missæ in eleemosynam: quia hæc est quædam eleemosyna satis pia, nec est necesse, (ait) ut Missæ promissæ celebrentur intra tempus Jubilæi: sufficit, quòd promissio fiat dicto tempore.

Verùm id meritò negat Moronus n. 610. universaliter docens, non sufficere spiritualem eleemosynam. Et certè cùm tenor Jubilæi, in quo Pontifex loquitur juxta communem, & vulgatum usum, requirat eleemosynam, quæ consueto modo intelligitur de temporali, temporalem debere omnino erogari, sentiendum est.

10. Illud faciliùs concederem: si daret quis alicui Sacerdoti pauperi stipendium ad celebrandum Missam pro anima purgatorij; nam sic eleemosyna profectò esset facta ipsi pauperi Sacerdoti.

11. Quid de faciente opus aliquod ex septem operibus misericordiæ corporalis in gratiam pauperis? Docet, id sufficere Gobat num. 218. quia misericordiæ temporales ex S. Thoma veniunt nomine eleemosynæ. Addit idem, sufficere item, si dem icunculam, imaginem, vel numisma sacrum pauperi. Verùm ego omninò distinguendum puto: si enim illud opus misericordiæ, & illa icuncula inserviet ad sublevandam aliquo tandem modo paupertatem donatarij, concedo libens; quia sic est verè, & propriè eleemosyna vulgaris. At si non inserviet ad talem sublevationem; concedere nequaquam possum: Eleemosyna enim propriè, & in vulgari sensu definitur: esse sublevatio paupertatis proximi. Confirmatur, quia Pontifex imponendo eleemosynam, imponit illam, quæ usu communi, & vulgari intelligitur nomine eleemosynæ, cùm in his Bullis populo datis sic loquatur Pontifex, ut supra sæpè diximus, non verò intelligitur illa, quam Theologicè talem vocat S. Thomas. Certè hìc maximè locum habet illud *ex l. labeo. H. de supellectili legata* (nec enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudire oportet.)

12. Hinc facilè concedam, sufficere pro eleemosyna injuncta à Jubileo, si tu Medicus v. gr. gratis visitas infirmum, ad eum curandum: quia id pretio est æstimabile, & virtualiter sine dubio est eleemosyna: At non, si tu eundem infirmum, vel in carcere positum de more visites.

13. Pro proximè dictis contra eleemosynam spiritualem stat Leander *de pœnit. tract. 5. disp. 14. q. 52.* cùm enim attulisset quinque Authores asserentes, ad lucrandas Indulgentias, quæ eleemosynam postulant, non requiri eleemosynam corporalem, sed sufficere spiritualem, meritò docet, hujus sen-

sententiæ oppositum esse certissimum, hoc est, omninò requiri corporalem. Et ratio est, ait, quia hæc tantùm est propriè eleemosyna, ita Bossius, aliíq;. Sic etiam sustinet Quintanaduennas *de Jubilæo duplicis hebdomadæ cap. 4. n. 6.* addítque ex Laurentio à S. Francisco, Leonem X. Summum Pontificem concessisse Minoribus, eos posse supplere injunctam eleemosynam, recitando quinque Pater, & Ave: ac posse hoc privilegio gaudere omnes Religiosos, qui per Bullas Pontificias communicant in privilegiis cum dictis Minoribus, &c.

CAPUT VIII.

De Comutatione Votorum.

Quid sit hæc Commutatio?

1. ALterius juris est dispensatio voti, alterius voti commutatio. Dispensatio est, quando, qui potestatem habet dispensandi votum, DEI nomine, absolutè relaxat, seu remittit. Commutatio autem est, quando, qui potestatem habet commutandi, aliquod aliud opus subrogat loco operis debiti ex voto. In hoc autem Jubilæo non datur Confessario potestas dispensandi, sed solùm commutandi.

2. Potest autem Confessarius commutare votum rejiciens determinationem rei subrogandæ ad virum doctum, qui prudenter subrogare sciat, vel ad se ipsum Confessarium, postquam rem benè ponderaverit, etiamsi deinde ipsa actualis subrogatio fiat elapso Jubilæo, modò commutatio hæc initiata, veluti imperfectè, facta fuerit, existente Jubilæo.

3. Pœnitenti autem integrum est redire, si velit, ad suum votum, & opus subrogatum omittere.

Æquale, vel quasi æquale.

4. QUoniam autem subrogatio debet sapere de re subrogata, ideò debet votum in casu nostro commutari in aliquod æquale, vel quasi æquale; secus esset dispensatio, non commutatio. Potest autem commutari in aliquod paulò minùs, ut privilegium Jubilæi, vel Bullæ aliquid operetur.

5. Et quidem pro expedienda commutatione in æquale tempore Jubilæi sufficit, quòd fiant opera in illo imposita. At verò in quasi æquale, hoc est, in opera aliquantò minora, aliqui requirunt causam; sed alij etiam tum sufficere opera per Jubilæum injuncta, probabiliter docent.

6. Quo modo autem pensanda sit ejusmodi æqualitas: dixi ego satis in Decalogo *lib. 3. cap. 16. præsertim §. 6.* Legite item Sanchez, *lib. 4. summæ c. ult.* & quæ dixi *de commutatione jejunij c. præcedenten. 12.*

7. Illud autem nolo præterire, quod monet Pasqualigus *de Jubilæo q. 352. In commutatione votorum* (ait) *potest subrogari quæcumque materia, quæ conferat ad obsequium DEI, & utilitatem voventis, ea excepta, quæ aliàs est debita ex præcepto. Ita Sanchez, Moronus, alijque. Ratio hujus exceptionis est, quia votum, cùm sit voluntas;*

luntarium, nisi expressè contrarium quis intenderit; semper intelligitur fieri de materia voluntaria, non verò de jam præcepta: ergo etiam quod illi subrogatur, de opere voluntario esse debet.

8. Ex qua doctrina nota differentiam inter commutationem hanc votorum, & commutationem operum impositorum ex Jubilæo: Illa enim Jubilæi potest expediri in opera alia, quamvis debita ex obligatione, ut diximus *cap. 5. num. 11.* At verò commutatio votorum extra Jubilæum, ut etiam intra, non item. Et ratio differentiæ est, quia in commutatione votorum urget prædicta ratio ducta à voluntario opere, quæ non urget in Jubilæo.

Hinc vides, quod loco tui voti potest Confessarius subrogare, ut audias v. g. Missam diei feriati, non verò Missam, quam tu de præcepto audire die festivo obligaris, & tamen loco operis impositi ex Jubilæo id liberè potes.

9. Ex dictis collige primò in commutatione votorum posse subrogari ea, quæ vovens solet implere ex devotione, immò multoties sic expediet, ut scilicet vovens hilariùs impleat opus subrogatum, circa quod faciliùs se habet dictus vovens propter consuetudinem, quam habet illud agendi.

10. Collige secundò ex illo, quod modò dictum est *num. 7.* (*quæcunque materia*) posse substitui multa opera cum facultate facta à Confessario, per quam vovens eligat opera illa, quæ velit ex his: v. g. vel talem, tantamque eleemosynam, vel orationem, vel corporalem verberationem; &c. quæ si singulæ æquivaleant tuo voto (ut supponi debet) poteris eligere illud, quod tibi faciliùs cadet.

11. Collige tertiò ex illis verbis dictis *num. 7.* allatis (*ad obsequium DEI, & utilitatem voventis*) rectè à Sanchez, alijsque doceri, confessionem, & communionem esse maximè aptas ad commutanda vota; quia hæc Sacramenta maximè faciunt ad DEI honorem, animæque utilitatem.

Quæ vota commutari queunt?

12. QUænam vota commutari per Jubilæum possunt?

Respondeo: Omnia, præter duo, id est, absolutæ castitatis, & absolutæ Religionis ineundæ; vel etiam multò minùs initæ: quare poterunt hæc eadem castitatis, & Religionis, quando sunt pœnalia, sive ante, sive post pœnam incursam, & quando sunt verè conditionalia, sive ante, sive post conditionis eventum. Nota diligenter illud (*verè*) quod explicui *lib. 3. Decal. cap. 12. §. 2. num. 1. & 2.* Quod nunc, ne alio divertam, satis mihi erit, si memoriter vobis explicavero. Potest item commutari votum Religionis non approbatæ, & votum limitatæ castitatis, votum v. g. de non fornicando, de non nubendo, & similia, quæ non veniunt sub nomine absolutæ castitatis.

Dixi (*multò minus Religionis initæ*;) quòd enim nec Jubilæum, nec Bullæ Cruciatæ, nec privilegia Religiosorum extendi possunt ad commutanda vota solemnia Professionis Religiosæ, nec

ad

ad vota biennij Societatis. Immò nec ad vota adnexa Professioni solemni Religiosorum, quale est votum v. g. in aliquibus Religionibus de non procurandis dignitatibus, & in Religione Minimorum votum Quadragesimalis jejunij, & in Carthusianis votum abstinendi à carnibus, & similium, nimis est manifestum: de qua re videri potest Castrop. *t. 3. de obligatione status Religiosi disp. 5. pun. ult.*

Vota prædicta omnia (præter dicta absolutæ castitatis, & Religionis ineundæ, vel initæ, modò explicatæ) etiamsi sint jurata in DEI honorem emissa, possunt per Jubilæum commutari; quia sic voti naturam etiam retinent: at non juramenta, quæ *facta* sunt in *favorem* alterius; nulli enim præjudicium parere intendit Pontifex.

Vota etiam jurata *facta* Ecclesiæ, aliqui dicunt, non posse commutari, quia esset Ecclesiæ præjudicium. Alij (sanè probabiliter) dicunt posse, quia hæc non continent promissionem *factam* Ecclesiæ, sed DEO Legite Pasqualigum *quæst. 281.*

13. Quæres. Quando vota prædicta castitatis, & Religionis absolutæ sunt emissa ab impubere, hoc est, à filio non habente annos 14. completos, vel à constitutis sub potestate alterius, quæ possunt irritari à Patre, vel ab habentibus potestatem supra voventes, de quo argumento latè diximus *lib. 3. Decalogi* (qui omninò, ne erretis, videndus est) possúntne commutari per Jubilæum, vel per privilegia ab illis, qui potestatem habent commutandi, vel dispensandi vota?

14. Respondeo cum communi sententia, quæ negat. Ita Suarez, Sanchez, Castropal. aliíque apud Pasqualigum *q.* 303. quia non valet argumentum: potest hoc votum irritari, ergo potest commutari, vel dispensari: siquidem posse irritari, fundatur in potestate dominativa: sed posse commutari, vel dispensari fundatur in potestate jurisdictionis spiritualis: nam à diversis non valet illatio *l. Papinianus, ff. de Minoribus.*

Probabile esse, dicit Pasqualigus *loc. cit.* cum Guttierez, quòd possit: sed approbare hoc nullo modo possum, quia urget ratio allata modò à Suarez, aliísque. Adde, illa vota semper esse absolutæ castitatis, & absolutæ Religionis (de his enim agimus) quòd solùm extrinsecè ipsis accidit, quòd Pater, & Superiores ex vi suæ potestatis dominativæ illa valeant irritare: quare semper ex se remanent indispensabilia, & incommutabilia.

Obligatio Confessarij in commutandis votis.

15. SI Confessarius requisitus, ut commutet votum per Jubilæum, vel per Bullam Cruciatæ, ipse judicat causam esse justam; peccabit mortaliter, si neget commutationem, quia gravis injuria ex genere suo sic infertur pœnitenti (excipe semper parvitatem materiæ) si autem non requisitus commutet, peccabit venialiter ex Sanchez, ut item, qui commutat sine causa; verùm, ut diximus n. 4. ipsa pœni-

pœnitentis petitio est causa sufficiens : non ita in dispensatione ; nam qui habet potestatem dispensandi ; mortaliter peccabit, si illam concedat sine causa. Et ratio est, quia in commutatione remanet eadem obligatio circa æquale opus, quod subrogatur. At in dispensatione tollitur obligatio, quam, qui sine causa tollit, utitur malè sua jurisdictione in re gravi ex genere suo, & irrita est dispensatio. Videatur de his Sanchez *in summa lib. 4. c. 45.*

Commutatio voti extra Confessionem.

16. ROgas : commutatio hæc voti potestne expediri ab electo Confessario extra confessionem ?

Respondeo, aliquos negare : sed quia aliqui cum Henriquez, Sanchez, alijsque probabiliter affirmant, tutum erit, etiam extra : sed diligenter adverte, tunc necessariò debere in ipso actu confessionis commutatari, quando in tenore Jubilæi, vel rescripti adesset hæc, vel similis clausula (*ut fiat in Sacramento confessionis.*) Idem in simili diximus in superioribus *capit. 2. num. 17.* Cum ergo in nostro Jubilæo hæc clausula non adsit, licet adsint illa (*in foro pœnitentiæ, vel auditis Confessionibus*) tutum erit, extra confessionem vota ex vi nostri Jubilæi commutare.

Unde sequitur ex vi hujus Jubilæi præsentis, vel similis, vota commutari posse ab electo Confessario, vel per nuncium, vel per litteras : ut etiam opera hic injuncta, quando opus erit, illa commutare, modò conscius fiat Confessarius de impedimento, deque causa.

Dictum est (posse commutari omnia vota per nuncium, vel per litteras,) sed intellige, exceptam esse confessionem, seu absolutionem, quia hæc requirit præsentiam : ut item exceptam esse communionem, quia hæc est actio personalis.

17. Si pœnitens dicat, se non recordari votorum suorum, poterit Confessarius, cognita, quantum potest, qualitate votorum, vel dare competens tempus ad rememorandum, vel si videretur id frustra tentari, poterit commutare. Legite Pasqualigum *quæst. 286.*

Votum commutatum sine receptione Jubilæi.

18. SI quis obtinet à Confessario voti commutationem intra tempus Jubilæi, antequam illud acquirat ; si deinde acquirit, valet commutatio. Sed quid si habita commutatione cum spe obtinendi Jubilæum, postea voluntatem mutet, & illud non acquirat ?

Respondeo, consistere, seu valere commutationem ; quia ea facta est absolutè, & independenter à futuro, quamvis necessariò cum spe illius : immò, ut supra in simili *cap. 3. num. 6.* diximus, malè se gereret Confessarius, si dependenter ab eventu, hoc est à futuritione Indulgentiæ commutaret. An verò is voluntatem mutando, peccet, dixi *c. 3. n. 11.*

19. Quod si intentionem acquirendi Jubilæum is non habeat, tunc pro-

profectò ex ibidem dictis *n.* 7. & 8. irrita erit commutatio.

Non postulans commutationem.

20. QUi Jubilæum lucratus est, & sive per oblivionem, sive quia noluit, non postulavit à Confessario commutationem sui voti, poterit etiam post elapsum Jubilæi tempus, omissam commutationem obtinere, perinde ac esset in tempore Jubilæi, & hoc per eundem Confessarium, vel per similem alium, quia Jubilæi causa jam cæpta fuit. Ita Sanchez, & Moronus *loc. cit. n.* 517.

21. Hac in re Suarez tenet, si tempore Jubilæi nulla ne generalis quidem facta est à Confessario votorum oblitorum commutatio, non posse post elapsum Jubilæi tempus vota commutari: at nos sequimur sententiam Sanchez absolutè concedentis: quia, quamvis non fuerit cœpta causa ipsorum votorum oblitorum, cœpta tamen fuit causa Jubilæi, ex vi cujus pœnitens acquisivit jus ad commutationem.

22. At verò de eo, qui Jubilæum non acquisivit, quid dicendum?

Respondeo si non facta tunc fuit commutatio sive ob oblivionem, sive ob aliud, fieri post elapsum Jubilæum non amplius poterit. Et ratio est manifesta; quia in tantum posset, in quantum pœnitens acquisivisset jus per Jubilæum: at hic, si Jubilæum non acquisivit, jus nullum ab ipso participare potuit.

23. Denique hìc non ignoretis, differre commutationem votorum per Bullam Cruciatæ à commutatione per Jubilæum: per Bullam enim debet commutatio fieri, dando aliquam eleemosynam in subsidium temporale belli contra infideles, ut explicuimus in tract. de Bulla Cruciatæ; at per Jubilæum id non requiritur, sed solùm, ut fiat commutatio in aliquod aliud opus pium, modo quo in superioribus declaratum est.

CAPUT IX.

Varia de Jubilæo.

1. NOnnulla in præcedentibus capitibus locum commodum non habuerunt, quæ ad Jubilæum pertinuissent: & aliqua item exciderunt à calamo festinante: hæc ergo raptim collecta breviter hìc dabo.

Pro animabus Purgatorij.

2. NOn potest Indulgentia nostri Jubilæi applicari pro animabus Purgatorij, quia id non exprimitur in tenore Jubilæi, quod certè necessarium fuisset, ut latè Pasqualigus *q.* 20.

Si moriatur Pontifex.

3. SI moriatur Pontifex, non spirat Jubilæum, quia est gratia facta. Excipit tamen Comitolus *in responsionibus moralibus libr.* 5. *quæst.* 108. si quando Pontifex concedit Jubilæum ex aliqua causa, quę post mortem ipsius cessat: quia tunc, cessante causa, cessat effectus. Ejusmodi fuit Jubilęum Innocentij Noni, qui illud concessit, ut fideles orarent, pro recta sua gubernatione: cum enim defunctus esset post duos menses, quęsitum fuit, an adhuc du-

duraret Jubilæum? Et negativè respondit Comitolus, quem curiosus videre poterit.

Illud est difficilius. Qui ignoravit dicti Pontificis mortem, & ipse ex Jubilæi privilegijs absolutus fuit à reservatis; an validè fuerit absolutus? Affirmativam sententiam ego libenter, tanquam probabilissimam, sequor; quia in Confessarijs tunc legitimè approbatis adfuit titulus coloratus, & error communis, quare validè absolverunt, vel vota commutarunt, concedente jurisdictionem Ecclesia, ut alibi sæpè diximus.

Utens opinione prouabili in Jubilæo.

4. QUi utitur opinione probabili in exequendis operibus injunctis in Bulla Jubilæi lucraturne Jubilæi Indulgentiam?

Respondeo, negat Avendano *in thesauro Indicot. p. tr. 5. cap. 28. n. 299.* negat Gobat *loc. cit. num. 333.* negat Faustus, Bonacina, alijque cum Diana *p. 10. tract. 11. resol. 34.*

Verùm affirmat Leander apud Dianam citatum: affirmat Franciscus de S. Joanne *ibid.* affirmat Martinus de S. Joseph *ibid.* affirmat Quartus *ibid.* qui Quartus denique fatetur, hanc sententiam affirmativam esse probabilem, & eam sustinet Excobar de Mendoza meritò dicens, se minimè dubitare de sedis Apostolicæ benignitate hac in re. Certè (addit) vix esset ullus, qui Indulgentiam obtineret, si vera esset sententia negativa, cùm circa opera injuncta adsint hinc inde sexcentæ Doctorum opiniones. Hæc de ipsa Jubilæi Indulgentia.

Sed quid sentiendum de ejusmodi Jubilæi Privilegijs?

Respondeo verbis prædictis Gobat. Is enim licèt neget, ut modò dixi, acquiri Indulgentiam, tamen in hunc modum addit *loc. cit. num. 332. Pronunciandum est* (inquit) *obtineri privilegia Jubilæi posse, sequendo sententiam probabilem, quæ fortè coram DEO est falsa: probabilissimum est v. g. illum fieri Jubilæi participem, qui partem operum præscriptorum perfecit in peccato mortali, aut non omnia in una hebdomada: quæ sententia, etsi fortè à parte rei sit falsa, ac proinde eam amplexus, re vera non acquirat Indulgentiam; quia tamen probabiliter putat acquirere; ideò valent pro ipso absolutiones à reservatis, & à censuris, commutationesque votorum, ut rectè Diana loco citato.*

Hæc ille. Ratio autem esse debet, quam modò innui: quia scilicet, quando adest sententia probabilis de jurisdictione Confessarij, Ecclesia ipsi illam dat. Legite de Lugo *de pœnitentia disp. 19. sect. 2. §. 1.*

Commutatio privationis debiti conjugalis.

5. PAsqualigus *quæst. 113.* qui etiam citat Vivaldum, docet per Jubilæum posse commutari privationem petendi debitum ei, qui ante contractum matrimonium emisit, votum absolutæ castitatis.

Inquires ergo, an prædicta doctrina sit vera? & primò quidem, an per-

Jubilæum possit commutari dicta privatio petendi debitum? & quid per Bullam Cruciatæ?

Inquires secundò, quid de privatione petendi debitum, quam quis contrahit, si quando ipsi conjugi superveniat affinitas ex copula illicita cum consanguineo, vel consanguinea in primo, vel secundo sui conjugis?

Respondeo ad inquisitionem primam: posse id per Jubilæum: Inde dicit Pasqualigus, quia votum castitatis, quatenus impedit petitionem debiti, non est integra castitas, sed pars illius, unde non videtur hæc pars reservata: nihilominus dico primò, dictam opinionem Pasqualigi, & Vivaldi, quòd scilicet dicta privatio petendi debitum, quam habet quis ob votum castitatis, possit per Jubilæum commutari, esse opinionem satis infirmam, atque esse contra Thomam, Sanchez, Trullench, Bossium, à Pasqualigo citatos: & quidem difficilè est, quòd rationabiliter dici possit, non esse reservatam partem voti castitatis absolutæ, si totum votum castitatis est absolutum.

Quare dico secundò, quod saltem in praxi concedendum non est, posse per Jubilæum, vel per Bullam Cruciatæ. Et quidem quod non possit per Bullam, ego docui *c. 13. de Bulla Cruciatæ. §. 3. n. 1.* & iterum doceo.

Quis igitur dispensabit in hac privatione petendi debitum conjugale, qua, propter votum castitatis laborat conjux?

Respondeo, de hoc me plenè dixisse *lib. 3. Decalogi c. 14. §. 4. n. 48.* hoc est, posse Episcopum circa suos subditos, & posse Religiosos privilegiatos; qui locus est omninò videndus.

Ad secundam inquisitionem respondeo: nullo modo posse, sive per Bullam, sive per Jubilæum: quia ejusmodi privatio petendi debitum in his conjugatis non oritur ex voto castitatis, sed est impedimentum, quod supervenit matrimonio, inductum ab Ecclesia, ut latè ego dixi *in tr. 1. de matrimon. cap. 12. §. 3.* Quis autem hoc impedimentum tollat, dixi *ibid. tr. 2. c. 6.* nempe Episcopum, Commissarium Cruciatæ, & Religiosos illos, qui hoc privilegio gaudent. Recolite omninò locum.

Commutatio jejunij quando?

6. COmmutatio jejunij, quando ea pro impeditis expedienda est, potest à Confessio fieri, vel anteferiam quartam, vel post sabbatum, durante hebdomada à pœnitente electa, quod est dicere, posse fieri, vel ante, vel post diem statutum à Jubilæo.

Injuncta opera, an per æquipollentiam?

7. OPera à Jubilæo injuncta, sunt facienda ea, quæ præscribuntur, nec valent per æquipollentiam, nec per majoritatem operis. Et quidem omnia ad amussim facienda sunt, nec potes omittere, vel unum, quamvis sit tuo arbitrio opus parvi momenti: nec, si possunt fieri, & non adest rationabile impedimentum, possunt à Confessario commutari, ut sæpe supra dictum est.

In-

Injunctorum operum separatio.

8. QUando in Jubilæi tenore dicitur (in una vel altera hebdomada) aliqui cum Castropal. *de Jubilæo punct. 12. num. 18.* Diana *part. 3. tr. 4. resol. 15.* Morono *n. 543.* (quod etiam esse probabilissimum supponit Gobat à nobis *modò n. 4.* allatus, quamvis ipse idem alibi certam esse contariam sententiam docet, ut nos retulimus *sup. c. 6. n. ult.*) Aliqui, inquam, probabile affirmant, posse aliqua opera ex injunctis fieri in prima hebdomada, alia in secunda.

Verùm alij negant cum de Lugo *de pœnitentia disp. 27. n. 105.* & cum Pasqualigo *q. 59.* latè id probante: & ipse quidem Castropal. qui modò affirmativam sententiam sequutus est, pronunciat tamen ibidem, negativam esse securiorem, & non aliam consulendam.

Sed ne ægrè feras audire Cardinalem de Lugo *d. n. 105.* sic pro sententia negante, quam nos sequimur, loquentem contra Bonacinam, qui etiam affirmativam sententiam docet. *Falsum est* (ait de Lugo) *posse opera indifferenter fieri partim in prima, partim in secunda hebdomada. Hoc est contra fidelium praxim, contra Doctorum mentem, & contra verba ipsius Bullæ, in qua specialiter conceditur, quòd communio fieri possit (saltem die Dominico sequenti) post jejunia: si autem illa sententia Bonacinæ vera esset, non solùm die Dominico, sed etiam feria tertia sequenti post jejunium fieri posset, quod tamen est contra prædicta verba, quibus ad summum differri permittit communionem ad Dominicam sequentem post jejunia.* Hactenus de Lugo.

Bulla Cruciatæ carens.

9. JUbilæum, ejúsque Indulgentia, & privilegia, ut valeant, non indigent Bulla Cruciatæ. Ita Gallegus in expositione Bullæ Cruciatæ, afferens praxim, & interpretativam voluntatem Commissariorum dictæ Cruciatæ.

Publicatio Jubilæi quando?

10. NOn licet Ordinariis in publicatione Jubilæi inchoare illas duas hebdomadas in quocunque die intermedio hebdomadæ: quia Pontifex assignat duas hebdomadas more civili, & Ecclesiastico; at hæ incipiunt à Dominica, non verò ab alio die. Ita contra Gobat sustinet Pasqualigus *q. 358.*

Quid importat illud (quamprimum) pro itinerantibus.

11. QUando pro itinerantibus, aliisque impeditis dicitur, ut quàmprimùm post impedimentum ij lucrentur Jubilæum, illud (*quamprimum*) non negat aliquam temporis latitudinem à prudenti viro mensurandam: quare poterit concedi totum illud tempus, quod judicabitur necessarium ad expedienda negotia, quæ fortè tunc urgere possent: immò etiam tempus ad aliquam quietem pro reficiendis viribus fortè necessariam.

Absolvitur Censura, sed differtur Confessio.

12. QUando ob aliquod impedimentum ex supra dictis Confessarius pro audienda confessione alicujus differt peccatorum absolutionem post aliquod breve, & rationabile tempus ab elapso Jubilæo, ut supra diximus, poterit durante Jubilæi tempore absolvere illum à censuris, quibus fortè afficitur; quia absolutio à censuris non est alligata ad Sacramentum pœnitentiæ, quando id non exprimitur à Pontifice, ut supra vidimus: & ex alia parte in hoc casu jurisdictio Confessarij non spirat, finito Jubilæi tempore, cùm in ipso radicata maneat, donec causa finiatur.

Jubilæum incidens in festum solemne.

13. SI incidat Jubilæum in hebdomadam Sanctam, vel in octavam Paschatis, poterit satis congruenter differri ipsius promulgatio post dictam Octavam. Non placet autem Gobat *c. 28. de Jubilæo n. 203.* dum docet, in dicta Octava posse Ordinarium dispensare in tres eleemosynas tria Jubilæi Jejunia: non placet, inquam, tum quia est irrationabilis commutatio loco jejunij, quod Pontifex requirit, ut exercitium virtutis, & afflictionis corporalis, subrogare eleemosynam: tum quia rationabiliter poterunt jejunia, & Jubilæum in alios dies ab Ordinario differri.

Illud item nolo concedere eidem Gobat (ut non concedit Pasqualigus *quæst. 363.*) quod, si incidat Jubilæi jejunium in aliquod festum solemne, possit Episcopus illud commutare in similem eleemosynam, nolo, inquam, id concedere propter rationes modò dictas; quia Summus Pontifex vult exercitium afflictionis corporis, & rationabilius poterit in alium diem ejusmodi jejunium transferri.

Virtualis intentio in Jubilæo.

14. NOn requiritur, ut habeat quis formalem, seu actualem, intentionem lucrandi Jubilæum: satis enim est, quòd opera præscripta ritè peragantur, quia (ait de Lugo contra Suarez) sufficit intentio interpretativa, quam certè quisque habet, quando injuncta opera legitimè exequitur, cùm quilibet velit, cupiatque, se ipsum jurare, quantum potest. Id quidem supra in simili à me dictum esse, rectè memini.

Bona Fide commutans?

15. SI Confessarius bona fide putans adesse sufficientem causam commutandi alicui opera injuncta, & commutat; valida est commutatio, nec vitiatur Jubilæum: quia secus Confessarij, & pœnitentes semper essent solliciti, & scrupulis vexarentur. At verò si mala fide sciens non esse sufficiens impedimentum, commutat, nulla erit commutatio, & Jubilæum nequaquam acquiretur; quia deficit unùm opus ex injunctis; opus enim factum ex nulla legitima commutatione non est illud, quod imponit Pontifex. Ita Gobat *de Jubilæo c. 15. num. 103.*

Mi-

Mitiores Pœnitentiæ in Jubilæo.

16. ILlud, quod dictum est supra, nimirum tempore Jubilæi mitiores, seu leviores pœnitentias debere imponi à Confessarijs, etiam pro peccatis gravibus; quia opera pro Jubilæo sunt satis notabilia, & Pontifex, ut alliciat ad luerandum Jubilæum, distribuit à thesauro Ecclesiæ uberem satisfactionem; illud (inquam) extenditurne etiam ad alias Indulgentias, præsertim plenarias, quas solet aliàs concedere idem Summus Pontifex?

Respondeo, extendi: nam probabile est tempore Indulgentiæ plenariæ, quam quis lucrari decrevit, solùm illam pœnitentiam medicinalem teneri admittere, quæ ex ipso jure apponi debet, v. g. remotionem ab occasione proxima, &c.

Quare erit probabile, quod Confessarius diminuat pœnitentias tempore Indulgentiæ plenariæ. Admoneat tamen pœnitentem, causam levitatis pœnitentiæ esse Indulgentiam, ne scilicet ex parvitate pœnitentiæ, suarum culparum gravitatem modicam esse, sibi persuadeat.

Dixi (*diminuat*) semper enim aliquam imponat, licet parvam. Hanc doctrinam hactenus *in hoc num.* 17. allatam latè, & eruditè probat Cardinalis de Lugo *disp. 27. de pœnit. a num. 22.*

Cathecumenis an prosit Jubilæum?

17. CAthecumenis etiam contritis non prodest Jubilæum, nec indulgentia quælibet alia (quidquid asserant nonnulli) quia concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, quam Pontifex non habet, nisi in illos, qui sunt ingressi in Ecclesiam per Baptismum. Ita Moronus *n. 56.* Scio, Avendanum affirmare, prodesse Indulgentiam Cathecumenis: sed propter dictam rationem id mihi difficile est.

Peccátne, qui Jubilæum non recipit?

18. ROgas: peccátne fidelis, si nulla ex causa, sed solùm propter incuriam negligit, cùm possit, Jubilæum lucrari?

Respondeo, non peccare, ne veniáliter quidem, quia Pontifex hortatur ad illud acquirendum, non præcipit. Excipe semper illum, qui aspernaretur, seu contemneret Bullas, Jubilæum concedentes, hic enim peccaret mortaliter ratione contemptus.

Quæstio incidens de Indulgentijs in alium non transferendis.

19. DVm sermonem haberemus de Indulgentia Jubilæi, rogaverunt à me nonnulli, ut afferrem hic praxim circa Decretum Alexandri VII. quo prohibet, posse indulgentias transire de persona ad personam. Ego igitur morem meis auditoribus gerens, libenter id jam subjicio.

De-

Decretum Alexandri Septimi super Indulgentiis.

20. *Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa Septimus declarat, quòd quæcunque Coronæ, Rosaria, Grana, ac Calculi, Cruces, Numismata, Medallia, vulgò nuncupata, & sacræ Imagines, sive sint S. Caroli Borromæi, sive quinque Sanctorum à felicis recordationis Gregorio decimo quinto Pontifice Maximo in Sanctorum numero relatorum, sive quæcunque cum indulgentiis ante à Summis Romanis Pontificibus Sanctitatis suæ Prædecessoribus benedictæ, & concessæ, quæ quidem in hunc usque diem distributæ sunt, non transeant personam illorum, qui ea de præsenti obtinent, neque commodari, aut etiam precariò dari possint, & quæ à Sanctitate sua concessæ sunt, vel imposterum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem Sanctissimo concessæ fuerint, vel quibus à prædictis de ordine ejusdem Sanctissimi prima vice distributæ fuerint, ita ut à nemine aliis commodari, vel precario concedi possint, alioquin careant indulgentiis concessis.*

Et quantum attinet ad Coronas, Rosaria, Grana, Calculos, Cruces, Numismata, Medallia, vulgò nuncupata, & Sacras Imagines cum Indulgentiis ab iisdem Sanctitatis suis Prædecessoribus benedictas, & concessas, quæ in hodiernum usque diem effectum sortitæ non sunt, id est, nulli hactenus distributæ sunt; nemini uti benedictæ deinceps distribui possint. Quòd si de facto distribuantur, careant Indulgentiis jam concessis.

Ac alicui ex rebus præmissis, ut profertur, benedictis perditæ, altera pro eis subrogari, nullo modo possit, quacunque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis, & expressa mentio facienda esset, uti per præsentes Sanctitas Suæ derogavit, & derogatum esse voluit. Romæ die 6. Februarij 1657. Pontificatus quidem S. D. Nostri Anno secundo. Gualterius.

Praxis pro prædicto Decreto.

21. Gabriel à S. Vincentio *in summa morali, verbo Indulgentia*, sic habet.

Sanctissimus Dominus Noster Alexander Septimus decrevit, quòd Rosaria, Grana, &c. benedicta, seu cum indulgentiis, quæ nondum sortita sunt suum effectum, seu quæ adhuc distributa non sunt; non transeant personas illorum, quæ eas de præsenti obtinent. Ex quo infertur, quòd qui habēt benedictiones, non eas perdunt, sed poterunt aliis eas concedere, & applicare materiæ præsenti, quæ sit illius, cui Indulgentia conceditur: quia tunc nec medallia transit ab uno in alium: cum non sit concedentis Indulgentiam, nec indulgentia, quia hæc ab uno in alium non transit: siquidem cùm Papa concedit Indulgentias, seu benedictiones, non extrahit satisfactiones de thesauro, & dat in manus illius, cui concessit benedictiones; sed solùm dat illi facultatem designandi materiam, vel personam, qua designatione facta, ipse illi indul-

indulgentiam communicat, seu facit, quòd remaneat deputata ad inferendam Indulgentiam, posito tali, vel tali opere: non enim satisfactiones manent alligatæ medalliæ v. g. Hactenus Gabriel.

22. De eodem argumento Georgius Gobat *tom. 2. tr. 4. de revocatione Indulgentiæ par. 2. cap. 37.* cùm docuisset, esse suam sententiam, quòd non solùm ipsæ medalliæ, &c. affectæ Indulgentiis, sed etiam ipsæ benedictiones, seu, ut appellamus, intentiones applicandi Indulgentias rebus sacris, non possint ad alios transire, sed possint tamen applicari ab ipsomet, vel ab alio nomine ipsius, rebus sacris; cùm (inquam) hæc docuisset, sic addit pro praxi n. 88.

23. Si igitur quis v. g. Cajus à Papa magnum numerum benedictionum sine ulla determinatione personarum accepit; poterit illas partiri, in quos visum fuerit: ita tamen ut his non sit fas transferre in alios proprio nomine, sed nomine Caij: qua de causa, cùm quidam nobilis adolescens attulisset ex Urbe complures dodecadas Rosariorum benedictorum à Sua Sanctitate, decem ejusmodi, nolui aliter accipere, quàm ut ejus nomine, & tanquam nudissimus Minister dividere in nonnullos domesticos, atque extraneos. Sicuti non ita pridem feci in intentionibus, eas certis rebus applicandis ex mente illius, qui mihi, cum hæc ita applicandi intentione, donaverat: acceperat autem immediatè à Clemente IX. Nono. Hæc ad verbum Gobat, quæ cum admodum clara sint, longiore explicatione non indigent.

24. Prosequitur deinde (ut id etiam obiter habeatis) dicens, prohiberi in dicto decreto etiam donationem medalliæ, &c. nec solùm accommodatam, sed etiam precariò concessam: licet enim non appareat in decreto vox donationis, tamen sensus ex contextu, & intentione, seu fine decreti est hujusmodi. Prohibetur donatio, & etiam accommodatum, & etiam precarium.

25. Præterea asserit, posse quem, sibi retinere duo numismata v. gr. eisdem Indulgentiis affecta, ut si amittat unum, substituat aliud, idque non esse contra dictum decretum. Idem dicit, si sibi quis retineat duas benedictiones, seu intentiones, nam amisso numismate, substituere aliud poterit, applicando ipsi Indulgentiam: quorum duorum ratio est, quia id non est, transire à persona ad personam.

26. Denique quia non semel conceduntur Indulgentiæ Rosariis, imaginibus, &c. nulla facta mentione Crucis, dubitatum fuit, an tunc indulgentia applicari Crucibus possit? & respondetur, posse (& certè meritò) si quidem Cruces comprehenduntur sub nomine imaginum: Crux enim Imago est Christi Domini pro nobis ab illa pendentis, quam ex corde diligite, & valete.

Indulgentiæ Apocryphæ.

PEr hanc occasionem inseram hic Cathalogum Indulgentiarum, quas apocryphas, hoc est, non authenticas declaravit Sacra Congregatio.

Indulgentiæ declaratæ à Sacra Congregatione apocryphæ.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ anno 1614. Principi Senensi.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ à Pio V. & confirmatæ à Clemente VIII. Rosario Magni Ducis Hetruriæ.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ à Clemente VIII. templo B. V. de Monte Serrato, impressæ Avenione.

Indulgentiæ plenariæ concessæ pro animabus defunctorum à Clemente VII. impressæ Madriti sub data 20. Jun. 1606.

Indulgentiæ fundatæ super revelationem B. Joannæ de Cruce concessæ Granis, sive Ave Maria, quæ dicuntur tetigisse unum illorum trium, quæ asseruntur solùm esse apud ipsum Papam, Regem Hispaniæ, & P. Generalem Minorum observantiæ.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ à Joanne XXII. illis, qui osculantur plantam mensuræ pedis B. M. V.

Indulgentiæ concessæ ab Adriano VI. Granis benedictis ad instantiam Regis Catholici Philippi III.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ ab Urbano VIII. ad instantiam Cardinalis Magatelli in honorem sanctissimi Sacramenti.

Item illæ Indulgentiæ à Gregorio V. super hæc verba.

Sia lodato il Sanctissimo Sacramento.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ Confraternitati SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum.

Indulgentiæ, quę dicuntur concessæ à Leone X. Imaginibus Conceptionis B. V.

Indulgentiæ concessæ, super revelationem novam factam S. Birgitę, Hedwigi, & S. Elisabethę.

Indulgentiæ concessę, & acceptatæ ex magna Tabula S. Joannis Lateranis.

Indulgentiæ concessæ ab Urbano VIII. Granis benedictis ad instantiam Cardinalis Infantis.

Indulgentiæ concessæ Altari SS. Rosarij in templo S. Antonij de Rovigo.

Indulgentiæ concessæ à Paulo V. Coronis, Rosariis, Crucibus, Metallis, & Imaginibus benedictis ad instantiam Cardinalis Borromęi 1611. ex occasione fundationis Ecclesiæ S. Caroli Borromęi.

Indulgentiæ centum dierum dicenti Ave Maria ad pulsum horologij, quæ dicuntur concessæ à Leone X.

Indulgentiæ concessæ à Sixto V. Rosariis, seu Coronis, quæ dicuntur Coronæ Mysteriorum Passionis D. N. Jesu Christi Magni Ducis Florentiæ.

Indulgentiæ concessæ Crucibus de Caravacca.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Clemente V. ad instantiam Serenissimæ Infantis Ducis Sabaudiæ de Syndone Corporis Christi, quòd, qui Orationem illam recitat, liberat animam de Purgatorio.

Ex Cancellario S. Officij Inquisitionis ab ejusdem S. Officij Not. Dom. Joanne Gappo, Romæ 18. Maij. 1657.

Sic

Sic habet Gregorius Gobat *tom. 2. tract. 4. de revocatione indulgent. part. 2. cap. 37. à num. 703.* testans, hunc Cathalogum se recepisse à P. Bona gratia Hyblensi, qui illum à prædicto Notario fideliter exscripserat.

Deinde ipse idem Gobat sic addit: *Indulgentiæ de summa Legati Hispanensis, quæ dicuntur Indulgentiæ Granorum de mille Ave Maria, etiam dicuntur apocryphæ.*

Addit idem Gobat *ibid. n. 706.* illam Orationem, quæ tabulæ deauratæ in Sacra æde Lauretana inscripta est, quam dicens, toties quoties Indulgentiam plenariam recipit, asserit etiam apocrypham. Oratio autem dicenda quidem ex devotione, non autem ex spe Indulgentiæ est.

AVE MARIA FILIA DEI PATRIS
AVE MATER DEI FILII
AVE SPONSA SPIRITUS SANCTI
AVE TEMPLUM TOTIUS TRINITATIS.

TRACTATUS III.
DE
III. ECCLESIÆ PRÆCEPTO.
ID EST,
DE SUMENDA EVCHARISTIA.

CAPUT I.

An, & quo jure obligamur ad Communionem.

1. CErtum est, Fideles adultos ad illam obligari Ecclesiastico jure. *Ex c. omnis utriusque sexus de pœnitent. & remiss.* ut infra dicemus latius.

Sed controversia inter DD. est, an obligentur etiam Divino præcepto? & quidem, quamvis probabilius sit obligari etiam divino, probabile tamen est, obligari solùm Ecclesiastico, quo determinavit Ecclesia præceptum divinum, quod, quia erat indeterminatum, non obligabat, nisi donec Ecclesia determinaret, ut fusius Theologi tradunt.

2. Ratio prioris, & certè majoris probabilitatis est, quia illa verba Christi Domini videntur præceptiva: *(nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.)* Et ita sustinet S. Thom. 3. *quæst.* 80. *art.* 11. cum multis, deserens oppositum, quod docuerat *in* 4.

3. Ratio posterioris est, quia non apparet, unde certò obligat tale divinum præceptum, cum textus prædictus explicetur ab aliquibus, vel de manducatione in voto, vel de manducatione spirituali.

4. His positis, inquires primò. An vera sit illa doctrina Petri Soto *de Eucharistia lect.* 9. dicentis, aliquos specialiter obligari ad sumendam Eucharistiam ex eo capite, quod DEUS decreverit, eis non largiri gratiam efficacem ad superandas graves aliquas tentationes, & obtinenda quædam bona necessaria, nisi Sacra Communione roborentur? Quod confirmat illa mulier liberata à quodam maleficio, cujus vir apparebat, ut brutum; liberata, inquam, precibus Sancti Macarij, à quo ipsa intellexit, ideò calamitatem illam passam fuisse, quia per quinque hebdomadas Sacram Eucharistiam non sumpserat.

5. Re-

5. Respondeo. Suarez non omninò respuit hanc Doctrinam *disp. 60. de Eucharistia sess. 3.* observat tamen ratò ei esse locum. Nos dicimus: quis novit sensum Domini, vel cui id revelatum est?

6. Inquires Secundò in hunc modum: ego tentatis omnibus remedijs, adhuc mihi certò persuadeo, me non posse superare tentationem, v. g. vindictæ contra inimicum, nisi frequentatione Sacræ Communionis; si non frequentem, peccabone contra jus prædictum de communicando?

7. Respondeo primò. Hanc certam tuam persuasionem esse creditu difficilem: quis enim certò sciat, te non posse utiliter alia remedia assumere, & item certò te hoc remedio communionis esse sanandum.

Respondeo secundò. Suppositâ certa ejusmodi persuasione, Suarez *loc. cit.* asserit, te non peccaturum contra præceptum de communicando, sed solùm contra illam virtutem, cui illa tentatio adversatur; unde sequitur, te non obligari in confessione exprimere neglectum communionis, tentationis illius tempore commissum, sed solùm peccatum, quod commisisti.

CAPUT II.

An communicandum in fine vitæ.

1. CErtum est, Fideles adultos obligari ad communicandum ante finem vitæ, sive id sit ex præcepto Ecclesiæ, sive probabilius præcepto divino. Nam Concilium Nicænum relatum *cap. de his, 26. quæst. 6.* cavet, *ne discessurus è corpore necessario viæ suæ viatico defraudetur.* At sanè cur vocat absolutè necessarium, nisi valdè probabiliter ex lege id præceptum sit?

2. Sed inquires primò, an qui in vita aliquoties communicavit, teneatur, sub mortali communicare sub finem vitæ, hoc est, in articulo, seu periculo mortis?

3. Respondeo. Sanè Cajetanus, alijque allati à Suario *d. disp. 69. sess. 3.* putant, nullam absolutè esse tunc obligationem sub mortali. Immò Sylvester alijque ab eodem Suarez citati asserunt, eum, qui in vita, quamvis solum semel communicavit, non esse ampliùs obligatum ad communionem, nec sub mortali, nec sub veniali ex dicto præcepto divino, ut habet Delgadillo *tract. 2. de Eucharist. dub. 12.* quia semel, inquit, posita unica communione, extinguitur obligatio dicta, cùm præcepto divino de communione ante finem vitæ jam satisfactum sit.

4. Sed tenendum adesse hujusmodi obligationem iterum in eo periculo communicandi, si comunio facta multum distet à periculo, id quod mox explicabitur. Ratio potissima ducitur ex Fidelium, & Ecclesiæ sensu sic judicantium, qui certè in re tanti momenti magni faciendus est.

5. Quæ ratio ex verbis Concilij Nicæni modo allatis n. 1. confirmatur. Ita Suarez loc. cit. & communiter Recentiores.

Nota item idem verum esse, sive mors impendat ex infirmitate, sive ex vul-

vulnere, sive ex veneno, sive ex quacunque causa, quando advertitur periculum, etiamsi ex revelatione illud advertatur. Immò quoties timetur probabiliter mors, ut ex bello, vel ex longa & periculosa navigatione, quia par est in omnibus ratio.

6. Dices cum Delgadillo *loco cit.* Hoc præceptum de communicando latum à Christo Domino illis verbis: (*nisi manducaveritis carnem filij hominis, &c.*) est pœnale: at præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda. Item est præceptum affirmativum, quale etiam esset præceptum Ecclesiæ de Confessione, cui unica confessione ante mortem satisfectum esset, ut colligit ex Scoto dictus Delgadillo, nisi in præcepto additum fuisset illud (*semel in anno*) sicuti unico actu auditionis Missæ completur præceptum de audiendo Sacro die *festo*, quia est præceptum affirmativum. Adde, Christum non præcepisse quidem frequentiam communionis, sed solùm communionem.

7. Respondeo. Hæc argumenta non debent esse tanti ponderis, ut non vincantur à dicto sensu Fidelium, & Ecclesiæ, qui sensus ostendit, aliquid plus Christum Dominum præcepisse, quàm quòd ejusmodi argumenta præseferunt: multò magis, quia Christus instituit hoc Sacramentum per modum cibi ad nutriendam vitam spiritualem animæ, & ad reparandum, quod continua fomitis impugnatione deperditur. Id quod ostendit, Christum voluisse in suis Fidelibus repetitam hujus Sacramenti Sumptionem.

De eo, qui paulo ante periculum mortis communicavit.

8. INquires secundò, qui ante duos v. g. vel tres, immò & octo, vel decem dies, quàm incidit in periculum, communicavit, obligatúrne iterum in nostra sententia, eo periculo superveniente, communicare?

9. Respondeo cum Suarez *loc. cit.* non obligari: quia præceptum communicandi in fine vitæ non obligat, nisi circumcirca periculum, obligat enim, ut prope mortem inveniatur Fidelis Sacra refectus Evcharistia. Sed Vasquez *disp. 214. c. 2. n. 12.* putat obligari: quia, inquit, antea non fuit impletum præceptum, quod urget quidem, quando adest periculum, non verò quando aderit: sicuti non adimplet præceptum audiendi Sacrum die Dominico, qui audit die Sabbati. Verùm huic rationi videtur satis esse responsum, quia hoc præceptum non est, sicuti præceptum Missæ, quod obligat determinato die, sed, ut dictum est, circum circa.

10. Quare ex dictis fateor, hanc Vasquez sententiam esse probabilem, illam tamen Suarij probabiliorem.

Hinc, qui communicavit in Paschate, & post paucos dies incidit in vitæ periculum, non obligatur ex nostra sententia iterum communicare: quia tamen is potest se conformare sententiæ Vasquez, poterit iterum etiam non jejunus. Qui verò post multos dies à communione incidit in hujusmodi periculum, sanè absolutè obligabitur: quia tunc propter illam distantiam non

non judicatur refectus circa mortis tempus.

11. Dixi (*etiam non jejunus*) id quod intelligo etiam in sententia Suarij, & nostra : nam licet is satisfecerit per nos præcepto, ex vi communionis illius antecedentis ; tamen quia concessio sumendi viaticum non jejuno, non datur solùm, ut præcepto satisfiat, verum etiam ut instante necessitate, omni meliori, & promptiori modo moriturus per communionem se muniat : ideò poterit is data concessione frui. Ita Delgadillo *loc. cit.*

De eo, qui manè communicaverat.

12. INquires 3. quid ergo sentiendum de eo, qui manè communicavit ex devotione, & postea serò, superveniente gravi morbo, in vitæ periculum incidit ?

13. Respondeo, multò minus obligatur, & consequenter (ne eodem die bis communicet) non potest in nostra probabiliori sententia, seu potiùs vera, modo mox explicando. Ita de Lugo *de Eucharist. disp.* 6. *sect.* 3. citans Suarium, Granadum, Præpos. Ratio est, quia refectus manè habuit substantiam viatici ; communicare enim per modum viatici, nihil aliud est quoad substantiam, nisi sumere Eucharistiam circiter vitæ finem, quocumque animo, seu intentione sumatur.

14. Quoniam tamen Caspar Hurtadus *de Eucharist. disp.* 10. citans M.S. Vasquez & multi cum Diana *p.* 10. *tr.* 11. *resp* 40. affirmant, posse, & debere iterum vespere communicare, addens idem Diana *part.* 11. *ref.* 21. utramque sententiam, & negantem, & affirmantem probabilem esse : ideò ego sic statuendum judico, ne errori detur locus.

15. Vel manè quis communicavit benè valens, sed deinde incidit in morbum periculosum, ita ut credatur non producturus vitam ad diem sequentem; & hunc posse vespere illo eodem die, immò debere communicare, propabile erit, saltem addita auctoritate tantorum Doctorum ; nec aliud eos velle, si eorum verba, & rationes expendantur, existimo : vel manè quis, dum laboraret periculoso morbo, communicavit ex devotione, hunc non posse iterum eodem die comunicare, quamvis judicetur eodem die moriturus, affirmo.

16. Ratio utriusque dicti est, quia in priori casu probabile est, non fuisse adimpletum præceptum ; quia prædicti DD. probabiliter tenent, suscipi debere Eucharistiam, quando adest periculum vitæ, & satis non esse, si circum circa ejus finem ; at in posteriori casu adimpletum est, quia jam infirmus erat in periculo, quamvis aliquando non cognito : quemadmodum, si manè diei festivi interfis Sacro, tametsi illum ignores esse diem festum, satisfacis præcepto : neque enim ad adimplendum præceptum opus est, ut illud scias, cum sufficiat, quod exequaris illud, quod edicit præceptum, quæ est doctrina communis *in tractat. de legibus.*

17. Ex quibus collige, me faciliùs concedere eodem die secundam commu-

munionem illi, qui ex inflicto v. g. vulnere incidit in vitæ periculum, quàm illi, qui ex febri: nam si vesperi vulneratus, communicaverat manè ante vulnus acceptum, non communicavit tempore periculi ex probabili sententia. At febricitans, cùm habeat in se luem febris, præsumere ex communiter contingentibus debeo, eum tempore periculi, licet mihi ignoti, communicasse, atque adeò præcepto satisfeciſſe.

De tumultuaria Consecratione ad dandum Viaticum.

18. INquires quartò si certum est, ut diximus *num. 1.* obligari nos ad communicandum instante morte, probabilene est, posse Parochum, seu Sacerdotem in casu, quo aliunde non habeatur Sacra Hostia, non solùm celebrare Missam non jejunum, quod certè posse, dicemus infra *cap. 10. num. 2.* verùm etiam posse ad dandum viaticum infirmo alioquin absque Evchariſtia è vita discessuro, privatim consecrare, proferendo dumtaxat consecrationis verba, quia urget tunc præceptum divinum communicandi, obligans directè infirmum, & indirectè Parochum? Item possetne consecrare in buccella panis fermentati sine ara, sine vestibus sacris, sine illis ceremonijs ab Ecclesia institutis? Videtur enim posse: quia Ecclesiastica præcepta, qualia sunt hęc, non possunt obligare contra præceptum divinum. Adde non esse credendum (præsertim in casu, quo infirmus aliud Sacramentum non suscepit) Christum Dominum voluisse, potiùs damnari hominem fortè in mortali existentem, alioqui cum attritione, & Sacramento salvandum, quàm prædicto quamvis tumultuario modo haberi Sacramentum.

19. Respondeo, posse licitè hęc omnia fieri, dicta necessitate existente, tenet propter dictas rationes Delgadillo, *cap. 3. de Evchariſtia dub. 9.* citatq; pro se Majorem, Ludovicum de S. Joanne, Sotum Victoriam, aliósque. Adde Thom. Hurtadum *p. 1. res. mor. fol.* 54. vide Dianam *p. 11. tract. 6. res. 25. v. notandum.*

20. Sed certè improbabilis est hæc sententia, & contraria, id est, nequaquam posse, est certissima, ut docet Leander *tr. 7. disp. 5. q. 22.* citans Suarium, Vasquez, de Lugo, Layman, Granadum, Dicastillum, aliósque: nam primo sic habetur expressè *cap. 7. comperimus de consecrat. dist. 1.* ubi cum absoluta sit, & sine distinctione de observandis dictis gravissimis cæremoniis locutio, non est hæc à Delgadillo explicanda, quasi procedat pro casibus ordinariis. Secundò, quia præponderare debet reverentia, quæ maxima huic Sacramento debetur, quæque nimis valde offenderetur ex omissione prædictarum observantiarum cuicunque alteri incommodo, quod quisque potest cum Dei gratia, quæ nunquam deest, propellere à se, ut in casu nostro potest moriturus per contritionem, quam si is non elicit, sibi imputet. Tertiò (per quod tolvitur ratio adversariorum) tunc concurrunt duo præcepta, alterum de communicando, quod solùm probabiliter est divinum, alterum de

de reverentia maxima erga tantum mysterium, quod certò est naturale divinum de debito Christi cultu: hoc igitur, cùm sit gravius, prævalere illi debet.

21. Tibi autem Sacerdoti illud in his angustijs incumbit, ut loco consecrandi illis insolitis modis, Fidelem excites agone mortis laborantem ad se conterendum: vel si quis sit mente destitutus, vel sensibus, præter absolutionem Sacramentalem sub conditione, de qua infra *cap.* 7. *à num.* 20. ores benignissimum DEUM, ut illi auxilium ad actum contritionis eliciendum impendere dignetur, & si potes, confer illi attrito Sacramentum extremæ Unctionis, ores, &c.

Minister viatici quis?

22. INquires quintò. Quis mihi Sacram Hostiam legitimè porriget, instante mihi morte?

Respondeo. Parochus tuus, vel (si Religiosus exemptus sit) tuus Prælatus, vel alius ex eorum licentia; communicare enim Fideles pertinet ad Parochum, seu Pastorem, qui maximè velle judicandus est suas oves pascere in ipsarum vitæ fine: pro certo tamen habe; si desit Pastor, vel nolit, posse licitè viaticum porrigere quemlibet Sacerdotem; tunc enim adest præsumpta, & sane rationabilis voluntas Ecclesiæ, seu ejus Capitis, quod est Christus Dominus. Legite de Lugo *de Eucharistia disp.* 18. *à n.* 52.

23. Subinquires. Ergone si nullus adsit Sacerdos Catholicus, nisi Sacerdos hæreticus, schismaticus, aut excommunicatus non toleratus possem, & obligarer ab his tunc comunionem recipere?

Respondeo, quod possis, probabilissimum est, quia in tanta necessitate, præsertim si alio Sacramento roboratus non fuisti, vel de tua contritione dubites, Ecclesia creditur, Sacerdotum nullum à tali ministerio repellere: quòd autem talis Minister non sit benè dispositus, sibi imputet, nam te tua necessitas excusat. Legite Suarez *disp.* 27. *sect.* 4. *fine*, ac Diana aliosque *cit.* à Leander *tr.* 7. *disp.* 4. *quæst.* 21.

24. Semper autem advertite, nos non posse in eo casu, quo illa communio esset signum communicationis cum hæresis, vel excommunicati erroribus, vel cum scandalo Fidelium, ut per se notum est. Quod tamen scandalum sæpè vitari poterit, si Fideles id nescientes, doceantur de Ecclesiæ benignitate in his circumstantijs.

27. Quod verò obligaris, sequitur ex dictis, quia si potes observare præceptum, sanè teneris: & tamen affirmo, te posse eximi ab hac obligatione, & sic non petere Viaticum à prædictis. Ratio est, quia sententia contraria nostræ est etiam probabilis, quam sequitur Sylvester, Henriquez, alijque apud Leandrum: Quare illi te conformare sine ulla culpa potes, præsertim si de tua contritione securus sis.

28. An famulis Religiosorum possit licitè, instante morte, Viaticum porrigi ab ipsis Religiosis, agam infra *c.* 14. *n.* 4. Ut item alia pertinentia ad hanc materiam de Viatico dicam suo loco infra *cap.* 12.

CAPUT III.

Quando Communicandum ex Præcepto Ecclesiæ.

1. SAnè in Paschate, quod his verbis imponitur, *Cap. Omnis utriusque sexus de pœnitentiis, & remissionibus.*

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Paschate, Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin, & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.

2. Advertis in jure communi nullam excommunicationem fulminari contra non communicantes in Paschate? Videat igitur quisque, quid in sua Diœcesi disponatur: cette in nostra Panormitana indicitur in Synodo ultima, quæ est anni 1652. *cap. 4. de Eucharist. num. 51.* excommunicatio, sed ferenda, additurque: Et incurrant excommunicationem, nisi moniti resipiscant. Quare monitio præcedere debet, ut incurratur de facto.

3. Adverte item, non peccare, nec pœnam incurrere eum, qui habet causam rationabilem, à suo Confessario approbatam, non communicandi in Paschate: quare si Confessarius judicet prudenter, pœnitentem fore meliùs dispositum post Pascha, tutò illi tempus proportionatum extendat. At, quòd meretrix v. g. quæ est in peccato, communionem tunc omittat, non est excusanda: unde peccabit contra hoc præceptum, si non communicat: quia non est rationabilis causa, nolle relinquere peccatum.

4. Declaravit autem Eugenius, ut habet Bellarm. *in declarationibus Concil. sess. 3. cap. 9.* Communicantes intra hebdomadam sanctam, vel infra octavam Paschatis satisfacere præcepto, ut interim taceam, in multis locis esse legitimè introductam consuetudinem, qua possit hoc præceptum impleri quocunque die Quadragesimæ: ut videre est apud Leandrum *numer. 4. disp. 3. quæst. 11.* Quòd autem declaravit Sacra Congregatio, posse à prima Dominica Quadragesimæ huic præcepto satisfieri, dicit quidem Joannes à D. Thoma apud Delgadillo *de Eucharist. dub. 13.* Sed mihi declaratio hæc non est authentica, & cùm non assignetur dies, qua data est, est satis incerta.

5. Melius id suaderi posset ex illa sententia ejusdem Delgadillo *cap. 20. dub. 13.* qua vult, præceptum de communione fidelibus ab Ecclesia datum esse, sicuti præceptum de confessione: utraque enim (ait) ex congruentia fit in Paschate: at satis est, si fiat semel in anno. Multò ergo magis (dicet aliquis) observabitur hoc præceptum, si fiat in Quadragesima: Dictam sententiam pluribus probare contendit dictus Delgadillo, quam ego confirmarem ex præcitatis verbis Canonis (*ad minus in Paschate*) & ex illis Trid. *sess. 13. can. 9.* (*singulis annis saltem in Paschate.*) Siquidem, si tibi indi-

diceret Judex, ut te sisteres coram illo, saltem in fine mensis, nonne legitimè comparere posses quocunque die mensis? Ita igitur in casu nostro, &c.

Hanc tamen sententiam ideò non approbo, quia est contra sensum, & usum omnium fidelium, immò & Eugenij prædicti, concedentis solùm illos quindecim dies à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè, his præhabitis.

Sacerdotes, an servent hoc Præceptum celebrando?

6. INquires primò, Sacerdotes satisfaciuntne Præcepto communionis Paschalis, si solùm eo tempore Missam celebrent?

7. Respondeo. Satisfacere. Ita testante, & confirmante praxi. Si tamen tunc semel non celebrarent, obligarentur communicare laicè à manibus sui Pastoris, vel ejus delegati. Ita Leander cum alijs *tractat. 7. disput. 3. quæst. 26.*

8. Objicies die Jovis Sancti omnes tenentur sumere Evchariſtiam à manu sui Superioris, repræsentantis Salvatorem, qui in ultima Cœna communicavit Apostolos; ergo Sacerdos, sive tunc, sive ex extensione prædicti Eugenij, debebit alio die Paschali communicare à sui Superioris, vel ejus delegati manu: Ergo sacrificando non observat Præceptum.

9. Respondeo. Gavantus *in Rubric. Missal. p. 4. tit. 8.* refert, verba Sacræ Congregationis, jubentis etiam Sacerdotes ad id teneri tunc: sed melius Quintanadvennas negat, hanc Congregationis declarationem vim habere legis, cum authentica non sit: Certè alicubi hæc declaratio ignoratur, & alicubi usu recepta non est: siquidem Coninch. Tanner. Laym. apud Gobat *de Commun. cas. 3. quæst. 4.* docet, licere cuivis eo die privatim celebrare. Imò ex Dicastillo *tract. 5 de Evchariſt. disp. 4. num. 28.* etiam publicè in Germania: Si ergo eo die Jovis Sacerdos cum laude celebrat, non obligabitur Evchariſtiam sumere à manu Superioris.

Non communicans in Paschate, an deinde teneatur?

10. INquires secundò. An in Paschalibus, qui noluit, cum posset; vel non potuit, cum voluisset, Evchariſtiam sumere; obligaturne sub mortali, proximè post illud tempus, commissum defectum compensare, communicando?

11. Ut huic quæstioni fiat satis, altius est ea, sed breviter repetenda: sciendum enim est: præcepta esse, (quantum facit ad nos) duplicis generis: Aliqua ita sunt affixa certò tempori, ut qui ea non adimplevit, licet cum culpa, die designato, non teneatur postea compensare: ejusmodi sunt præcepta jejuniorum, festorum, horarum Canonicarum, &c. quæ si non adimpleantur, non audiatur e. g. Missa die ipso festivo, non urget obligatio post diem. Aliqua verò sunt, quorum adimpletioni certa quidem dies præfigitur: verùm non ad finiendam, sed ad dilatandam obligationem, ita nimirum, ut qui illo præfixo die non exe-

quitur, quod imperatum fuit, exequi posteà debeat, tantóque gravius peccet, quantò diutiùs differret, ut patet in citatione comparendi tali die coram Judice, in præstanda solutione certo die, in solvendis decimis, & tributis, ac similibus.

12. His breviter memoratis, respondeo ad quæstionem propositam, afferendo de illa tres sententias. Prima est Suarij, aliorumque apud Dianam *p. 3. tract. 4. resol. 41.* putantium, eum, qui in Paschate non communicavit, obligari posteà, statim ac poterit communicare. Ratio est, inquiunt, quia hoc præceptum communicandi in Paschate est ex hac posteriori classe.

13. Secunda est Toleti, aliorumque apud eundem, asserentium, nequaquam obligari posteà. Ratio est, inquiunt, quia hoc præceptum est ex priori classe præceptorum, & hoc videtur probare illa signata affixio ad Pascha *in c. Omnis utriusque sexus*; quasi in honorem, & cultum illius sacri temporis.

14. Tertia deducitur ex illa sententia Delgadillo, quam modò retuli *num. 5.* putantis, præceptum Ecclesiæ de communicando, urgere semel pro toto anno. Ex hac enim sententia sequitur, eum, qui communicavit semel in anno, jam ampliùs non esse obligatum compensare in alio anno. Quod si ne semel quidem communicavit in hoc, e. g. anno, si teneas, tale præceptum esse de posteriori classe, obligaris in alio anno compensare: si esset de priore, non obligaris.

15. Ex his sententijs prima, & secunda sunt probabiles: tertiam ideò non approbo, quia doctrinam, in qua innititur, non approbavi *dict. n. 5.*

De habente impedimentum communicandi in Paschate.

16. INquires tertiò. Ad quid obligatur is, qui prævidet sibi deesse commoditatem communicandi in Paschate? Obligatúrne prævenire? Respondeo: Si id eveniat in prædictis quindecim diebus Paschalibus, ut si prævidisti, te non posse communicare secunda hebdomada, sanè obligaris prævenire, atque adeò Eucharistiam sumere in prima. Patet, quia tunc urget de præsenti præceptum: sicuti si quis prævidet die festivo, se non posse interesse sacro circa meridiem, obligabitur interesse primò mane.

17. At si id eveniat extra tempus Paschale, Fagundez *Præcept. Ecclesiast. 3. lib. 1. cap. 5. num. 3.* obligat ad præveniendum quia sicuti sententia modò *num. 12.* allata Suarij obligat etiam post Pascha eum, qui non potuit in Paschate; sic obligabit antea, si posteà non poterit.

18. Azorius verò citatus ab eodem Fagundez absolutè negat, teneri prævenire: quia hoc præceptum, ut dixit modò Toletus n. 13. est affixum Paschati, & non urget antea. Unde quemadmodum non teneor adesse Missæ die Sabbati; si prævideo, me non posse die Dominico; ita in casu nostro. Quare, si ante Pascha communicasti propter impedimentum prævisum, & deinde fortè tollitur tibi tale impedimentum in

in Paschate; obligaris iterum communicare, quia antea in hac Azor. sententia præceptum non implesti. At in sententia Fagundez, ablato fortè impedimento, non obstringeris iterum communicare: quia in ejus sententia jam satisfeciſti præcepto. Utraque sententia est probabilis, sed illa Azorij probabilior.

Excommunicatus an urgeatur ex hoc præcepto ad communicandum.

19. INquires quartò. Excommunicatus, cui (ut omnes scimus) prohibetur participatio communionis, obligatúrne ad quærendam ejus absolutionem, ut sic communicet in Paschate?

20. Respondeo: certum est, si per ipsum non stat, quòd absolutio ipsi conferatur, eum non obligari ad communicandum, sicut nec ad Missam audiendam, ducta paritare à detento involuntariè in carcere: qui nec ad Missam, nec ad Communionem, si in carcere non adsit, qui hæc conferat, obligatur: obligari etiam ad impossibile nemo potest.

21. Sed difficultas est de illo excommunicato, qui posset quærere, & obtinere absolutionem, & non quærit: an hic non solùm peccet, habitualiter persistendo in excommunicatione; verùm etiam contra præceptum communicandi in Paschate.

22. Fagundez, Azor, aliique apud Leandrum *tract. 17. disp. 3. quæst. 7.* putant, hunc obligari, & consequenter peccare, etiam peccato contra præceptum communicandi in Paschate: quia, inquiunt, debemus tollere omnia impedimenta, ut uniamur cum Christo. At Delgadillo *cap. 2. de Euchar. quæst. 33.* sustinet, excommunicatum non obligari ex vi præcepti de communicando in Paschate, ut etiam de confitendo semel in anno, ad procurandam absolutionem. Quare non procurando, unico peccato, peccat, habitualiter persistendo in excommunicatione; non autem & altero contra præceptum Ecclesiæ de communicando, & confitendo: sicuti enim prædicti Authores fatentur, incarceratum, & infirmum non obligari ad quærendam liberationem, vel sanitatem, ut communicent in Paschate, & audiant Missam; ita neque excommunicatus, uti etiam incarceratus, ob non solutum debitum, non obligatur citiùs debitum solvere, ut sacrum audire possit, quæ est doctrina Dianæ *p. 5. tr. 9. res. 88.* esto enim peccet contra justitiam, non quærendo solvere, cùm possit; non tamen peccat contra Religionem, sacrum non audiendo: ita in casu nostro.

23. Ad illud de unitate, quod affert Fagundez, responderi posset obligari nos quidem ad hanc, ex vi præcepti charitatis in Deum, sed non ex vi præcepti communionis, confessionis, & auditionis sacri: quæ esto conducant, tanquam ad finem, ad hanc unitatem cum Christo Domino; finis tamen legis non cadit sub legem. Hæc sententia Delgadilli non valde displicet, sed certè illa Fagundez est tutior.

Non communicans in Paschate, an sit suspectus de hæresi?

24. Esse suspectum, putat Sanctarellus, quem citat, sequiturque Diana *par. 4. tr. 8. resol. 38.* Non esse censet Penna cum Farinacio *quæst. 178. num. 29.* Mihi placet distinctio Bordoni *cap. 21. in trib. num. 50.* non esse suspectum absolutè: sed si moneatur ab Episcopo, & tamen non recipiat communionem; tunc sanè contrahere suspicionem hæresis: quia tunc præsumitur, à communi fidelium vita recedere, vel Ecclesiæ præceptum negare, seu parvi facere, vel ejusdem Ecclesiæ potestatem imponendi præcepta denegare: quæ certè ante monitionem præsumere non debemus, cùm solùm negligentiam palmarem suæ salutis, sicuti in similibus aliis peccatoribus, tunc solùm notare debemus, & non aliud.

25. Quod dicimus de Communione, dic sub eadem distinctione de non suscipiente Sacramentum Pœnitentiæ semel in anno, ut idem Bordonus notat ibidem.

CAPUT IV.

Ubi communicandum, & à quo in Paschate?

1. Nullum invenio in Sacris Canonibus præceptum, ut quis Paschalem Communionem peragat in Ecclesia Parochiali: solùm enim *in cap. Omnis utriusque sexus*, imponitur, esse Communionem suscipiendam à manibus sui Sacerdotis, hoc est, sui Pastoris. Quare hæc duo, communicare in Parochia, & communicare ex manibus sui Parochi, quamvis soleamus pro eodem accipere; tamen in rigore satis diversa sunt: hoc enim præceptum est, illud non item. Unde fit, ut si communices è manibus tui Pastoris in aliena Ecclesia, satisfacias præcepto: ut contra, si in Ecclesia Parochiali, sed non è manibus tui Parochi, nec ejus delegati, præcepto non satisfacis.

Quo peccato quis peccet, non communicando in Parochia?

2. Inquires primò, peccátne mortaliter, qui communicat quidem in Paschate, sed non in Parochia, seu, quod idem esse diximus in hoc tractatu, non à manibus sui Parochi?

Respondeo affirmativè: per se loquendo, quia non servat, quod gravissimè jubetur *in d. c. Omnis.*

3. Dixi (per se loquendo) nam puto, eum, qui paratus est suum Parochum recognoscere, & fortè in anno pluries recognovit, communicando in sua Parochia, non irrogare injuriam gravem suo Parocho, si semel, aut iterum, quamvis sine causa, se subtrahat à jurisdictione Parochi, & communicet in aliena parochia; hìc enim, habere etiam locum parvitatem materiæ putandum est.

An servetur hoc Præceptum ab omnibus in Cathedrali?

4. Inquires secundò. An in Cathedrali possint omnes, qui sunt de Diœcesi, implere præceptum, ibi communicando?

Re-

Respondeo; posse: quia ibi residet Episcopus, qui est totius Diœcesis commune caput, & pastor. Ita Diana *par. 11. tract. 7. resolut. 28.* ubi de Magistro Capellano, qui ordinarius Parochus est in Cathedrali Panormitana. Unde si idem Diana *p. 9. tr. 9. resol. 64.* contrarium docuerat; videtur, vel mutasse sententiam, vel significare voluisse, utrumque esse probabile. Ita etiam Bonacina *de Evchar. disput. 4. sect. 7. num. 11. punct. 11.* in mea editione Venetiis Anno 1639. sentit cum mea sententia. Quare cum Leander *tract. 7. disp. 3. quæst. 15.* affert Bonacinam, contrarium sentientem; credendum est, in postrema editione eum sententiam mutasse, mecúmque sensisse: Editio enim mea, ut apparet in frontispicio operis, dicitur esse novissima.

5. Quidquid igitur dicat Delgadillo *cap. 2. de Evch. n. 109.* qui dum cum communi concedit, Episcopum (ut etiam ex Guar. *de Evch. disp. 27. sect. 2.* ejus Vicarium Generalem, ex vi solius Vicariatus Generalis) posse dare licentiam communicandi alibi à propria parochia; deinde (nescio, an consequenter) dicit, Episcopum pro Cathedrali, in qua ipse Episcopus residet, non dare legitimum consensum, ibi communicandi. Nos ergo probabilius, & magis consequenter pro omnibus suæ Diœcesis posse, existimamus.

Ubi communicare debent Peregrini?

6. INquires tertio. Vagi, Peregrini, & Advenæ ubinam satisfacient huic præcepto?

Respondeo, ubilibet; nec solùm in Cathedrali civitatis, ubi fortè tempore Paschali invenirentur. Ratio est, quia saltem pro his adest tacita sui Parochi, vel Summi Pontificis licentia. Idem dic de quibuscunque legitimè impeditis: idémque, si Parochus, vel per negligentiam suum ministerium negligit, vel licentiam, alibi communicandi, per malitiam negat.

7. Dixi (*posse*) nam invenio apud Gobat *de Comm. casu 5.* hanc doctrinam: nunquid, ait, tenentur advenæ alicubi tunc communicare, si nequeant commodè domum redire? Respondet; Auctores, quos legi, solùm dicunt, eos posse: nullus autem dicit, debere extra suam Parochiam communicare. Hæc ille, apud quem sit hujus doctrinæ fides. Ego enim illam approbare non audeo: quia fortasse non rarò eveniret, ut aliquis negotiorum causa per multos annos peregrinus esset, vel advena in locis à sua patria distantibus, & non communicaret: ut interim alias rationes prætermittam.

An quilibet implere possit hoc Præceptum apud Religiosos?

8. INquires quartò. Si in templis Religiosorum quis tempore Paschali communicet, satisfacítne præcepto, sumendo Evchariſtiam à manibus alicujus ex Religiosis? (Dixi tempore

re Paschali) nam intra annum ex devotione, dicemus cap. 6.

9. Tres sunt hac de re sententiæ. Prima, quam sequitur cum multis Fagundez apud Leandrum, mox citandum, negat in his Ecclesiis satisfieri præcepto.

10. Secunda concedit limitatè; addit enim apud mendicantes, & eorum privilegia participantes, satisfieri quidem præcepto, ibi in cæteris diebus Paschalibus, sed non ipso die Resurrectionis: quia Pontifex ob quandam solemnitatem excepit diem illum, & parochis pro satisfactione præcepti illum relinquit: quare si ipso die Resurrectionis velis satisfacere præcepto, debes per hanc secundam sententiam in Parochia, in aliis autem diebus paschalibus posses apud Religiosos. Dixi (pro satisfactione præcepti) siquidem ex devotione non adest hæc exceptio pro eo, qui vel antea satisfecit, vel postea satisfaciet in parochia. In hanc secundam sententiam cum hac limitatione inclinat Diana *part. 9. tr. 9. disp. 27.*

11. Tertia docet universaliter, etiam mentionem faciens, & includens ipsum diem Dominicum Paschatis, posse satisfieri præcepto apud prædictos Religiosos, quia absolutè, & sine restrictione Paschatis id concessêre Pontifices. Lege Pelizzarium *in Man. tom. 2. tr. 8. q. 8.* & Leander *tr. 7. disp. 3. q. 19.* id probabile existimantem, licet contrarium dicat, esse probabilius. Lege item Delgadillo *de Euch. c. 1. n 18.* hanc sententiam absolutè amplectentem, nulla mentione facta prædictæ exceptionis diei Resurrectionis.

12. De quadam declaratione Card. contra prædicta, quam aliàs ego putavi, vel non esse universalem, vel non authenticam, lege Dian. *p. 11. tr. 7. q. 8.*

Ex his tribus sententiis, prima est consulenda omninò, reliquas suis defensoribus relinquamus.

13. Subinquires: Prædicti Religiosi possúntne legitimè Evchariſtiam ministrare in Paschate, ut etiam in articulo mortis, familiaribus, seu famulis suis?

14. Respondeo. Famulos servientes, authoritate Prælati, aut officialium conventus, ipsi Monasterio, aut etiam servientes alicui Religioso, non ad hujus libitum assumptos, sed Prælati, utique posse, sic concedentibus multis Pontificum privilegiis, quæcitantur à Rodriquez *in comp. sect. 63. num. 1.* & de Lugo *lib. 4. resp. mor. dub. 33.* Delgadillo *cap. 2. de Euchar. num. 422.* qui ultimus addit ex Portell. idem esse sentiendum de famulis conjugatis, quamvis nocte dormiant extra conventum: hi enim etiam sunt commensales religiosorum, & intra eorum septa moraliter commorari existimantur; nam famuli omninò extra dicta septa, ac domos, die, ac nocte commorantes, quamvis antea fortè in hoc privilegio comprehenderentur, hodie excluduntur à Trid. *sess. 24. cap. 11.*

15. Nobis ex Societ. privilegium hoc, quo diximus, hodie alios mendicantes frui, Pater noster Generalis sic restringit *in compendio privilegiorum v. familiares 9. 2.* Hęc facultas conceditur Superioribus, & quibus ipsi commiserint.

An

An oporteat in interdicto locali generali communicare in Paschate?

16. INquires quintò; Quid sentiendum de eo, qui est in loco Interdicti Generalis localis? Respondeo antequam huic quæsito satisfaciam, præmittenda est concessio Bonifacij VIII. & Martini V. quia mitigatur rigor talis Interdicti, per quod inter alia prohibetur sumptio Eucharistiæ, excepto à moribundis; mitigatur, inquam, ita ut in diebus festis Resurrectionis, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis Beatæ Virginis, festoque Corporis Christi cum tota ejus octava celebrentur divina officia, etiam publicè, ac si tale Interdictum non esset sub ea lege; ut qui causam Interdicto dederunt, non appropinquent ad Altare: nomine autem festi Resurrectionis, & Pentecostes probabiliter intelliguntur etiam duo dies sequentes, & nomine Natalis Domini tres sequentes dies; pertinent enim hi ad eandem solemnitatem.

17. Hac concessione suppositâ, quæritur *de tract. de interdict.* An illis, qui interdicto locali causam, non dederunt, concedatur in diebus prædictis communio? Mihi videtur concedi, & non concedi, esse probabile: quia verba Bonifacij hæc sunt. *Interdicto qui non dederunt causam, admittantur ad participationem divinorum.* Quoniam igitur illud (*participatio divinorum*) significare potest, ijs concedi communionem: & significare potest, solùm concedi commercium divinorum officiorum dumtaxat externum; ideò dixi utrumque esse probabile.

18. Respondeo, nunc ad quæstionem præpositam: esse probabile, Fideles illos, interdicti tempore, non obligari in Paschate communicare: quia probabile est, tunc non esse concessam communionem: & item probabile esse obligari: quia probabile est, ablatam fuisse pro illis diebus Paschatis prohibitionem. Sequere igitur, quod mavis: hoc posterius approbat Leander cum alijs *tr. 7. q. 3 tr. 13.* Illud prius *Sylvest. Sotus, aliique ab eodem citati.*

CAPUT V.

Quando, & quoties communicandum ex devotione?

1. QUamvis ex præcepto Ecclesiæ semel in Paschate sit communicandum, ut modò vidimus; tamen ex devotione, licet sæpiùs, & aliquando quolibet die, ut infra explicabimus. Ergone etiam in die Parasceves, hoc est, die Veneris sancto? Dico etiam tunc; nam licet eo die non celebretur, non tamen prohibetur sacra communio ex antea præconsecratis. Quod si Barbosa *de Parochis num. 16.* testatur à sacra Congreg. anno 1612. declaratum fuisse, non licere, nisi infirmis; & certè communis praxis ita apud nos servet; id tamen, ajo, esse ex quadam congruentia ob luctum memoriæ mortis Christi Domini: de illa autem Congregationis declaratione non consta-

re authenticè, meritò quis pronuntiabit.

De bina communione in eodem die.

2. INquires primò. An aliquo die bis liceat communicare?

Respondeo. Nullo prorsus die, excepto eo casu supervenientis infirmitatis, de quo ex aliorum sententia diximus *cap. 2. num 14.* & in casibus incursus infidelium, & similibus, de quibus alibi tractabimus.

3. Nota autem pro Sacerdotibus, qui die Natalis Domini ter in sacrificio communicant, eis fas non esse, extra Missam illo die laicè communicare. Unde meritò Quintanadvennas *tr. 4. sing. 9.* negat, Religioso professionem die Natalis Domini emittenti, & communicanti ex manibus alterius de suæ Religionis more, ampliùs eo die celebrare licere.

Qua hora communicandum?

4. AN liceat, quacumque hora communicare?

Respondeo affirmativè, quia, ut advertit Sylvester *v. Eucharistia 3. q. 12.* oppositum nullibi prohibetur: potest itaque sanus, etiam vespere, etiam intempesta nocte jejunus communicare; quod tamen non nisi ob gravem causam, idque ob reverentiam Sacramenti, & metum scandali in importunis hisce horis faciendum est: cum soleant fideles solùm ante meridiem circumcirca, ut notant Conink, & Castrop. lege Dian. *tr. 7. q. 21.* nobiscum sentientem contra Pasqualig. dissentientem.

An quotidie communicandum?

5. INquires tertiò. An hac ætate expediat quotidie communicare?

Respondeo. Quamvis Joan. Sanchez *disp. 22.* & sequentibus, omni ingenij conatu pugnet, id expedire, etiam hodie, quod usurpabant Fideles in primitiva Ecclesia; tamen cum in praxi omnes experiamur, ac fateamur è majori bono personarum esse, si non quotidie ad tantum mysterium accedatur, & majorem concipi reverentiam erga Christum Dominum, ex moderata frequentia, quàm ex quotidiana, quà reverentia (ut late probat de Lugo *disp. 17. de Eucharist. sect. 3.* compensatur fructus, qui enasci potest ex quotidiana: idcircò non est generaliter admittenda doctrina Joann. Sanchez sed illis solis à prudenti Confessario est ea suadenda, quos experientia docebit, solere ex tam frequenti communione in virtutibus proficere; quibus tamen rarissime per totum annum, sed solùm per aliquos majoris devotionis dies cum discretione concederem. Sacerdotes verò quotidie celebrare nimis certum est, & posse, & valde congruere.

De communione negata Pœnitenti a Confessario.

6. INquires quartò. Si Confessarius pœnitenti ritè absoluto prohibet aliquando ex causa, quam ipse Confessarius sufficientem existimat, ne sumat sacram Eucharistiam, obligabiturne pœnitens obedire?

7. Sa-

7. Sanè obligabitur, ut docet Diastillus *tract. 4. de Eucharist. dub. 18.* qui tum auctoritatibus, tum exemplis, tum rationibus manifestè concludit; quidquid dicat Joann. Sanchez *disp. 28. num. 10.* negans Confessario, jus interdicendi communionem, nisi in casu, quo pœnitens esset in statu peccati mortalis. Sed is fallitur: quia Confessarius, sive ut Magister, sive ut Medicus, sive ut Judex pœnitentis, semper jus habet illi imponendi ea, quæ magis eidem expedire judicaverit. Quare si advertat Confessarius ex frequenti communione tepescere e. g. pœnitentem in virtutibus, vel ex negatione communionis speret, ipsum magis terreri à committendis peccatis, audacter, & totò illum, cum discretione tamen, arceat à sacro Altari.

De eadem eidem imperata.

8 INquires quintò. Quid si contra, imperet pœnitenti Confessarius, ut toties communicet, peccabitne si non parendo?

9. Respondeo, quamvis idem Jo. Sanchez *quæst. 23. num. 8.* neget, hunc peccare: quia, inquit, non potest pœnitens à Confessario adigi ad procurandam animi puritatem, quæ est dispositio necessaria ad communicandum; ego nihilominus, suppositâ communi, atque in Tridentino fundata, sententia, quòd pœnitens teneatur admittere, ac explere notabilem pœnitentiam à Confessario injunctam, censeo falsam esse doctrinam prædicti Auctoris: nam repugnat judicio, & usui Confessariorum, immò & praxi Ecclesiæ, imperantis paschalem communionem omnibus Fidelibus, & constitutionibus multarum Religionum, jubentibus menstruam, vel frequentiorem communionem, ac etiam frequentiorem confessionem.

10. Si autem interroges, quo pacto peccet pœnitens, si ejusmodi pœnitentiam negligit? Dico, ex genere suo peccare mortaliter: quia sicut negligens alias pœnitentias graves, graviter peccat ex doctrina communi; sic & negligens hanc. Confirmatur, quia obligatio pœnitentiæ, sicut & votorum, debet æstimari ex comparatione, quam invehit lex humana Ecclesiastica, pœnitentia enim est lex data à Confessario ipsi pœnitenti. Votum est lex data sibi à vovente: cum ergo lex Ecclesiastica de communione Paschali data *à cap. Omnis utriusque sexus* communiter à Doctoribus judicetur obstringere Fideles sub mortali; ita in casu nostro lex Confessarij. Abstraho autem hìc ab illis quæstionibus, an si materia gravis, ut e. g. dicta communio detur pro pœnitentia dumtaxat peccatorum venialium, vel mortalium aliàs absolutorum, obligetur pœnitens, illi sub mortali satisfacere? Et an possit pœnitens nolle acceptare pœnitentiam à Confessario datam, paratus illi satisfacere in Purgatorio: de his enim supradictum est *in tract. de Confessione.*

11. Quando fortè dubitas, an Confessarius id jusserit sub obligatione gravi, an sub levi, nec sit locus illum interrogandi; tunc te obligatum sub mortali puta: quia certum est, tibi

rem gravem imperatam fuisse, quæ ex se gravem trahit obligationem; & ex alia parte cum intentio Confessarij interna fuerit, nullum fundamentum habes judicandi fuisse sub levi. Et nota, si communionem impositam non implesti e. g. hodie, te debere postea; siquidem communio data per pœnitentiam non addicitur communiter tempori (nisi expressè tempus ita imperetur, ut aliud tempus excludatur, quod rarò, vel nunquam fit à Confessariis) sed absolutè imponitur, sicuti rectè monet Castropalaus *tract. 23. punct. 21. num. 3.*

An liceat communicare in testimonium innocentiæ?

12. INquires sextò in hunc modum: Gregorius VII. Summus Pontifex improborum calumniis impetitus apud Henricum III. Romanorum Regem, ut narrat Baronius ad Annum Christi *1077.* Regem sic est alloquutus: Ut noveris, me horum delictorum purum esse, sumam nunc sacrum Christi Corpus, ut si ea commisi, me subitanea morte interimat Deus; si innocens sum, me incolumem servet. His dictis, sacram Hostiam sumpsit sine ullo prorsus damno; inquires ergo, an liceat, eum aliquando imitari?

13. Respondeo, per se loquendo, nunquam licet, *quia non tentabis Dominum Deum tuum*, ut latè prosequitur Valquez *de Euch. q. 70. art 6.*

4. Sed licéne sine petitione miraculi dicere alicui ad extorquendam ab illo veritatem; *Credam, te verum dicere, seu dixisse, si eras, ad tuorum verborum confirmationem Eucharistiam devotè suscipias?*

15. Respondeo per se loquendo, neque id licet, quia obnoxium est periculo communicandi indignè. Ita Castropal. *de Eucha. tract. 23. pun. ult.* Dixi, per se; nam, quia contra casum, ubi non exspectatur miraculum, non est textus clarus, nec clara prohibitio; ideo censeo cum Suario *de Euch. disp. 67. sect. 6.* posse in aliquo casu permitti; fateor tamen ob dictum periculum non esse id nisi rarissimè usurpandum.

16. Queret hìc puella innocens; mea mater suspicatur de me, quòd inhonestè egerim, vel quòd furtum e. g. fecerim, possúmne sic licitè dicere (id à me ea nequaquam exposcente) *quandoquidem, mater, respuis habere mihi fidem, ego cras in testimonium meæ innocentiæ, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta suscipiam?*

17. Respondeo: id faciliùs posse permitti, ut permittit Tannerus *quæst. 8. num. 212.* quia id ex se, & sponte vult exhibere puella: verùm ne hoc quidem, propter periculum sacrilegæ Communionis, est passim permittendum. Ego tamen Confessarius, si audirem à puella benè dispositâ, sic Matris jurgia, & domus perturbationem, vel similia posse defervescere, sine ulla dubitatione permitterem, ut permittit Gobat *de commun. casu 23.*

CA-

CAPUT VI.

Ubi communicandum ex devotione?

18. EX sparsim dictis in præcedentibus facilè colligis, omnes ex devotione extra tempus mortis, & Paschatis, posse hodie, saltem ex præsumpta voluntate Parochorum, sumere Eucharistiam in quibuslibet Ecclesiis, sive Sæcularium, sive Regularium: Ecclesiæ autem nomine intelliguntur omnia illa loca, ubi legitimè celebratur, quæ sunt triplicis generis; vel enim sunt consecrata, vel benedicta, vel ad sacrificium celebrandum legitimè deputata.

19. Et quidem licèt olim in *Clementina 1. de privilegiis* excommunicentur Religiosi ministrantes Eucharistiam sine Parochi licentia; hodie tamen ipsis non solùm favet dicta Parochorum præsumpta licentia, verùm etiam privilegia ipsis concessa à Sancta Sede, pro danda Eucharistia Sæcularibus, pro devotione communicare volentibus, etiam intra Conventus suos, id quod limitare ipsis non posse Episcopum, aliqui putant apud Dianam *part. 9. tract. resol. 8. & 9.*

An communicandum in Oratoriis privatis?

20. SEd inquires primò. Quid in Oratoriis privatis sæcularium, ubi ex privilegio solet celebrari sacrum?

Respondeo; certè illam ego regulam darem, ibi posse Fideles communicare (nisi adsit aliqua expressa prohibitio) ubi Missa celebratur, idque saltem ex eadem præsumpta Parochorum voluntate, qui in communionibus voluntariis, seu ex propria devotione, facilè concedere supponuntur hanc libertatem: ut ex hac commoditate frequentiùs Fideles communicare velint. Adde, Communionem adstantium esse veluti panem Sacrificij; unde in primitiva Ecclesia omnes quotquot Missæ intererant, communicabant. Verùm id non est Oratoriis privatis concedendum cum notabili concursu; id enim non præsumi debet Parochus, velle.

21. Quando ergo per Bullam Cruciatæ (ut docet Vasquez, licet neget Suarez) conceditur, ut extra Pascha possit ab habente Bullam sumi Eucharistia à manibus cujuscunque Sacerdotis; id conceditur, vel ad tollendos scrupulos, vel pro sustinentibus Suarij, hoc est, contrariam sententiam, vel in raro casu, quo expressè invitus Parochus esset.

Ubinam communicare debent Græci: & an semper in fermentato?

22. INquires tertiò, quid de Græcis? Respondeo: Sine dubio etiam ipsi obligantur ad communicandum ex manibus sui Pastoris in Paschate, & in periculo vitæ; ex devotione autem in templis suis. Verùm, quod quæritur de Græcis, illud est; an ipsi possint legitimè, sive ex devotione, sive in Paschate communicare in azymo, idque in templis Latinorum? Ex hac occasione item quæritur, an possint

Latini in fermentato, idque in Græcorum templis?

23. Respondeo cum necessaria, tripartita distinctione: nam vel Græcus est in partibus, seu locis Orientalibus, ubi nullum sit templum ritus Latini; & Latinus est in partibus Occidentalibus, ubi nullum templum sit Græci ritus; & tunc quisque debet in suo ritu communicare: quia hæc est gravissima, & universalis consuetudo harum Ecclesiarum, atque à pluribus Pontificibus confirmata.

24. Solùm excipio casum, in quo moribundus Græcus inveniretur alicubi, ubi non esset ritus, & Sacerdos Latinus, ibi fortè peregrinus, & celebrans in azymo; tunc enim ex pietate S. R. Ecclesiæ præsumendum est, ne sine viatico hic decedat, ut possit communicare in azymo. Simile quid erit, si, contra, Latinus moribundus inveniretur in loco, ubi solus esset ritus, & Sacerdos Græcus.

25. Vel Græcus est in Latinis locis, ubi templum sit Græcorum; uti est hìc Panormi Templum Sanctæ Sophiæ ritus Græci, & Latinus est in locis Græcis, ubi sit templum Latinorum Latini ritus; & tunc dico ex antiquiore consuetudine Græcum græcè, Latinum latinè, communicare debere: quia ad hoc concessa sunt dicta templa, ut quisque communicet in suo ritu.

26. Dixi ex antiquiore consuetudine, nam ex recentiore in nostro Siciliæ regno introductum est, ut Græcus possit communicare in azymo in Latinis Templis; id enim ego pluries observavi; licet nondum viderim, quòd Latinus communicet in fermentato in templis Græcorum. Ratio fortasse est, quia faciliùs conceditur Græcis Fidelibus, conformare se cum ritu Latino, qui est ritus universalis, & capitis, quàm Latinis, se conformare cum ritu Græcorum, qui est ritus peculiaris Ecclesiæ.

27. Vel denique Græcus versatur in Latinis locis, ubi nullus est ritus, seu templum Græcum, & Latinus in locis Græcis, ubi nullus est ritus, seu templum Latinum; & tunc poterit Fidelis communicare eo modo, quo ibi potest, neque enim huic præsumitur Ecclesia communionem denegare.

28. Hæc de fidelibus communicantibus; cæterum de Sacerdotibus quomodo Græci Græcum ritum, Latini Latinum ritum observare omninò debeant, cum majori rigore proceditur, idque propter Concilij Florentini authoritatem, & Pij V. Constitutionem, *ut in tract. de Missa* latè declaratur. Interim legite Suarium *de Eucha. disp. 3. sect. 3.* Laymau *lib. 5. tract. 4. cap. 2.*

CAPUT VII.

Quinam communicandi? An Pueri?

1. PUeri usum rationis habentes (nam infantes illâ carentes ex tacito Ecclesiæ præcepto hac ætate omninò excluduntur) an statim sint ad communionem vocandi? duplex est sententia. Altera docet non statim, sed post ætatem inter decimum, & decimum quartum annum, quia ad Com-

mu-

munionem concedendam, major rationis usus requiritur, quàm ad alias leges servandas, ad confessionem annuam e. g. ad Missam audiendam, & similes, ad quas satis est communiter ætas inter septimum & octavum annum; cujus diversitatis ratio est, quia pro comm. *in c. omnis utriusque sexus* fertur præceptum sub hac forma (*suscipiens reverenter Eucharistiæ Sacramentum*:) illud enim (*reverenter*) majorem dictam rationis discretionem ostendit. Ita Suarez, aliique apud Joannem Sanchez mox citandum.

2. Altera docet statim, quia non major rationis usus requiritur ad Communionem, quàm ad Confessionem, aliásve leges observandas; si enim pro Communione requiritur notitia differentiæ inter cibum, & cibum, sanè pro confessione requiritur cognitio inter actiones bonas, & malas. Item cognitio offensæ Dei, doloris peccatorum, &c. Ita Joannes Sanchez latè id probans *disp. 16.* & Castropalaus *de leg disp. 1. punct. 24. §. 2. n. 7.* cum plerisque aliis; & ita videtur esse praxis etiam timoratorum, hanc posteriorem sententiam, tanquam probabiliorem meritò sequentium.

Mendoza *de Eucha. lib. 20. sect. pr. num. 85.* Regulariter (ait) neminem ante decimum obligari censeo: immò ferente usu, viri ante decimumquartum annum, fœminæ ante duodecimum non obligantur. Ita Navarr. & Corduba. Hæc ille; sed certè in nostris locis ejusmodi usus non est.

3. Sed inquires, obligandine ergo pueri sunt ad communionem in Paschate? Respondeo, cum utraque sententia sit probabilis ex jam dictis, poteris cum Joann. Sanchez omnes obligare ad communionem paschalem post septennium: poteris cum Suarez eosdem eximere usque ad decimum inter decimum quartum annum. At ad multò plus non puto probabile: quia tunc regulariter habetur satis rationis, & discretionis.

4. Instante morte omninò sequere sententiam hanc posteriorem, ita ut si adsit in ipso septennio, immò etiam antea, rationis usus, communicetur puer in tanta mortis necessitate.

5. Quid si non sufficienter adsit ratio, & dubitetur à Confessario, seu multò magis à parentibus, & magistris, qui meliùs filios, discipulosque cognoscunt?

6. Respondeo. Ego sanè in hoc dubio faverem puero, & ei communionem concederem: si enim in primitiva Ecclesia concedebatur ordinariè infantibus Eucharistiæ susceptio; cur non instante morte, pueris, in quibus elucere incipit rationis usus? Sanè de Lugo *disp. 13. de Eucharistia* solùm dicit, posse dari communionem hujusmodi puero. Sed Delgadillo *cap. 2. de Eucharistia cap. 1. num. 77.* ait, debere.

7. Subinquires, cùm *cap. Omnis utriusque sexus* infligat non communicantibus in Paschate pœnam privationis sepulturæ, & ingressus in Ecclesiam, atque in aliquibus Diœcesibus fulminetur excommunicatio, peccantne moraliter, dictasque pœnas incurrunt pueri, plena ratione utentes, e. g.

e. g. duodennes, si tunc non communicent?

8. Respondeo, quòd peccent, certum est: quia omnis Fidelis ratione fruens subditur legibus Ecclesiasticis. At probabile est, quòd non incurrant dictas pœnas, quia Mater Ecclesia ante pubertatem, quæ est ætas quatuordecim annorum completorum in masculis, duodecim verò completorum in fœminis, nulli vult suas pœnas infligere, ut colligitur *ex cap. Pueris de delictis puerorum*, de quibus pronunciatur, illos quidem peccare; sed additur, quamvis in eis non ita, ut in majoribus punienda peccata videantur. Ita plures apud Leandrum *tract. 7. disp 3. quæst. 9.* contra Coninch. aliosque oppositum sentientes.

An semifatui, vel stulti?

9. Semifatuos voco illos, qui imperfecto usu gaudent rationis, quales esse Æthiopes solent: his communio concedenda est, si irreverentia non timeatur, & quidem multoties in anno, omninò autem in Paschate, & in fine vitæ. Ratio est, quia non apparet, und pro his adsit prohibitio, vel non urgeat Præceptum.

10. Nec obstat debilitas rationis, dummodo irreverentia absit; nam his non est denegandum augmentum gratiæ, quod à communione speratur; quemadmodum nec deneganda est confessionis, aliorúmque Sacramentorum participatio.

11. At hi minore aliquando rationis usu fruuntur, quàm pueri decennes, quibus vetant aliqui communionem?

Respondeo. Pro pueris est spes spes perfectioris judicij, sed in hujusmodi stolidis hæc spes non est, atque adeò semper essent prohibendi.

An qui evaserunt fatui post adeptam rationem?

12. Horum duplex est classis: Altera, quæ habet aliqua lucis rationis intervalla; altera verò, quæ, postquam rationem amisit, nunquam habet usum aliquem rationis.

13. Dico, hos utrosque, si absit periculum irreverentiæ, frui posse communione, tum aliquoties infra annum, tum in Paschate, tum multò magis in vitæ fine, modò in amentiam non inciderint, dum in peccato erant mortali. Ratio hujus doctrinæ est, quia hi sunt capaces receptionis Sacramenti, & augmenti gratiæ; ergo amoto impedimento irreverentiæ, & præsumptione status peccati mortalis, non apparet, cur illis interdicenda sit perceptio communionis. Ita piè, & probabilius docet Villalobos *in man. cap. 4. n. 17.* aliique cum Diana *part. 2. tr. 14.* Id, quod præsertim servari potest cum Religiosis, qui solent bonos habitus retinere, reverentiámque debitam Sacramento.

14. At unde cognoscam, aliquem fuisse factum amentem in statu malo?

15. Respondeo. Vel nescis, utrum ante amentiam mortaliter peccaverit; & tunc præsume, esse in bono statu, nam quisque naturaliter præsumitur esse bonus, *Capite dudum de*

Præ-

Præsumpt. vel scis, deliquisse mortaliter, nulla Confessione Sacramentali præmissa, & tunc, si non habes positiva argumenta, seu signa pœnitentiæ, quæ certè in habente rationis intervalla haberi possunt (ut percutiendo pectus, tollendo supplices manus, dicendo Miserere, &c.) tunc, inquam, si aliquod ex his signis non adest, præsume esse in statu malo, nam malus semper præsumitur esse malus *ex reg. 8. n. 6.* Sic habet Gobat *de Evchar. casu* 8.

16. Scio tamen Leandrum *tract. 6. disp. 6. quæst. 13. & 14.* docere, esse probabilius, prædictis omninò amentibus, qui olim rationis usu potiti sunt, non posse porrigi Evchariſtiam, nec in tempore quidem Paschali, sed solùm in articulo mortis. At unde hoc discrimen? Respondeo, quia pro necessitate illius articuli, cedit reverentia, quæ alias magna debetur Evchariſtiæ, quæ cedere non debet, quando illa necessitas non urget: Scio, inquam, hæc, sed quia posse eo paschali tempore porrigi, ipse idem fatetur ibid. & modò dixit Villalobos, ideò ego cum alijs dico, magis piè posse porrigi, cedit enim benignissimus Dominus magnæ sibi debitæ reverentiæ, propter magnum bonum illius infelicis amentis, modò positiva irreverentia non timeatur, nec malus status ejusdem, ut diximus, impediat.

17. Dictum est autem (posse) nam minimè obligabimur (quamvis obliget Delgadillo *cap. 2. de Evchariſt. num.* 87.) quia sententia, quæ negat posse, cum sit etiam probabilis, sequi eam tutò valemus pro dicto tempore infra annum, & tempore paschali: Nam pro articulo mortis ijs, qui olim usi sunt ratione, & non constat, esse in statu malo; omninò danda est, si non est timor irreverentiæ, Sacra Communio, sicuti etiam Sacra Unctio, ut habes apud Casparum Hurtadum *disp. 9. de Evch. diff. 20.*

18. Ut videas autem, an periculum sit prædictæ irreverentiæ potes, alteram, & alteram, & quoties opus videbitur, Hostiam non Sacram illi porrigere, ad experiendum, num illam tractet indignè, ut rectè docet Layman *lib. 5. tr. 4. c. 5. n. 4.*

19. Inquires, si ijs omninò confe renda est, modo explicato, instante morte, communio, estne etiam tunc concedendum Sacramentum Pœnitentiæ, quod est præparatio ad illam?

20. Respondeo, quandoquidem hi, de quibus agimus, vel habuerunt usum rationis, vel gaudent per intervalla eius usu, pie præsumendum est, eos aliquo interno actu se præparasse: quare addito externo signo, quo scilicet hi vixerint Christianè, & nunc sint in fine vitæ, ob quæ probabiliter ostenditur, ipsos per has circumstantias petere Sacramentum Pœnitentiæ: poterit, ajunt nonnulli, conferri conditionata absolutio (si scilicet est capax absolutionis) & deinde communicari, sicuti moribundis omni sensu destitutis dari posse in simili casu dictam conditionatam absolutionem, probabile tenent apud Verricelli *tract. 6. quæst. 9. mor. sect. 2.* viginti fere DD. Lezana, Diana, Baldelli, Bordonius, Naldus, Aversa, Leander, Caramuel, alijque

inter quos est etiam Pellizarius, qui *tr. de mor. cap.* 10. *num.* 204. ait, viros fide dignos testari, hanc sententiam docuisse privatim Suarez, illamque ad praxim redegisse.

21. Tenemur tamen ab his, qui sunt amentes per intervalla, aliquem actum doloris extorquere, prout discreta prudentia dictabit; immò etiam ab alijs amentibus post usum rationis; potest enim fieri, ut in fine vitæ aliqua rationis lux affulgeat, vel affulserit.

22. Quod dictum est, instante morte, de conditionata absolutione his conferenda ante Communionem, servari etiam debet intra annum, & in Paschate, quando sequeris opinionem Villalobos, his communionem modò dictam concedentis.

An omninò fatui, id est, qui nunquam potiti sunt ratione?

23. His perpetuò amentibus, ex communi sententia, neque infra annum, neque in Paschate, neque in fine vitæ, hoc est, neque ex obligatione, neque ex devotione concedenda est communio. Ratio est, quia quoad obligationem ipsi sunt incapaces legum, vel præceptorum, sicuti sunt infantes: quoad devotionem verò, quia id consuetudine prohibitum est, ut habet Caspar Hurtadus *disp. 9. de Eucharist. num. 42.* Confessio autem, & extrema unctio, ideò his non potest dari; quia cum hi non possint peccare, non sunt capaces horum Sacramentorum.

24. Dixi (ex communi sententia) nam lego Delgadillum concedentem *cap. 2. de Euch. n.* 82. quem si est otium, lege.

An Phrænetici?

25. Vel hi fruuntur lucidis intervallis, & communicari poterunt, sicuti de fatuis similibus dictum est *num. 13.* vel continuato furore nunc agitantur, olim tamen usum rationis habuerunt; & de his etiam idem dicendum erit, quod de similibus amentibus, tum quoad communionem, tum quoad confessionem dictum est.

Sed timeo, ne Sacram Hostiam indignè tractet phræneticus.

Respondeo. Præbe non sacram, quam si modestè deglutiat, porrige, & sacram, ut diximus *num. 18.* & habet etiam Diana *part. 2. tract. 14. res.* 44. hanc vocans praxim optimam. Sed adhuc timeo, ne manus, pedesque tanto impetu jactet, ut ad ipsum accessus non pateat.

Respondeo cum Joan. Sanchez *disp. 48. n. 4.* expetire, an ligatus res comestibiles sumat.

Sed 3. gravius timeo, quia audio illum horrende blasphemantem, & fidem profiteri nolentem.

Respondeo de hoc mox *numer. 21. & seq.*

An Epileptici?

26. Epileptici (qui ij sunt, quos idem corripit morbus caducus, vel similis) quando non infestantur paroxismo, sunt communicandi; quia hic morbus non est communionis

nionis impedimentum, At quando infestantur hujusmodi accessione morbi, licet videantur penè mortui, non sunt communicandi, quia ex centum vix unus ex his, ut observant Medici, in eo conflictu potest prudenter sperari, quod Hostiam deglutiat. Si tamen aliqua luceret spes, & esset periculum mortis, posset fieri experientia cum Hostia non Sacra, ut modò dictum est in simili.

An Energumeni.

25. ENergumenis, sive omnibus, sive aliquibus, propter decentiam negabatur olim Eucharistiæ participatio; posteà tamen concessa est ex Concilio Arausicano *cap. 14.* Danda igitur illis, si devotè petant, tum in anno, tum in Paschate, & fine vitæ: modò, ut sæpè dictum est, non adsit periculum irreverentiæ vel præsumptio mali status.

28. Sed in fine vitæ meus Energumenus quandoque nec petit, nec reverenter se habet, immò horrendè blasphemat.

Respondet Joann. Sanchez *disp.* 38. *num.* 8. agens de phrænetico blasphemante, & fidem negante, ait, non esse de his blasphemijs laborandum; quia non ipse, sed vis morbi eas effundit. At Leander *tract. 7. disp. 6. quæst.* 17. docet, huic non esse porrigendam Eucharistiam, ne in articulo quidem mortis, si tunc in blasphemias prorumpit; quia hic non accipit reverenter, ut tantum Sacramentum decet. Quid de scandalo adstantium?

29. Ego absolutè neutrum ex his laudo, neutrum vitupero, sed docto, & pio Confessario rem decernendam in casu occurrenti remitto, qui ex qualitate personarum, & earum ante actæ vitæ bonitate, vel improbitate, & ex similibus circumstantijs, videat, cui neganda, cui indulgenda communio.

30. Et quidem si concedet, doceat pius Confessarius adstantes de probabili doctrina: explicet, illam irreverentiam esse involuntariam, & blasphemias à malo dæmone procedere; modò, ut nimis sæpè dictum est, non adsit irreverentia alia, qua malè tractandam esse Sacram Hostiam, timeatur.

An surdi, & muti ex nativitate?

31. HIs regulariter concedenda est communio: quia cum hi soleant esse perspicacioris judicij, facilè possunt edoceri de substantia hujus mysterij: licet enim fortè non percipiant omnia, quæ ad illud pertinent; nihilominus, si cognoscantur ad illud accedere, non tanquam ad cibum profanum, sed ut ad spiritualem conferentem animæ salutem &c. hoc, vel simile quid sufficiet, ut possit eis ministrari in ætate competenti Eucharistia. Ita notat Layman *loc. cit. cap. 2. num. 5.* Igitur his, & multò magis illis, qui non sunt tales, præbeatur omnino in Paschate, & in articulo mortis, imò sæpiùs in anno ex Diana *p. 5. tract. 6. resol. 6.* pro ratione pietatis, quam in eis Confessor advertet.

32. At si quis sit mutus, surdus, & & cæcus à nativitate, adnumera illum

nter perpetuò amentes, nec enim videtur, posse hunc edoceri res sacras. Ita Gobat *loc. cit. cas. 7.* Vide supra *intr. de aud. Sacri c 1. n. 29.*

33. Inquires, illi surdo, & muto, cui concessimus communionem, concedemus item confessionem.

34. Respondeo. Layman citatus censet, non esse talibus extra mortis articulum, impendendam absolutionem, nisi aliquod in specie peccatum profiant Confessario. Ego verò cum Sylvestro, verbo *Confessio p. quæst. 13.* contentus essem manifestatione alicujus peccati in genere; quòd si id non posset, ut ijs impenderem absolutionem, aliquoties etiam intra annum, sub conditione, contentus essem signis pœnitentiæ, quæ diximus supra *num. 15.*

An laborantes lepra, vomitu, & tussi?

35. IN cap. *Tuanos de Clerico Ægrotante* prohibetur leprosis communio; sed profectò hic Canon in usu non est. Quare si horrorem aspicientibus pariant, communicent privatim: Immò hodie etiam publicè, quia nec scandalum, nec notabilis horrore consurgere solet.

36. Quoad vomitum, nota. Quando stomachus ita est affectus, ut rejiciat statim omnem cibum in propria specie, non est is communicandus: si non rejiciat statim, sed solùm post unam circiter horam, communicetur: quia intra horam unam consumuntur species Sacramentales ex Joann. Sanchez *disp. 38. num. 2.* præsertim parvæ particulæ. Immò Jordanus *lib. 4. tit. 1. num. 13.* mutari putat intra dimidium quadrantis unius horæ (quæ tamen opinio videtur in praxi non amplectenda.) Adde, posse item, dari partem particulæ parvæ, quando communio esset pro Viatico. Posset fieri experientia etiam per parvum particulam non consecratam, infusam in aliquem liquorem, si absque hoc deglutire infirmus nequeat: esto, sit moraliter certum, liquorem acceptum citiùs deglutiri, ac descendere.

37. Nota 2. Si vomit dumtaxat cibum copiosè sumptum; at sumptum parve, retinet, nihil timendum.

38. Nota 3. Si stomachus per secessum emittit cibum omnem planè immutatum, nefas est communicare cum tanti periculi irreverentia

39. Sed sic inquires, omnibus consideratis, dubito, an intra horam moribundus rejecturus sit Sacram Hostiam?

Respondeo. Experire, porrigendo Hostiam non consecratam, quam si per horam servet, porrige sacram. Ita Diana *p. p. tr. 3. n. 55.*

40. Verùm facta hac, variisque diligentiis, dubius remaneo?

Respondeo. Communica illum: quia ut notat Gobat *loco cit. casu 10.* in dubio satiùs est, exponere Sacramentum periculo irreverentiæ meræ materialis, quàm certò infirmum privare fructu Viatici; profectò bonum Dominum habemus.

41. Quod si fortè contingat, Sacram Hostiam deinde rejectari, deferenda illa erit in Sacrarium, & purgata, quan-

quantum moraliter potest, servetur in tabernaculo sacro, donec corrumpatur, sicuti similiter de Hostia vermibus abrosa fieri consuevit.

42. Dices, cur non comburenda statim?

Respondeo. Quia nimia esset irreverentia, dum Christus Dominus in ea Hostia latet, eam comburere: quare comburenda solùm erit, postquam erit corrupta. Sanè Sylvester *v. Eucha. q. 9. §. 2.* loquens de Sacratissimo Sanguine effuso, ait, illum comburere, esse immane Sacrilegium. Si quis jejunus, & in statu gratiæ illam Hostiam sumere non horreret, singularis esset reverentiæ actus.

43. Inquires secundò. Accepta ritè communione, post illam adverto, me indigere, vomitum provocare: quandonam licet?

Respondeo. Licere post horam regulariter, quia tunc sacræ species sunt jam digestæ, seu immutatæ.

44. Dixi (regulariter) nam si advertas, venenum sumpsisse in sacris speciebus, vel vino ablutionis, vel aliunde, poteris statim evomere, quia benignus Dominus mortem communicantis non vult. De illis speciebus fiat, quod modò dictum est n. 41.

45. Quare si statim peracta communione incidas in febrim, & Medicus, vel expertus te consulat, te repletum e. g. ex cibo externo indigere vomitu; puto distinguendum: nam in casu, quo timeres mortem, vel gravem morbum, evomere statim posses, quia humor ille vicem haberet veneni: Secus, expectanda est hora. (Quod regulariter faciendum erit,) quia tunc tantum periculum non adest.

46. Quoad tussim, ut etiam spuendi frequentiam, sic habes. Materia, quam post communionem expuis, quando descendit in os ex cerebro, qualis est saliva ordinaria, nihil nocet: quando autem ascendit ex immo pectore, ut accidit aliquando; nihil item nocebit, si materiam illam expuas post receptam Sacram Hostiam in stomacho: secus, si adhuc hæreret in gutture.

47. Sed quæres, quamdiu jure timebo, quòd ibi hæreat?

Respondeo. Certè sufficere illud tempus, quo posset recitari dimidium Salutationis Angelicæ (nisi anima in aliquo moribundo, quasi sit in labiis) ait Gobat, *casu 11.* addens: cavendum tamen esse, ne circumstantibus simus scandalo: & insuper decere, sputum sudariolo excipere, si intra quinque Pater & Ave spuendi te ardor invadat.

48. Sed horrenda est tussis mea?

Respondeo ex eodem. Si tussis est sicca, nihil angaris: si flegmatica, cohibe te saltem per duo Pater & Ave; vel deglutias, quod de gutture in os ascendit? vel si nequeas, excipe sudariolo, ut dictum est: nisi clarè constet, Hostiam in gutture, vel in dentibus hæsisse, id quod non solet post dimidium Salutationis Angelicæ, ut diximus.

CAPUT VIII.

Qua necessaria dispositione spirituali communicandum?

1. AD dignam Communionem requiri statum gratiæ, saltem prudenter existimatum, id est, quod communicaturus bona fide existimet, se esse sine labe peccati mortalis; nimis certum est inter Catholicos, juxta illud illud Apost. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.*

2. Habemus deinde à Tridentino *sess. 13. c. 7.* sequentem dispositionem: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa confessione Sacramentali ad Sacratam Eucharistiam accedere audeat, etiam Sacerdotes, modò non desit illis copia Confessoris. Quodsi necessitate urgente, ante præviam Confessionem celebravit, quamprimùm confiteatur.*

Circa, quæ quatuor sunt à nobis in sequentibus quæstionibus declaranda. Primò, quæ pertinent ad statum gratiæ. Secundò, quæ ad necessitatem urgentem. Tertio, quæ ad carentiam Confessoris. Quartò, quæ ad Confessionem, quàmprimùm faciendam.

Quæ pertinent ad statum gratiæ.

De negativè dubio de suo Peccato.

3. INquires primo, an qui dubius est negativè, an mortaliter peccaverit, seu, an mortali sit gravatus, possit communicare sine prævia confessione ejusmodi peccati? Tunc autem dubitat quis negative de suo peccato, quando nec certitudinem habet, nec probabilitatem, illud commisisse, consensum e. g. præbuisse turpi cogitationi; sed nec habet certitudinem, nec probabilitatem non commisisse; quomodò solemus dicere, nos dubios esse, an paria sint, an imparia arenæ matis grana.

4. Respondeo. Sanchez, Bonatina, & Diana, aliique, quos citat, & sequitur Leander *tract. 7. disp. 6.* docent, non posse: sed priùs debere, te illud dubium peccatum confiteri, & ab illo absolvi. Ratio est, inquiunt, quia ante communionem debemus Confessario manifestare omnia peccata, quæ suo tempore, etiam præscindendo à futura communione, teneamur confiteri; atqui suo tempore tenemur peccata dubia fateri, ergo ea confiteri opus est ante communionem.

5. Henriquez verò, Granado, Sà, aliique apud eundem Leandrum, quibus adde Caramuelem *in Theolog. fund. 1331.* docent, non teneri, nos confiteri peccata dubia ante communionem, satisque esse, si ea suo tempore confiteamur. Id quod addunt, ut effugiant illam quæstionem, an peccata dubia teneamur confiteri; esto enim, inquiunt, teneamur suo tempore confiteri, at non tenemur ante communionem. Ratio est, ajunt, quia Tridentinum *loco cit.* solùm obligat ad confitendum illud mortale, cujus sibi quis sit conscius. Et *Can. 11.* obligat eos ad Confessionem, quos gravat conscientia peccati mortalis; sed qui dubitat,

non

non est conscius peccati moatalis, nec eum gravat conscientia, id est, scientia peccati mortalis; ergo.

6. Monent tamen Authores ejus posterioris sententiæ, omninò esse necessarium, si in fine vitæ incidas in peccatum dubium post ultimam confessionem, te debere, vel actum contritionis elicere, vel novam confessionem præteritorum facere; ut nimirum certò absolvatur indirectè illud peccatum dubium; si fortè coram Deo certum mortale sit: (nam per sumptionem Eucharistiæ non est certum, sed solùm probabile, remitti per accidens mortalia) ut rectè Fagundez *Præcepto Eccles. c. 4. n. 6.*

7. Ex his duabus sententiis ego hanc posteriorem concedo scrupulosis; quos communiter nosco, agnoscere peccatum, ubi peccatum non est. Illam verò priorem in praxi suadeo cæteris.

De eo, qui confessus est peccatum, & dubium?

8. AN qui peccatum suum confessus fuit, ut dubium, si deinde advertat, fuisse certum, deceat illud ante communionem, ut certum, confiteri.

9. Respondeo. Doctrinam Dianæ *part. 9. tract. 6. resolut. 6.* esse multorumque aliorum probabiliùs censentium, hunc debere peccatum illud confiteri, ut certum, ante communionem: tamen contraria sententia docens, hanc obligationem non adesse, habet multos Doctores, probabiliter sentientes non obligari. Ratio prioris sententiæ est, quia ante communionem debent Fideles ex Tridentino modò allato omnia peccata, quorum quis est conscius, confiteri. Ratio posterioris est, quia is jam confessus est sufficienter ante communionem illud peccatum.

10. Hanc posteriorem sententiam improbat Thomas Hurtadus *tract. 12. mor. cap. 1. dub. 8.* & nimis excedit in ejus censura. Verùm qui optat hujus posterioris sententiæ confirmationes plures habere, legat Ferantin. *de scandalo disp. 1. q. 77.* quorum nos mentionem fecimus *in dict. tract. de Confessione c. 9. num. 24.*

De eo, qui ante Communionem recordatur alicujus peccati oblitis in Confessione.

11. INquires tertiò. An qui ritè confessus est sua peccata, sed ante Communionem recordatur, se jam oblitum fuisse alicujus peccati mortalis, certò à se commissi; an, inquam, obligetur, hoc peccatum oblitum fateri, antequam ad Communionem accedat?

12. Respondeo, & quidem antea advertendum est, huc non adduci quæstionem illam, an ejusmodi peccatum oblitum obligetur Fidelis suo tempore fateri; hoc enim certum est, quia, ut supra innuimus, omnia peccata mortalia obligantur subdere clavibus, sed nostra dubitatio in eo versatur: An is, qui peccata sua bona fide confitetur, & ritè dolet ex motivo modò dicto universali, cadente etiam in oblitum, quo pacto illud peccatum indirectè absolutum fuit, & homo consequenter positus in gratia, inquam, is possit licitè Eu-

Eucharistiam sumere, & postea suo tempore illud peccatum, de novo rememoratum, clavibus subdere?

13. Respondeo ad quæsitum. Ferrantinus *cit. tota quæst. 8.* dicit, esse probabile, non adesse hujusmodi obligationem, satisque esse, si postea suo tempore. Ratio principalior est, quia ideo confessio præmittitur, ut pœnitens statum gratiæ acquirat: hic autem jam per confessionem prædictam gratiam sanctificantem obtinuit, ergo alia ad id pro modo non indiget; & ex alia parte jam servavit præceptum Tridentini de præmittenda confessione ante communionem; quia is præmisit confessionem, licet in ea oblitus bona fide sit alicujus peccati. Pro hac sententia hic Author affert Corneio, poterátque etiam adducere Reginaldum, & Præpositum; quos, eos non sequens, citat Diana *p. 9. tr. 7. res. 4.*

15. Verùm non est audiendus, tùm quia, ut notat De Lugo *disp. 14. de Euchar. à. n. 127.* obstat praxis Fidelium, ex qua colligitur præceptum de præmittenda communioni confessione, non esse solùm de ea præmittenda integra formaliter, & bona fide; verùm etiam (postquam advertimus) materialiter: tum quia opinionem illam primam, quam secutus est Ferrantinus, fuisse expunctam, refert Campensis apud Dianam loc. cit. tum ab Indice Expurgatorio Inquisitionis Hispanicæ; tum per edictum peculiare ab eadem Inquisitione fuisse reprobatam: tum denique in ordinationibus pro studiis Soc. Jesu mandatur, ne hujusmodi opinionem in nostris scholis doceamus.

De Communicante cum pluribus; vel cum gravioribus peccatis.

15. INquires quartò, graviùs ne peccat, qui communicat cum multis, quàm cum uno mortali; vel qui cum enormioribus, quàm qui cum minùs enormibus.

Respondeo sine dubitatione graviùs, quia magis indignè. Verùm quia hæc majoritas non affert speciem diversam peccati (semper enim est sacrilegium circa reverentiam Christo Domino debitam;) ideò in Confessione non est necessariò explicanda, sed satis est dicere: indignè communicavi. Sicuti simile quid asserimus de communicante post assumptum cibum; neque enim opus est explicare, an post assumptum lautè cibum, an parcè, cùm sufficiat, sic fateri: *Non jejunus communicavi.*

16. Subinquires, si quis non jejunus communicavit, quod est contra præceptum humanum Ecclesiæ, & idem gravatus culpa mortali, quod est contra præceptum Divinum de Cultu debito Christo Domino, duo ne peccata commisit, separatim in Confessione explicanda?

17. Respondeo. Duo separatim explicanda docet Suarez *disputatio 66. de Euchar. sect. 1.* quia sunt duæ deformitates. At Caspar Hurtadus *disput. 9. de Euchar. diff. 1.* quem sequitur De Lugo *disp. 14. citat.* satis probabiliter docet, esse unum peccatum, quia quoties præcepta multiplicantur ex eodem motivo, culpa contra ipsa non multiplicatur; Cùm ergo idem sit motivum illo-

illorum duorum præceptorum humani, & divini, nempè debita reverentia DEO, unum erit peccatum, quod hoc, vel simili modo explicabis : *indignè graviter communicavi.*

18. Quid, si ita confitereris : *Aliquod Sacramentum suscepi indignè*, sufficienterne satisfacerem Sacramento Confessionis ?

19. Respondeo non satisfaceres, quia juxta S. Thomam *3. q. 9. 8. art. 5.* sacrilega comunio injuria afficit ipsammet humanitatem Christi, habetque aliquam similitudinem cum scelere, quo Judæi ipsum crucifixêre, & quo nefarius quispiam projiceret ad canes, vel in loca sordida Evchariſtiam, quæ certè immediatio injuriæ facit diversam speciè culpam ab ea, qua quis indignè recipit alia Sacramenta ; in qua receptione non adest dicta injuriæ immediatio.

20. Hinc obiter colligo cum eodem D. Thoma, hoc peccatum communicandi cum mortali esse atrocius, quàm quodlibet peccatum contra homines admissum ; quia nimirum est circa ipsam Christi hummanitatem immediatè ; non tamen esse atrocius peccato odij DEI ; vel peccato, quo negetur DEUS ; per hæc enim ipsa divinitas immediatè offenditur, per illud verò immediatè humanitas.

21. Hoc, quod colligo ex S. Thoma approbat Vasquez, Gaspar Hurtadus, alijque contra Suarez & Fagundez citatos à Delgadillo *cap. de Eveh. dub. 9.* putantes, aliquod peccatum contra homines, e. g. homicidium, esse atrocius, quia affert damnum irreparabile ; sed hi non placent, ut videre est apud Delgadillo *loc. cit.* quia atrocitas non attenditur ex damno illato, sed ex injuria offensi.

De accedente ad communionem cum veniali.

22. INquires quintò. Accedere ad Evchariſtiam cum peccato veniali, est ne peccatum veniale ? Non esse peccatum mortale omnes sciunt.

Accedere ad communionem cum veniali, duplici modo, quantum facit ad nos, esse potest. Primò, si quis comitanter, id est, comitatus, seu infectus veniali actuali peccato accedat e. g. si dum actu retinet voluntatem mentiendi jocosè, communicat. Secundò, si quis, cùm aliqua, vel multa venialia commiserit, de illis nequaquam displicens, communicat.

23. Utroque modo ad communionem accedere, non esse peccatum veniale, tenet Vasquez *de Evchariſt. disp. 207. num.* 18. quia peccatum veniale non impedit gratiæ effectum producendum ex opere operato ab Evchariſtia, ut omnes Theologi tenent : venialis enim culpa, gratiæ, & amicitiæ DEI non opponitur ; & ex alia parte, quamvis melior, & devotior esset dispositio accedere sine ullo veniali ad communionem ; tamen Fideles non obligantur ad illam afferre omnem devotionem, & dispositionem ipsis possibilem, sed solùm ex Tridentino immunitatem à mortalibus.

24. Esse veniale, tenet de Lugo *de Evchariſt. disp.* 14. *num.* 31. citans Suarez quia aliqua irreverentia est, cum

cum ejusmodi maculis, quamquam levibus, ad divinum hoc convivium intrare.

25. Sed certè hoc ipsum debuisset de Lugo probare, quòd scilicet Fideles obstringantur sub veniali, maculas illas exiguas ad communionem non afferre.

Communicare cum mortali, an aliquando possit sine Mortali?

26. INquires sextò. An sit aliquis casus, in quo sine mortali possit quis cum mortali communicare?

Respondeo: esse casus duos, alterum mihi, & omnibus certum, alterum aliquantulum controversum.

27. Primò enim, si irruente infidelium turma, vel ex incendio, aut simili eventu timeretur Sacræ Evchariſtiæ contemptus, vel irreverentia; tunc Fidelis quicunque etiam laicus, si præsto nequaquam sit Sacerdos, nec in illa subita irruptione, vel incendio valeret, se conterere; posset, immò deberet, quamvis peccato mortali sordidatus, ad evidandam injuriam, vel combustionem tanti Sacramenti, illud sumere: idque etiam si jejunus non esset. Ratio tantæ licentiæ est ipsa eadem reverentia Sacramento debita: cujus ratio vincit illa præcepta, si moraliter hæc in illis angustijs servari nequeant. Ita Dicastillus *disputat. 9. de Evchariſtia num* 6.

28. Secundò est controversum, an si Sacerdos, incepta bona fide missa, recordetur, se peccato mortali gravari, & quamvis conetur, non posset, seu experiretur sibi actum contritionis, quem tunc elicere omninò deberet, esse valdè difficilem; & ex alia parte inchoatum sacrificium relinquere, vel interrumpere, ob notabilem infamiam sibi resultantem, esset difficillimum; an, inquam, sit probabile, hunc non peccare quamvis gratiam non acquirat, si missam prosequatur cum eo dolore, & displicentia, quam tunc elicere posset? Esse probabile, aliqui censent: quia cum tanto dedecore non obligatur Sacerdos ab incepto sacrificio desistere:

29. Immò de Lugo mox citandus cum nonnullis idem extendit ad laicum, si occurrat, eum recordari peccati mortalis, dum est ante linteum, si non facilè, se conterere, nec sub aliquo prætextu se submovere valeat ab altari. Ita Valquez *de Evchariſt. disp. 207.* Caspar Hurtadus *disp. 9. de Evchar. diff 1.* dictus de Lugo *de Evchariſt. disp 9 n.1.* Ita etiam Delgadillo *cap. 3. de Evchar. numer* 101. sed addens, fortè casum esse metaphysicum, quia quoad praxim semper adest tempus se conterendi.

30. Addit Granadus cum alijs apud Dianam *p. 9. tract. 3. resolut. 21.* sufficere ad hoc metum admirationis populi, cùm hoc non soleat esse sine suspicione peccati. Verùm negat Suarez apud Dianam, sufficere solam admirationem populi; nam ea subtractio non affert suspicionem peccati, sed solùm suspicionem timoratæ, & scrupulosæ conscientiæ. Si tamen ex circumstantijs verè timeretur gravis populi admiratio (quia gravis hæc admiratio semper est conjuncta cum periculo

murmurationis, & infamiæ; siquidem facilè homines accipiunt occasionem temerè judicandi, & detrahendi) erit sufficiens causa etiam per ipsum Suarium, addentem, hanc gravem murmurationem ex admiratione populi, moraliter loquendo, sæpè contingere: immò semper, ait Delgadillo *loc. citat. 13. num. 129.* adducens Leandrum *disp. 7. quæst. 15.* aliosque contra Dianam *part. 9. tract. 3. resol. 20.* alios citantem; à quo Leandro non dissentio, si notetur illud (populi:) nam in Oratorio privato, vel solitaria Ecclesia aliquid ampliùs requiro, ut prudenter timeri debeat occasio illa detrahendi, & judicandi.

Quæ pertinent ad necessitatem urgentem, hoc est, quænam illam pariant?

31. INquires septimò, quinam sunt casus, in quibus residet tanta necessitas, ut Sacerdoti, qui peccato mortali gravatur, liceat Missam celebrare, & Communionem consequenter sumere cum contritione, vel actu amoris DEI super omnia, deficiente Confessario, sine prævia confessione, & consequenter illi liceat non observare grave præceptum hoc Tridentini, de præmittenda confessione communioni, quod aliqui præceptum Ecclesiasticum esse dicunt, aliqui divinum?

Respondeo apud DD. invenio sequentes.

Primum, cùm Sacerdos quicumque, deficientibus hostiis consecratis, ac deficiente alio Sacerdote, fortè constitutus in gratia, debet consecrare, & consequenter communicare, ad dandum Viaticum moribundo, sive hic moribundus sit alius, sive sit ipse Sacerdos. Lege Dianam *p. 9. tr. 3. res.* 17.

Secundum, quando Sacerdos quicunque rogatur ab aliquibus die festo, non habentibus alium, qui eis satisfaciat.

Tertium, quando idemmet Sacerdos deberet die festo carere Sacro.

Quartum, quando idem deberet omittere communionem Paschalem.

Quintum, quando eidem offertur stipendium pro celebrandis missis.

Sextum, quando ratione Cappellaniæ tenetur Sacrum facere.

Septimum, quando sine nota infamiæ omittere Sacrum nequit.

32. Ex his casibus primus, & ultimus sunt certi, & sine ulla controversia, semper, ut supponi omninò debet, deficiente Confessario: alij sunt sub opinione, & certè ego casum quartum, in quo Fidelibus concederem communionem, ut scilicet in tanta solemnitate, tantoque præcepto Eucharistia reficerentur, approbo, alios omninò excludo. Esto Delgadillo *cap. 3. de Euchar. n. 128.* alijque ab ipso citati benigniùs loquantur cum Leandro *tract. 7. de Sacramentis quæst. 14.*

Actum verò contritionis, sive amoris DEI super omnia satis erit, si dictus Sacerdos eliciat immediatè ante consecrationem, vel si suum peccatum advertit fortè post consecrationem, satis erit illum elicere immediatè ante communionem. In utroque casu sufficere immediatè ante comunionem, inclinat Delgadillo *loc. cit. n. 171.* sed non placet.

33. Hic nota, duas illas, primam, & ultimam, necessitates, militare etiam in Sacerdote excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, qui poterit in his duobus casibus celebrare contritus, atque adeò cum proposito exposcendi absolutionem suæ censuræ, si caret Confessario, seu potente illum absolvere. Ita Vasquez *de Eucharist. disp. 108.* quem sequitur de Lugo *disp. 14. num.* 104. notatque Vasquez, se non invenire differentiam in hoc, inter habentem mortale, & habentem excommunicationem. Immò hæc (ait) deberet afferre minus impedimentum, quia est de jure humano; illud majus, quia est de jure divino.

34. Dixi, duas illas necessitates; nam cæteræ omnes nullo modo sufficiunt: quia, in ijs non multum gravibus necessitatibus, Ecclesia affectos illis censuris omninò repellit ab altari, etiam, immò magis in Paschate ob terrorem aliorum.

Explicatur magis caput dictum ex infamiæ nota.

35. ID meliùs explicari non potest, quàm discurrendo per tres casus huc pertinentes.

Primò enim, si Sacerdos recordetur, se esse in mortali, sive, dum est in altaxi, sive ante, vel post consecrationem, potest contritus (an aliquando sine contritione *dixi num.* 27. & deinceps) prosequi, quia tunc recedere ab altari esset cum periculo infamiæ: adde, & esse irreverentiam; nam propterea S. Bonaventura apud Coninch. *de Euch. quæst. 8. artic. 3. dub. 2. num. 16.* ait, inchoatam missam semper esse perficiendam, quia ferè nunquam solet omitti sine scandalo, adde, & sine irreverentia.

36. Secundò, si quis ad altare ante linteum communicaturus mortalis culpæ recordetur, & recedendo incideret in periculum infamiæ, communicet cum contritione: (an aliquando etiam non contritus *dixi n.* 27. & deinceps.) Hoc autem nota periculum, si coram multis communicet, moraliter semper timeri posset; sed ex circumstantijs colligendum, an futura sit admiratio dumtaxat, an etiam periculum scandali, gravis notæ juxta modò dicta *num.* 30.

37. Tertiò, si vocetur Sacerdos, sacram hostiam ferens ad infirmum, communicandum, qui dicat, se velle priùs confiteri, sed is inveniatur multoties pœnitentiæ Sacramentum invalidè suscepisse, vel quid simile; unde Confessarius brevi illum expedire, & absolvere nequeat, & aliunde mors timeatur superventura, notámque infamiæ orituram, si non communicet, poterit tunc Confessarius aliquod peccatum audire, & contritum absolvere, vel saltem attritum per dolorem cadentem super omnia alia peccata pari modo absolvere, & sacram hostiam eidem edendam porrigere imponendo ipsi, ut advocet deinde, si poterit, Confessarium, coram quo Confessionem perficiat. Quando autem mors non timetur tam citò superventura, tamen eadem nota infamiæ oritura crederetur, poterit pari modo, vel contritus communicare; vel, si contritio propter ejus difficul-

ficultatem non facilè eliciendā timeretur, poterit, sed attritus modo dicto, fateri aliqua peccata, & communicari cum pari promissione, advocandi postea Confessarium, ut Confessionem perficiat; id enim concedit pius Dominus, ut infamia vitetur, sicuti ex supra dictis confirmari potest. Lege Dian. *p. 11. tr. 8. resol. 85. in fine* & Zambr. *de Sacr. Panit. tr. 4. n. 6.*

38. Nota iterum, iterumque in omnibus casibus, in quibus potest quis contritus communicare, remanere semper (ut jam dictum est) onus subdendi peccata Confessario, quando illius aderit copia, vel certè suo tempore, ut explicabo *num.* 53.

39. Quæres, Sacerdos, qui celebrat, & Laicus, qui communicat, non præmissa confessione mortalium, cùm possint, committúntne peccatum duplex; unum scilicet, quia indignè communicant; alterum, quia non servant præceptum dictum Tridentini?

40. Respondeo, non committere duplex peccatum, quia ejusmodi præceptum de præmittenda confessione non est propter ipsam, sed ipsa propter Evchariſtiam; unde non est tam positivum, quàm negativum de non accedendo ad Evchariſtiam, absque hac probatione, & consequenter solùm committitur unum peccatum indignæ communionis. Ita Delgadillo *cap.* 3. *de Evchar. num.* 189. cum Diana *part.* 9. *tr.* 3. *resol.* 32. & simile quid nos diximus supra *cap.* 8. *num.* 17.

Quæ pertinent ad carentiam Confessarij, quandonam ea esse?

41. INquires octavò. In quibus casibus censendum est, copiam non adesse Confessoris?

24. Respondeo. In casibus sequentibus. Primò, quando nullus Confessor haberi potest prorsus; vel si adsit, nolit, aut non possit, te audire. Idem dic, si alterius sit idiomatis; nam propterea DD. dicunt, Fideles non habere obligationem confitendi per interpretem; & aliqui id affirmant, sanè probabiliter, etiam in fine vitæ cum Diana *p.* 9. *tr. resol.* 10. sed tunc, si gravaris mortalibus, debes conteri, ne de æternitate pericliteris.

43. Secundò. Quando Confessarius est multum distans. At quanta distantia?

Respondeo. Alij existimant distantiam trium milliarium parere inopiam Confessarij, alij minorem. Vera sententia est illorum, qui asserunt, id relinquendum esse prudentis arbitrio; huic enim imbecilli difficillimum erit, convenire Confessarium duobus milliaribus, vel etiam uno, distantem, huic autem robustiori facillimum, & multò magis si potes, te providere de jumento, quo equitare per plura milliaria, non paucis est voluptuosum, ne dum solùm non molestum.

44. Tertiò. Quando quis habet in promptu Confessarium unicum, cum quo habet rixas notabiles. Ita Leand. *disp.* 7. *cit. q.* 30.

45. Sed quid primò, si sperem, brevi me habiturum Confessorem, coram quo devotius confitear, possúmne judicare, me carere Confessario?

Certè non potes; neque enim hæc videtur causa sufficiens, quia nulla in hoc casu apparet necessitas, ne moralis quidem, quæ moralis apparet in eo, qui cum Confessario habet graves rixas.

46. Quid secundò, si habeo Confessorem, cui possum ex privilegio confiteri? possúmne judicare, me carere Confessario, quia nunc mihi meus ordinarius deest? Dico, te non posse judicare, tibi Confessarium deesse, quia consolatio, quam speras à tuo, non est necessitas.

47. Quartò, quando Religiosus laborat peccato, vel excommunicatione reservatis, & non potest recurrere ad Superiorem potentem illum absolvere, habet tamen copiam Confessarij ordinarij, potentis absolvere ab aliis mortalibus non reservatis; nam tunc diceretur dicto Religioso deesse Confessarium, unde poterit in aliqua ex illis duabus necessitatibus allatis n. 32. cum contritione communicare, semper cum onere ea peccata confitendi, quando aderit copia potentis illum absolvere. Ita Vasquez aliique apud de Lugo *de Euchar. disp.* 14. *num.* 48. Vide omninò ea, quæ ego dixi *in opusc. de Communione c.* 1. *toto* §. 6.

Quæ pertinent ad illud Tridentini, Quamprimum.

Status quæstionis explicatur.

48. QVòd Fideles omnes, etiam non Sacerdotes, obligationem habeant fatendi legitimo Confessario omnia sua peccata mortalia, nondum ab illis directè absoluta, nõ est hîc, neque dubitatio, neque disputatio; certum enim est hoc, idque ex vi institutionis Sacramenti Pœnitentiæ, per quam institutionem omnia peccata mortalia sunt absolvenda ab habente jurisdictionem. At quandonam Fideles obligantur, hanc absolutionem petere? Certè suo tempore, hoc est, vel semel in anno, vel ante Communionem, vel (si ante habita non est) in fine vitæ.

Id igitur, ut dico, non disputamus; sed hîc quærimus, an dispositio Tridentini, qua non quidem omnes Fideles, sed solùm Sacerdotes obligavit, quamprimum confiteri in eo casu, quo propter indigentiam Confessarij, urgente necessitate, supra explicata, contriti Missam celebrant, an, inquam, ea dispositio obligationem aliquam inducat?

Sub qua obligatione Sacerdotes Prædicti confiteri quamprimum debeant?

49. INquires ergo nonò, an sub obligatione mortali, an sub veniali, an sub nulla?

Respondeo. Suarez, Vasquez, aliique permulti cum Joanne Sanchez *disp.* 31. *num.* 102. & communiter Theologi aiunt,

aiunt, sub obligatione mortali. Petrus Ledesma *de Eucharist. part. 1. cap. 11.* & Villalobos *in Summ. part 1. tract. 7. diff. 37.* & Delgadillo *cap. 2 de Eucharist. dub. 29.* alios citans, aiunt, vel sub nulla, quia hoc Trident. est solùm consilium; vel sub veniali: quia si hoc præceptum est, sanè de re parva: quid enim magni habet, quod qui contritus celebravit, unde nunc sit in statu gratiæ, debeat cum tanto rigore sub pœna peccati mortalis hodie, & non cras, vel postridie, vel postea præcepto huic confitendi satisfacere, dummodo suo tempore satisfaciat?

50. Prior sententia est omnino approbanda; nam posteriorem condemnavit Alexander VII. dum cum cæteris propositionibus ab ipso condemnatis die 18. Martij 1666. adest hæc 39. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali est consilium, non præceptum.*

51. Hoc autem præceptum de quamprimum confitendo, cadit solùm super Sacerdote, qui non ex alio capite, sed solùm ex necessitate urgente, Missam celebrat, ut jam explicatum est, non autem cadit super Sacerdote, qui ex oblivione, vel ex ignorantia, immò etiam ex mera malitia sic operatur, ut rectè docet Suarez contra Navarrum, quia Tridentinum loquitur solùm ex causa urgentis necessitatis, & deficiente Confessario.

52. Rursus non cadit super Sacerdote, laicè, fortè, urgente necessitate, communicante; quia expresè Tridentinum restringit suam dispositionem ad Sacerdotes, Missas sic celebrantes. Legite Joannem Sanchez *disp. 32. n. 24.*

Quantum Temporis importet illud, quamprimum?

53. INquires decimò. Quantum est hoc quamprimum?

Respondeo. Aliqui putant, nullum importare tempus, sed statim, ac quis post celebratum Sacrum habuerit occasionem confitendi, confiteatur. Alij putant intra triduum; nam quamprimum, seu illicò, significat idem, quòd post triduum in jure. Fagundez autem, ait, *quando Sacerdos rursus facere Sacrum velit.* Authores, & Fundamenta harum opinionum legi poterunt apud Delugo *disp. 14. de Eucha. sect. 7.* & Dianam *p. 9. tr. 3. resol. 22. & 23.* advertendo, prædictam sententiam Fagundez damnari à modo dicto Alexandro, his verbis: *Illa particula (quamprimum) intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

CAPUT IX.

Qua congruenti dispositione spirituali communicandum?

1. DE communicante cum peccato veniali diximus supra *cap. 8. num. 23.* Nunc autem

Inquires primò. An requiratur ad ritè communicandum actualis devotio, hoc est, an in ipso communicandi actu requiratur, cogitare divina, vel ad illa se sanctis actibus, & affectibus commovere?

2. Re-

2. Respondeo. Tametsi ob reverentiam Christo Domino debitam ea sit maximè optanda ; tamen dico primò, involuntariè cogitantem tunc indifferentia non frustrari effectu Sacramenti, dummodo sit in gratia, & ne peccare venialiter quidem, quia ubi voluntas non est, culpa non est.

3. Dico secundò. Si voluntariè, id est, si quis per voluntariam distractionem intendat ad res temporales indifferentes, venialiter peccare, quidquid dicat Joann. Sanchez *disp. 21. num. 21.* docens, non esse peccatum ullum. Ratio nostra est, quia recipere Christum Dominum, tanquam hospitem, dum ad alia omnia volens attendit, & non ad ipsum, vel ad ipsius res, certè irreverentia est, nam sumere sactam hostiam, non est solùm, ut putat Joan. Sanchez, manducare, sed est etiam recipere tantum hospitem.

4. Dico tertiò. Cogitantem tunc res malas graviter, illas cogitationes ita admittendo voluntariè, ut mortaliter peccet, ultra peccatum commissum ex objecto malo cogitationis, e. g. ultra peccatum luxuriæ, si turpia tunc voluntariè is cogitet; dico, inquam committere aliud specie differens peccatum, nempè sacrilegium, hoc est, peccatum contra reverentiam Christi cultui debitam, & quidem distinctè manifestandum Confessario, ita ut non sit satis dicere : peccavi, admittendo cogitationes malas de muliere saluta, e.g. sed necessariò addendum, idque in ipso actu, quo communicabam. Lege Diana *p. 11. n. 8. resol. 58.* in simili. Vide item, quæ dicam infra *cap. 13. num. 8. & quæ supra dixi in tract. de Confess. cap. 16. num. 26.*

Communicare eo die, quo quis peccavit, quo pollutionem, quo copulam habuit.

5. INquires octavò : An eodem die quo quis peccavit mortaliter, deceat (certè post legitimam confessionem) communicare? Quid si præcedente nocte pollutio præcesserit?

Hæc, & his affinia in sequentem modum distingue. Certum est primo, eodem die, quo quis graviter lapsus est, posse sine peccato, præcedente confessione legitima, communicare, quia is jam habet, quod necessario requiritur ad recipiendam Sacram Evchatistiam, nempè statum gratiæ. Vide tamen, quæ mox afferam *à n. 7.*

6. Certum est secundò, pollutionem involuntariè præcessisse, non esse impedimentum, nec impedire communicare volentem, quia jam supponimus, per illam, hominem gratiæ statum non amisisse. Immò notat Delugo *disp. 15. de Evchar. à num. 9.* cum aliis, benè affectos circa spiritualia nunquam debere, ob hanc involuntariam pollutionem, communione privari, nisi fortè rarò, quando quis vehementer propter pollutionem illam distraheretur à divinis, quod sanè, quando ea est in voluntaria, esse difficile, puto.

7. Certum est tertiò, pollutionem voluntariam, ut etiam copulam illicitam, tibi impedimento esse debere, communicandi eo die culpæ commissæ, quamvis illius absolutionem fueris con-

consequutus ; licet enim in rigore possis, ut modò dixi n. 5. in sententia aliquorum apud Delgadillo *cap. 2. de Eucha. num. 172.* & nulla culpa, ne venialis quidem sit; nihilominus reverentia tanto mysterio debita, & verecundia à tuo peccato concepta, te ab illo congruit removere. Unde meritò in rubr. Missal. de dispositionibus ex parte corporis, præcipitur Sacerdoti, qui habuit pollutionem peccaminosam mortaliter in somnis, ut pro illo die non celebret : esto solùm id esse consilium, meritò dicat ibidem idem Delgadillo.

8. Excipe, nisi magnus esset tuus dolor, & Pœnitentia Sacramentalis præmissa ; vel nisi cogaris propter notam, quam incurreres ; vel esset festum solemne, vel Jubilæum, vel quid simile, præmissa semper Confessione.

9. Quod dictum est de peccaminosa pollutione, dic de quocumque mortali eodem die, vel nocte ante communionem patrato. Sed notant DD. majorem oppositionem intercedere inter peccata turpia, & purissimum hospitem Christum, quàm inter alia peccata ; quia turpia magis distrahunt, & magis opponuntur puritati Carnis Domini.

10. Certum est quartò : Copulam licitam inter uxoratos regulariter non impedire communionem, neque enim est repellendus à Sacramentis, qui copulam (maximè reddendo) opus scilicet justitiæ peregit, ut non repellebantur Fideles uxorati in primitiva Ecclesia, quos post licitam copulam sæpè communicasse, quia communicabant quotidie, valdè credibile est. Ita quidem in rigore ; Verùm ob reverentiam, consulendi sunt, ea die, qua communicare velint, ut abstineant à copula, idque in reverentiam puritatis ejus, quem suscepturi sunt. Dixi (*Consulendi*) quod enim multi Canones prohibuerint communionem post dictam licitam copulam, id ex consilio prohibuerunt, eandemque prohibitionem multi SS. Patres etiam inculcaverunt, sed certè nonnisi ex magno zelo reverentiæ, & magno amore pudicitiæ, ut latè probat Delgadillo *loc. cit.* & Joan. Sanchez mox citandus.

11. Subinquires, si quis copulam licitam exegit ob meram delectationem, peccatne saltem venialiter, si eo die communicet ?

12. Respondeo, etiamsi conjux tunc peccasset venialiter, quod certè aliqui apud Joan. Sanchez *disp. 23. n. 25.* affirmant, quidquid alij in contrarium, tamen non peccaret nunc in communicando, ut ex supradictis de accedente ad communionem cum veniali *cap. 8. à n. 23.* satis patet.

13. Illud nota, majus periculum esse peccati venialis in eo, qui ob voluptatem debitum petit ; quàm in eo, qui ob alios honestos fines, quia magis distrahit mentem à divinis amor boni delectabilis ; quàm boni honesti.

CAPUT X.

QUA

Corporali dispositione Communicandum?

Menstrua an impediant Communionem?

1. INquires primò, an mulieri fluxum sanguinis, vel menstruum patienti, aut statim post partum, liceat communicare?

2. Respondeo licere, quia in his passionibus, nec ullum reperitur peccatum, nec irreverentia: & quamvis Suarez *de Eucharist. disp. 68. sect.* 2. putet, tunc communicare, venialem esse culpam, quia est aliqua tunc indecentia; unde antiquitus fuit prohibita communio intra aliquod dierum spatium fœminæ post partum; item post matrimonium, ejusque consumationem; item dum erat in menstruis; tamen nos id non putamus: tum quia nulla tunc indecentia moralis reperitur, sed solùm physica, quæ in re nostra non attenditur; tum quia antiqua prædicta prohibitio jam usu contrario abrogata nunc est. Ita Deldadillo *de Eucharist. cap. 3. num.* 83. citans Leandrum, & alios.

An lota facie, & manibus Communicandum?

3. INquires secundò, an culpa sit, non lotis manibus, & facie, communicare.

4. Respondeo nequaquam culpam esse; quia, quamvis Sacerdos, qui, celebrando, tangere sacram Hostiam immediatè debet, manus debeat lavare; non tamen laicus, qui alienis manibus communicat tantùm; unde meritò nullum de hoc præceptum adest, cùm nulla hìc irreverentia timeatur.

5. Dices: At Granadus, quem citat, & approbat Leander *tractat. 7. disp. 6. quæst. 3.* sic habet: *Non licet manibus celebrare, aut non ablutæ faciei ad Eucharistiam accedere, viri docti dicunt esse peccatum veniale, si advertenter fiat, quia est contra reverentiam tanto Sacramento debitam; unde S. Augustinus serm. 244. Erubescimus, inquit, ac timemus, Eucharistiam manibus sordidis tangere*; Hæc ille.

6. Verùm optarem, doctos hos viros, quæstiones duas non immiscuisse; fateor enim, esse irreverentiam tangere Eucharistiam manibus sordidis, de quo tactu loquitur S. August. at facie non ablutâ, & non ablutis à laico manibus ad Eucharistiam accedere, irreverentiam sapere, nequaquam fateor.

7. Nota insuper, illud (ablutis manibus) quod præcipitur in rubricis, initio Missalis positum, intimari Sacerdotibus, non laicis: & tamen addo, si Sacerdos manus habeat mundas, nulla culpa peccaturum, si absque ablutione manuum celebret; rubrica enim solùm manuum munditiem requirit, non verò materialem lotionem; quòd si plus requirere contendas, consilium erit, ac mera directio, sed nil præterea.

Ornatus

Ornatus corporis, ejus, qui communicat.

8. INquires tertiò, an cum aliquo vestium ornatu sit communicandum?

9. Respondeo: Ut omittam necessitatem, quæ Sacerdotes obstringit ad vestiendas sacras vestes, sub quibus celebrent, de hac enim re agitur in tractatu de Missa, tribus dictis huic inquisitioni faciam satis.

10. Dico primò: Ad communicandum, non requiri ullum genus vestium: mundities tamen, & honestas ea decet, quam quisque pro suo statu servare cum modestia, & sine vanitate debet.

11. Sacerdos autem cùm extra Missam laicè communicat, induatur stola juxta *c. Eccles. dist.* 23. ubi id mandatur, sed certè sine obligatione peccati, quia illa extra Missam carere, res gravis non est: & ex alia parte dictum Cap. quoad hanc dispositionem usu abrogatum est. Ita Azor. *pr. p. libr. 10. c. 28. q. 12.*

12. Dico secundò: esse decentissimum, accedere ad sactam mensam sine ornatu armorum; e. g. gladij, seu ensis: unde apud nos meritò ex communi consuetudine deponitur ensis in communicandi actu. Ajo nihilominus, cum illis accedere, ex se nullum esse peccatum, præciso scandalo, quod certè in nostris regionibus cultis esse non solet.

13. Et quidem Equitibus militibus S. Joannis, S. Jacobi, Alcantaræ, &c. Diana *p. 3. tract. 2. resol. 30.* sequens Joannem Sanchez ait, esse decens, cum armis ad latus accinctis ad communionem accedere, quia hæc sunt propria eorum ordinum insignia, ad fidem contra infideles propugnandam. Sed certè tantam licentiam admitterem solùm, quando cum proprio Ordinis habitu publicè, ut tales communicarent, & consuetudo ferret, tunc armis instructos ad altare accedere; non verò quando, ut privati, juxta morem aliorum nobilium. Et re ipsa apud nos etiam hi Equites, quamvis nobilissimi, ensem deponunt, dum communicant, ut etiàm dum Sacerdoti confitentur.

14. Dico tertiò: tametsi fœminæ modestiæ sacram Hostiam sumerent, si nullo purpurisso, nullisve sumptuosis vestibus conspicuæ, sed modesto, quantùm eorum status requirit, ornatu; tamen si ejusmodi ornamenta absque ullo fine pravo, sed more patriæ, vel propter suorum virorum oculos adhibeant, eas ex hoc capite peccati condemnare non debeo: quia nullum contra id urget præceptum, nec ulla Christi Domini irreverentia.

Jejunè naturaliter communicandum?

16. INquires quartò: cur in hoc ipso titulo hujus quæstionis dictum est (naturaliter?)

Respondeo ad differentiam jejunij Ecclesiastici; hoc enim est abstinentia ab aliquibus cibis, illud ab omnibus, pro illo die scilicet, quo communicandum, hoc est, à media nocte usque ad peractam communionem, idque etiam à quacumque minima cibi, vel potus quan-

quantitate : quod ita certum est, esse sub mortali obligatione, ut Vasquez *disp.* 211. *capit. 3. num.* 27. affirmet, sententiam Goffredi, & Joannis Parisiensis, dicentium, ad communionem sufficere jejunium Ecclesiasticum, esse errorem in fide.

16. Signatè dixi (à quacumque minima quantitate) nam opinio Pasqualigi *dec.* 335. apud Dian. *p. 6. tr. 8. resol. 8.* putantis, non esse improbabile, committi dumtaxat peccatum veniale ab eo, qui non jejunus ex parva quantitate cibi, vel potus communicat, quia tunc (inquit) excusat à mortali parvitas materiæ : opinio, inquam, hæc falsa omninò est ; siquidem sumere Eucharistiam quomodocumque non jejunum, est ex se gravis irreverentia Christo, & prohibitum ex Apostolica traditione, quæ habetur ab ipso Ecclesiæ initio. Lege Leandr. *tract. 7. disp. 5. sect.* 3. aliosque ab ipso citatos ex de Lugo *disp.* 15. *de Eucharist. num.* 22. & 23. qui ex Concilio Toletano affirmat, modicissimum cibum, etiam modicum granum anisi, rumpere jejunium, quod requiritur ante communionem.

Jejunium naturale quinam cibus, vel potus violet vel non violet ?

17. INquires quintò majorem explicationem hujusmodi naturalis jejunij.

Respondeo. Hoc jejunium est, ut modò innuebamus, totalis carentia cibi, & potus suscepti in stomachum, vel in via ad illum ; per quam scilicet carentiam communicaturus nihil sumat per modum cibi, vel potus à media nocte usque ad communionem.

18. Dices : at hoc est, quod inquiro, in quoniam consistit hoc (*per modum cibi ?*)

Respondeo. Consistit in eo, quod per actionem vitalem nihil cibi, vel potus in ore ab extrinseco sumpti in stomachum demittatur ; quod est, nihil prorsus edere, & bibere eo modo, quo homines solent. Ita S. Thomas relatus, & exceptus a Suario *de Eucharist. disp.* 88. *sect. 4.* alijsque communiter.

19. Dices iterum : ecquidnam intelligitur nomine cibi, ve potus ?

Respondeo cum de Lugo *de Eucha. disput. 15. sect.* 2. alijsque apud Dian. *p. 5. tract. 6. resol. 1.* intelligi illud solùm, & omne quod à stomacho alterari, & in substantiam hominis converti ; seu, ut medici loquuntur, digeri, vel ad digestionem pertinere potest.

20. Hinc primò, jejunium hoc non violas, si glutias ungues abrosos, capillos, lignum durum (durum, dico, quod à stomachi vi alterari nequit) plumbum, argentum, aurum, gemmasque integras, nucem pineam, avellanamque item, integras, (integras dico, quæ scilicet non sunt, nec comestibilia, nec potabilia) vitrum, osticula dura fructuum, lapillos, filum ex serico, vel ex lana ; hæc enim, & similia, cum non digerantur, cibi nequaquam sunt, quidquid dicat Joann. Sanchez *disp. 4. num.* 23. de nuce pinea, & avellana, qui putat, hoc esse per se cibum humanum, & solùm per accidens ratione corticis non digeri ; quid-

quidquid, inquam, dicat; nam, ut integræ sunt, non digeruntur: ergo, ut sic, non sunt cibi.

21. Addit his non violantibus jejunium Decastillo *disp. 9. num. 278.* terram, à prægnantibus manducari solitam: adduntque aliqui cretam; verùm non assentior; cum enim creta, & terra purum elementum non sint, sed mixtum varijs, digeruntur, & licet malè, nutriunt tamen.

22. Summa Dianæ *Verb. Cõmunio* affirmat, ceram non esse cibum, citatq; pro se Cardinalem de Lugo: sed neque ego assentior, nec certè assentitur ipsemet de Lugo, qui loco citato à Summa Dianæ, hoc est, *disputat. 15. de Eucharist. num. 29*, de creta loquitur, non de cera, dicitque, cretam non esse cibum, quam nihilominus ego cum terra modo adjunxi, & cibum esse putavi, & nunc multò magis puto de cera, quæ semper partes mellis admixtas habet, & item partes alias digestibiles, utpote vel ab aëre, vel à floribus acceptas.

23. Denique cibis jejunium non violantibus Pasqualigus *in 2. edit. decisio 419.* addit papyrum, seu chartam, & filum ex lino; (quod de charta etiam probabile dicit Bossius *tom. 3. quæst. mor. tit. 22. n. 10.*) quia, inquit, hæc non sunt cibus humanus: sed nec his assentior, siquidem tum fœnum, tum communes herbæ non sunt cibus humanus; & tamen, quia, si comedantur, alterantur, & digeruntur, jejunium frangunt. Item nec medicamenta, nec venena sunt humanus cibus, & tamen, quia sunt alterabilia, habentiáque semper aliquid de alimento, jejunium violant.

24. Hinc 2. Idem jejunium non frangis, si fumum tabbaci per os immittas, quia, vel ille non descendit in stomachum, vel si descendit, tunc fit per actionem respirationis, non verò per manducationem. Simile quid erit, si tabbaci pulverem per nares absorbeas.

25. Sed quid si folia hujusmodi tabbaci dentibus ad evocandum flegma teras? Respondeo, te non frangere jejunium naturale, resolvit Delugo *lib. 1. respons. moral. dubio 9.* nam & hoc, ait, fit quotidie Neapoli à Sacerdotibus sine scrupulo; quia experiuntur, nullum prorsus illius folij succum descendere in stomachum; immò à stomacho rejectari; flegma autem evocari per vim attractivam, & consensum linguæ cum palato. Ego hujus rei fidem apud ipsos depono.

26. Hinc etiam 3. Non frangis jejunium, si in stomachum tuum involet musca, vel pulvis, vel quid simile, quia tunc id non fit per actionem manducandi, sed per actionem respirandi. Quid si id per manducationem fiat, certè jejunium violabitur, quia tam musca, quàm pulvis, qui terra est, tum culex, vel quid simile digestibilia sunt; signum autem, quod fiat per manducationem, & adsit manducatio, est, si glutiatur seriò, nam si casu, videtur fieri per respirationem.

27. Hinc 4. non frangis jejunium, si quid durum aromaticum e. g. piper, vel muscatam nucem integram ore circumfers, nihil ejus deglutiendo, ut habet

bet Tannerus *disp. 5. quæst. 8. num. 79.* quando enim aliquid per modum salivæ trajicitur, non est edere, vel bibere, sed ipsam salivam à capite descendentem intus committere; sed in casu dicto, si quis minimus succus immixtus salivæ, à qua separari is nequit, certè trajicitur per modum salivæ: ergo jejunium non frangit, sicut nec frangit saliva. Nota illud (integram ore circumfers) nam si conteras, seu confringas dentibus, vel si sic confracta per os obvolvas, semper aliquid illorum in stomachum trajicitur, & sic jejunium violabis.

38. Hinc quintò: nec violas jejunium, si quid præguſtes, vel si os abluas, totum tamen statim ab ore rejicias, quamvis necessariò tunc fiat, ut aliquid minimi succi, vel liquoris immixtum salivæ deglutias; quia deglutis, ut modò dictum est, per modum salivæ. (Dico minimi, & immixtum) nam secus erit, si sit in notabili quantitate; vel licet in parva, possit à saliva distingui: id quod certè morali, humanoque modo à prudenti viro deliberari debet.

29. Meritò ergo Pax Jordanus *tom. 1. lib. 4. tit. 1. num. 8.* asserit, te jejunium hoc frangere, si e. g. os abluendo diutius aquam in ore detineas, quia, inquit, vix fieri tunc potest, ut pars aliqua à faucibus non attrahatur, quod certè maximè evenire putandum est (ait) quando etiam gargarizas.

30. Neque dictis obstat rubrica Missalis *de defectibus dispositionis corporis num. 3. ibi.* Idem dicendum (hoc est, non frangi hoc jejunium) si lavando os, deglutiantur stillæ aquæ præter intentionem; non obstat, inquam, quia cum rubrica immediatè antea dixisset, non frangi hoc jejunium, quando quid deglutitur per modum salivæ; & antea item *num. 1.* dixisset, frangi per quamcunque parvam quantitatem; si deinde addit: idem dicendum est, si lavando os, &c. clarè apparet ex contextu, intelligendum esse, non frangi jejunium in eo solo casu, in quo lavando os stilla immixta inseparabiliter salivæ deglutitur.

31. Hinc sextò: nec frangis jejunium hoc, si reliquias parvas inter dentes, ex præcedenti cœna relictas inadvertenter deglutias post mediam noctem; tunc enim, vel cum saliva, vel melius ex respiratione trajicies.

Dixi (*relictas inter dentes*) quia semper sunt satis exiguæ; si enim in raro casu essent notabilis quantitatis, rumperent jejunium.

32. Sicuti etiam rumperet saccarum, seu tabella rosacea immissa in os ante mediam noctem, quæ post mediam noctem liquefieret, & in stomachum descenderet. Ratio autem horum est, quia fuisse in os immissa ante mediam noctem, non potest facere, quin illa verè sint cibi.

33. Scio, Dianam *part. 3. tract. 4. resol. 37. & part. 4. tract. 8. resol 104.* qui citat Suarium, Coninch, & alios, putare, reliquias illas, quamvis magnas cibi, non officere jejunio, si post mediam noctem, etiam voluntariè absumantur, quia scilicet videntur, inquit, illæ pertinere ad manducationem dici hesterni: quæ sententia fortasse

in

nea ratione fundatur; quia, si sint reliquiæ, licet dicantur magnæ, non possunt esse nisi exiguæ, per modum salivæ, vel potius per respirationem etiam ipsæ trajectæ: id quod non possumus dicere de illo saccaro, & tabella; & nihilominus iterum dico, si sunt notabiles, frangi jejunium.

34. Hinc denique septimò: jejunium, de quo agimus, non violas, si guttas sanguinis de capite defluentes fortè trajicias; quia ab extrinseco illas non absumis. Contra verò, ut notat Delugo *loco cit.* violas, si sanguinem fugas à tua manu vulnerata, quia per modum potus tunc absumeres.

Cibus indigestus, vel non dormivisse, vel evomuisse, an impediat Communionem?

35. INquires sextò. An cibus in digestus me à sacra mensa repellat? Respondeo, te nequaquam repelli, si ante mediam noctem comedisti, quamvis cibum non digesseris; vel etiam si illum evomuisti, vel nihil dormivisti; quia præceptum non est, ut nihil die communionis habeas in stomacho, vel ut illum habeas benè affectum, sed solùm, ut nihil eo die præmanducaveris. In patiente tamen vomitum semper caveas, ne sit iterum ejusmodi periculum postea, de qua re latè dixi *supra cap. 7. num. 43.*

36. Te repelli à communione, si post mediam noctem comedisti, & statim totum cibum evomuisti, quamvis advertas, tibi vacuum omninò remansisse stomachum, nimis certum est, & notat cum aliis Leand. *tr. 5. disp. 5. q. 19.*

37. Hoc idem dic, si decidens e.g. in flumen, multum ibi aquæ, quamvis nolens, absorbueris: nam etiamsi totam revomueris, jejunus propter dictam rationem non eris; & ex alia parte nihil te juvat absorbuisse nolentem; siquidem neque infirmus, si quando per vim in guttur illi cibus etiam in quantitate immittatur, volens absorbet; & tamen quis illum jejunum esse, pronunciet?

De dubitante, an sit jejunus?

38. INquires septimò: qui dubitat negativè, an sit naturaliter jejunus, poterítne tutò, & sine scrupulo ad Evchariſtiam accedere:

39. Respondeo. In dubio hoc negativo, sive de comestione, an scilicet aliquid cibi, vel potus quis absumpserit, sive de hora comestionis, an scilicet ante mediam noctem comederit, vel biberit, licitè communicabit, si factis omnibus moraliter diligentiis (quas facere omnino tenetur) de veritate ipsi constare non poterit. Ratio est, quia (quidquid dicant aliqui in contrarium) in utroque dubio favet privilegium possessionis, quo scilicet possidet homo jus communicandi, à quo dejici, is non potest, nisi clarè probetur, habere impedimentum communicandi; cùm enim facta non præsumantur, sed probari debeant *leg. 1. C. de probationibus*; & in tali dubio negativo talis tua comestio intra vetitum tempus non possit probari, quia tunc non esset dubium negativum, quod, ut supra notabamus *cap. 8. num. 3.* est, quando non apparet ratio convincens, vel

vel probabilis pro neutra parte: unde intellectus est anceps, & incertus, ut nec ad assensum inclinetur, nec ad dissensum; ideò remanet in te possessio juris communicandi. Lege Delugo *loco cit.* & Bardi *de conscien. discept. 6. cap. 11. cas. 3.* & Diana *part. 3. tract. 4. resol. 20.*

40. Certè ita discurrere consuevimus in similibus, ut si e. g. dubites negativè, an sis irregularis ex missa celebrata e. g. in excommunicatione? si veritatem, *factis* diligentiis, expiscari non vales, te ab irregularitate immunem censere poteris, neque obstat in dubio facti homicidij injusti, te debere reputari irregularem, constante corpore delicti; non obstat, inquam, quia de hoc est peculiaris lex ita disponens *C. ad audientiam de homicidio*, & alibi.

41. Quæres: quid si habeam probabiles rationes, quòd sim naturaliter jejunus, & similes probabiles, quòd non sim; in quo casu aliqui minùs propriè loquentes dicunt, te habere dubium positivum?

42. Respondeo: cùm possimus sequi id, quod probabile esse cognovimus, quia sic prudenter operamur, poteris tunc, te reputare jejunum; & poteris, te non jejunum reputare, ac propterea, sequens probabilitatem tibi magis faventem, comunicare poteris.

43. Sed de pertinentibus ad ejusdem probabilitatem agitur latè *in tract. de Pœnit.* Interim legite Suarez *de Pœnit. disp. 22. sect. 9.* Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 9. num. 31.* Fagundez *Præcept. Eccl. 2. lib. 3. c. 7. n. 4.*

Mediæ noctis explicatio pro communicaturis.

44. QVoniam multa esse horologia solent in civitate, designantia mediam noctem, post quam communicaturo non licet aliquid cibi, vel potus sumere; ideo notant DD. omnia (nisi constet aliquod minus rectè currere) facere opinionem probabilem, atque adeo posse ex quolibet ex iis non certò falsis, te sine scrupulo dirigi, nam sequens opinionem probabilem, prudenter, ut modò diximus, operaberis.

25. Unum prætereundum non est pro horologiis rotalibus Italicis; nam ea solent mediam noctem, ut & meridiem, & ortum, occasúmque solis designare media hora plus, minúsve post præcisum punctum cursus solis. Hinc quando Horologium rotale Italicum in nocte e. g. æquinoctij dat signum sextæ horæ noctis, sol verè invenitur prævolasse per mediam horam plus, minúsve: quare in prædicta æquinoctij nocte vera media nox (quam sol facit non horologium) quamque nos sequi debemus in jejunio, & similibus Ecclesiasticis præceptis, non erit in illa sexta hora, sed in quinta cum dimidia circumcirca, & ab hac, & ultra debes esse jejunus, ut ritè communices. Id quod rectè observari mandat Missale Romanum, editum sub Innocentio X. Anno 1647. & notavit Gavant. *in rub. Miss. p. 5.* in fine tabulæ meridiei, & mediæ noctis.

46. Petes: cur semper dictum est: (*plus, minúsve, & circumcirca?*)

Re-

Respondeo. Quia in rigore mathematico apud benè gubernantes Italica horologia, sol, atque horologia solaria præcedunt horologia rotalia in æstate per mediam horam, ut in hyeme per quadrantem, in autumno, & verè per quadrantem cum dimidio : id, quod evenit propter crepuscula prædicta, quæ varia sunt in dictis temporibus, ut ex Riciolis id calculante refert Pellizzarius *tom.* 1. *Mav. tr. 5. cap. 8. num.* 105.

47. His explicatis, inquires octavò : ipsam mediam noctem in puncto designatne primus ictus horologij rotalis, an ictus, qui immediatè sequuntur, an ultimus ?

Respondeo. Primus ictus, seu primus campanæ pulsus. Ratio est, quia tunc notatur jam completè præcessisse horas præcedentes, pertinentésque ad diem, horasque præteritas.

48. Dices : si hoc ita se habet, sequitur, me communicare volentem obligari, illo ictu sonante, rejicere ex oreid, quod immediatè ante in eodem ore posueram, & non deglutiveram ?

49. Respondeo. Ita sequi putant Coninch, & Joann. Sanchez apud Gobat *de communione casu* 17. sed ipse Gobat sic subdit : multis fortè videbitur, Ecclesiam neminem compellere ad hanc inurbanitatem in tali, támque raro casu.

50. Dices iterum : sequeretur ex Coninch, & Sanchez, me multò magis obligari, illo primo sonante pulsu, si actu biberem, desistere ab haustu, nec posse pergere ad totum craterem exhauriendum ?

15. Respondeo. Ita affirmat Delugo, aliíque, inter quos est Bresserus *de Conscient. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 107. qui tamen sic addit : probabile tamen videtur, horam durare moraliter usque ad ultimum sonum, atque ideo interim bibentem, vel etiam comedentem non violare jejunium, vel naturale, vel Ecclesiasticum sequentis diei : tamdiu enim videtur durare, quamdiu auditur.

52. Hanc Bresseri additionem sequitur multis citatis Delgadillo *c.* 8. *de Euch. dub.* 4. cum Leand. *tr.* 7. *disp.* 5. *q.* 7. huius præcipua ratio est, quia ultimus ictus est, qui determinatè indicat horam esse hanc, & non aliam ; & in casu nostro hanc esse, & non antea ; nisi enim audiam ultimum ictum, non possum dicere, neque scire, esse horam sextam, esse quintam cum dimidio, &c. Cum ergo Ecclesia more humano nos regat, tunc reputabit esse mediam noctem, quando illam homo ex horologio determinatè cognoscere potest.

53. Ego aliam inire viam soleo, quam sic explico : Caramuel *in Theol. fund. à. num.* 205. cum alijs docet, horologia rotalia etiam accuratissimè artefacta, & gubernata, per horæ quadrantem plus, minusve à veritate aberrare ; id quod experimur, ait, quotidie in duobus e. g. vel tribus horologijs accuratissimè directis, quæ sæpissimè inter se differunt per quadrantem, & fortè amplius, & tamen dicimus, ea facere opinionem probabilem, si non constet esse falsa. Hæc Caramuelis, aliorumque explicatio dat mihi viam excusandi hominem communicare volentem, ut

non obligetur projicere bolum, quem habet in ore, nec à medio potu desistere statim, ac primum ictum horologij audit; nam in tanta brevi morula poterit judicare, horologium cujus primum ictum audit, tantùm per errare, nec mediam noctem esse, nisi post potionem absolutam, vel transumptum bolum.

54. Illud tamen certè præ oculis semper habe, ne tale horologium sit falsum, quod non solùm dico veluti in habitu, quod soleat illud sæpè errare, sed etiam veluti in actu; si enim advertis, tuum horologium aliàs benè regulatum, hodie multò solito citiùs, vel tardiùs dare horarum signa, e. g. per mediam horam, vel per quadrantes horæ tres, juxta illud hoc die, vel nocte regi non poteris. Quare sive in primo ejus ictu, significante mediam noctem, sive in ultimo sis in potu, vel comestione, certè non poteris die sequenti communicare: quia propter tamdiù postpositas hujus hodierni horologij horas, post mediam noctem comedisti, vel potasti.

Quodnam fortius præceptum, communicandi jejunè, an communicandi in Paschate?

55. INquires nonò. In concursu horum duorum præceptorum, quodnam prævaleat? accidit enim hisce superioribus annis, ut accesserit ad Episcopum suum quidam, postulans ab eo dispensationem, vel non communicandi in Paschate, vel saltem communicandi non jejunè; quandoquidem ex medicorum præscripto, & experientia, non poterat is, vel per paucas horas se à cibis abstinere absque gravissimo vitæ periculo: cæterum tamen sanus erat, nec alia, præter caninam famem, infirmitate laborans.

56. Inquires ergo, quid ex his præceptis facilius dispensabitur? quod idem est, atque inquirere, quodnam ex dictis sit præceptum fortius? Rursus subinquires, à quo hujusmodi dispensatio erit impetranda?

57. Si quæras, quid in praxi faciendum sit ab hoc famelico, facilis est responsio; poterit enim is ante mediam noctem cibo se reficere, & statim post horam e. gr. nocte media communicare; quo pacto, & jejunè communicabit, ut ex dictis constat, & præceptum communicandi in Paschate custodiet.

58. Verùm studiosus Theolog adhuc sic inquiret: fac, hominem hunc, vel similem, sive per possibile, sive per impossibile dicto remedio uti non posse; cui ex duobus dictis præceptis faciliùs, & à quo dispensabitur?

59. Antequam respondeam, præmittendum est præceptum communicandi jejunè totum esse ex præcepto Ecclesiæ, ut docemus, & scimus omnes; at præceptum communicandi in Paschate esse quidem Ecclesiasticum, sed habere originem à divino; Christus enim Dominus præcepit communionem illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: Quia tamen tempus non determinavit, illud determinavit Ecclesia, ut Sanctissima Communio à Fidelibus fieret,

fieret, saltem in Paschate. Ita de Lugo *de Eucharistia disp. 16. num. 28.* alijque.

60. His præmissis, respondeo ad prius, id est, cui ex duobus his præceptis faciliùs dispensabitur ? Dico, posse faciliùs dispensari ad communicandum non jejunè. Ratio est, quia hoc præceptum est totum Ecclesiasticum; illud de comunicando in Paschate, in divino radicem habet.

61. Respondeo ad posterius, hoc est, à quonam obtineri debeat hujusmodi dispensatio ? Posse solùm, & debere à Summo Pontifice, sed cum necessaria distinctione; nam ad communicandum non jejunè, poterit Pontifex absolutè dispensare; quia præceptum hoc, ut diximus, totum est Ecclesiasticum; & quamvis is dispensare non soleat, ut advertit de Lugo *disp. 15. de Eucharist. num. 15.* tamen dispensavit aliquando, nempe Carolo V. cibi refectione subinde indigenti, idque etiam devotionis causa, ut tradit Famianus *de bell. Belg. Decad. p. lib. 1.* Ad non communicandum verò in Paschate non poterit absolutè, & pro semper, quia tanta concessio esset contra divinum præceptum communicandi saltem aliquoties in vita, juxta varias sententias, supra à nobis *c. 2.* allatas. Poterit ergo solùm cum restrictione, concedendo scilicet, ut pro aliquo tempore communionem quis differat, quia determinatio pro tali, vel tanto tempore, qualis hodie est pro tempore Paschali, præceptum est Ecclesiæ.

62. Dixi (solùm à Summo Pontifice) neutram enim dispensationem expedire potest Episcopus. Ratio est, quia, quæ sunt præcepta totius Ecclesiæ, (qualia sunt ea, de quibus disputamus) non possunt dispensari, nisi à Summo Pontifice, Universali & Supremo Legislatore, juxta communem doctrinam de legibus. Episcopo enim, utpotè illo inferiori, solùm conceditur, posse in his legibus universalibus dispensare, (idque ob suave regimen Ecclesiæ) quando sunt de materia frequenter occurrente: ut in legibus de jejunio Ecclesiastico, de abstinentia à laboribus servilibus die festo, ut etiam in votis, &c. Quare, cùm necessitas dispensationis prædictorum duorum præceptorum non occurrat frequenter, non datur Episcopis ejusmodi potestas.

63. Hinc si supponas, sive per possibile, sive per impossibile, prædictum famelicum uti non posse remedio, quod attulimus *num. 28.* posset solùm communicare non jejunus in periculo mortis; at pro tempore sanitatis procurare debebit dispensationem à Summo Pontifice, & interim, dum expectat, si urgeant feriæ paschales, se gerat perinde, ac si esset in locis, ubi nulla suppetit communicandi commoditas, nam pro ea vice erit excusandus.

CAPUT XI.

An aliquando non jejunè communicare sine prædicta dispensatione Pontificis liceat ?

1. INquires: Quot sunt casus, in quibus licitè quis communicat non jejunus ?

2. Respondeo: Ad quatuor capita eos reducam. Primò, ad dandum Viaticum graviter ægrotanti, unde & ipse infirmus (qua infirmitate dicetur mox *cap.* 12.) poterit communicare non jejunus, & Sacerdos, in casu, quo non possit Sacra Hostia præconsecrata, nec alius Sacerdos injejunus haberi, poterit ad dandum Viaticum infirmo, immò & sibi ipsi, si ei mortis periculum instet, celebrare, & consequenter communicare non jejunus.

3. Secundò, ad evitandum scandalum, & infamiæ notam. Hinc Sacerdos, si dum sacrum peragit, recordetur etiam ante consecrationem, se non esse jejunum, si non potest sine nota discedere, porrò pergat ad reliqua; quia excusabitur à periculo hujusmodi notæ; ut interim taceam, quòd ex S. Bonaventura supra diximus, Missam inceptam nunquam esse relinquendam; si verò recordetur post consecrationem, multò tutius pergat; tunc enim obligabitur sacrificium perficere.

4. Huc reducitur casus, quem narrat, vel resolvit Tannerus *disp.* 5. *q.* 8. *num.* 98. Parochus cujusdam pagi ad festum suæ Ecclesiæ invitarat ex varijs pagis decem, vel plures Sacerdotes. Advenerunt, & ex his postremus advenit ille, qui aliquot ante diebus à parocho rogatus fuerat, ut solemne sacrum faceret; sed is, re non benè intellecta, priusquam à sua Ecclesia discederet, Missam coram suis Parochianis celebraverat; alij verò Sacerdotes, vel idem fecerant, vel jejuni non erant. Cùm ergo nullus Sacerdos adesset jejunus, quæsitum fuit, an in tanta solemnitate, tantaque populi expectatione licuisset uni ex illis Sacerdotibus non jejunis celebrare?

5. Respondet Tannerus cum distinctione: si defectus jejunij fuisset occultus, licuisset; quia ex duobus malis minus est eligendum; si verò ejusmodi defectus pluribus constasset, satius fuisset, quòd populus, prius tamen è suggestu causam edoctus, dimitteretur sine sacro, quàm cum exemplo celebrantis sine jejunio populus discederet: & ita factum est.

6. Huic resolutioni Gobat *de communione casu 9. quæst.* 1. non acquiescens, sic habet. Si hodie interessem huic actui, suaderem fieri sacrum ab uno ex illis, qui nonnisi per ablutionem in Missa jejunium violasset. Primò, quia non esset timendum scandalum ullum; si enim pro concione diceretur populo, permitti ab Ecclesia in casu talibus circumstantiis vestito hanc praxim, potiùs ædificaretur populus, quàm scandalizaretur. Secundò, ob grave, & publicum scandalum, quod alia ratione vitari nequit, licitè Sacerdos non jejunus sacrum faciet; ut post Suarium, aliósque concedit ipsemet Tannerus num. 41. Atqui in nostro casu non potest facilè, aut vitari vix potest grave scandalum, id est, gravis, & injusta indignatio, gravísque murmuratio contra Sacerdotes, multáque dicteria, eorum honorem, & existimationem lædentia. Tertiò, quia idem Tannerus num. 92. rectè judicat, si festo Natalis Domini unus tantùm Sacerdos adesset in aliquo Oppido, qui post mediam noctem fortè cibum sumpsisset,

set, neque alius inveniretur jejunus, neque scandalum evitari alia ratione posset, judicat, inquam, illum rectè facturum, si unam Missam populo celebret. Cur non ergo in casu nostro? Quartò, quia nonnulli putant, non esse improbabile (quamvis ego id non admiserim *cap 5. num 36.*) fas esse Sacerdoti non confesso, & non habenti copiam Confessarij, Sacrum facere cum sola contritione, ut vel ipse, vel alij Sacro non careant die festo; & tamen confessio ante Communionem probabilissimè est ex præcepto divino, ergò multò magis Sacerdoti non jejuno concedenda est facultas celebrandi populo, expectanti solemne, & festivum sacrum.

7. Hæc ex Gobat: in quo illud placere mihi non potest, quòd scilicet ipse suasisset, fieri Sacrum ab uno ex illis Sacerdotibus, qui nonnisi per ablutionem in Missa jejunium violasset; id, inquam placere non potest; nam is Sacerdos sic non observasset duo præcepta; alterum de jejunio, alterum de unica missa celebranda eodem die. Satius igitur fuisset, eligere unum, qui eo die non celebrasset.

8. Tertiò, ad servandam Christo Domino reverentiam. Hinc si timeas, sacram hostiam inopinato incendio comburendam, vel ex hostili invasione in manus Hæreticorum deventuram, vel quid simile, poterit Fidelis, immò debebit, si alius modus non est evitandi, illam non jejunus assumere: an si non sit in statu gratiæ, dixi *cap. 8. n. 27.* an si sit laicus, ibidem dixi.

9. Quartò, ad servandam rationem, & ordinem sacrificij. Id autem distinctiùs explico quatuor exemplis.

Primò. Quidam Sacerdos per inadvertentiam imposuit in calice pro vino aquam, vel acetum, idque post ejus assumptionem cognovit; sanè benè se gessit (immò sic se gerere debuit) si vinum, & aliam hostiam consecravit, (poterat expeditius ex rubricis Missalis vinum dumtaxat consecrare) & quantumvis non jejunus, illam assumpsit; benè, inquam, se gessit, quia ad id compulsus fuit à necessitate perficiendi sacrificium.

10. Quæres primò. Si Sacerdos cognovit, illam esse aquam, dum eam habebat in ore, debuitne illam statim ab ore projicere, & non assumere, ut sic vitaret violationem jejunij naturalis?

11. Respondeo, nequaquam, quia esset irreverentia, & fortè periculum projiciendi aliquod sacræ hostiæ fragmentum.

12. Quæres secundò. Si ejusmodi Sacerdos non cognovit, clarè fuisse acetum, sed sub dubio, quid fuisset facturus?

13. Respondeo, quia in dubio melior est conditio possidentis, ideo præsumere debuisset, illud fuisse vinum, nam possidet substantia vini, quæ priùs est, donec probetur esse corruptum in acetum: quare pergere debuisset ad explendum sacrificium.

14. Secundum Exemplum. Alius Sacerdos advertit, particulam hostiæ sacræ infusam, de more sacrificantium, in Calicem, Calici hæsisse; unde in-

fudit vinum purificationis in prædictum calicem, illúdque assumpsit simul cum particula illa, nihil laborans, quòd fortè priùs in stomachum transmitteretur vinum, quàm Sacramentum, & consequenter, quò non jejunus communicaret. Benè quidem se habuit; quia sic disponunt rubricæ Missalis, ut nimirum decenti modo particula distrahatur à calice, nec solùm semel id fieri potest, sed etiam bis, ter, & quoties opus fuerit, donec cum reverentia illa trajiciatur. Scio, potuisse Sacerdotem digito ad labium calicis particulam illam adducere, & ante purificationem assumere, sed certè hic modus posterior est minus decens, quàm prior jam dictus.

15. Nota hìc primò: quòd dictum est de calice, dici item, si fortè particula, sive Sacerdotis, sive laici communicantis adhæreat palato; poterit enim purificatio sumi, non solùm semel, sed iterum, & tertiò, &c. modo dicto, donec, &c. Vide, quæ dicam in hanc rem infra *cap. 16. num. 24.* versus finem.

16. Nota secundò, idem concedit de Lugo *de Evchar. disp. 15. num. 79.* Sacerdoti pyxidem in Missa purificanti, nam si ante sumptam purificationem, & ablutionem vino in pyxide infuso, aliqua parvula fragmenta consecrata, simul assumit cum dicto vino, legitimè assumit.

17. Quid si ex inadvertentia non purificavit pyxidem ante sumptam suam purificationem, ablutionémque? Respondet Fagundez *p. Eccl. præcepto lib. 3. c. 18. num. 3.* posse Sacerdotem, pyxidem purificare, & sumere Sacramenti illius reliquias, dum est in altari, reputatur enim id totum una sacrificij consumptio.

18. Nota tertiò, idem concedi à Marchino *tr. 3. de ordine p. 3. c. 3. num.* 18. infirmis laicis, quibus post sumptam particulam licitè dari possunt simul cum ablutione, vel paulò post, reliquiæ, seu parva fragmenta, fortè inventa in pyxide, vel calice, quia censetur eadem moraliter comestio.

19. Tertium exemplum. Mortuus est, vel defecit inopinato post consecrationem Sacerdos in altari celebrans; præstò affuit alius Sacerdos non jejunus, qui advertens haberi non posse Sacerdotem jejunum, ipse perfecit sacrificium, & quamvis cibatus communicavit. Ritè profectò, quia semper in Ecclesia majoris momenti existimatum est, sacrificium inceptum non remanere imperfectum, quàm nō jejunum communicare. Post consecrationem (dixi) saltem Sanctiss. Corporis; nam si nihil sit consecratum, cùm nondum sit incæpta substantia Sacrificij, non est necessitas, illud perficiendi, sed Missa erit omittenda ex S. Thoma *3. p. q. 83. art. 6. aliisque.*

20. Quartum exemplum. Sacerdos quidam sumpta ablutione, vel purificatione, advertit, in patena remansisse aliqua fragmenta parva suæ hostiæ consecratæ, & statim ea fine cunctatione assumit, quamvis ob præassumptam ablutionem non fuerit jejunus. Sanè assumpsit legitimè, ut simile quid diximus num. *16.* de pyxide; quia ejusmodi parvula fragmenta facilè deperdun-

tur,

tur, & major reverentia est, si sumantur à non jejuno celebrante, quàm cum periculo in sacrario conserventur, vel consignentur alteri Sacerdoti, etiam paulò post sacrificaturo. Adde, hanc moraliter reputari ejusdem sacrificij consumptionem.

21. Dices: cùm dictum sit (*parva fragmenta suæ hostiæ*) quid ergo faciam, si hæc sint magna? quid si parva fragmenta ex sacrificio alterius? quid si ea inveniam post absolutum sacrificium?

22. Respondeo cum necessaria distinctione. Vel enim sermo est de fragmento tui sacrificij, sive parvo, sive aliquantulum grandiusculo, ut dictum est, à te invento post ablutionem, & hoc assumere certè licitè poteris: primò, statim post ablutionem sumptam, si tunc ea invenias: secundò, post absolutam Missam, dum es adhuc in Altari, quamvis multos communicaveris, si item tunc invanias: tertiò, etiam probabiliter in sacristia, antequam sacris vestibus spolieris; si pari modo tunc invenias.

23. Vel sermo est de eodem fragmento ex alieno sacrificio, & hoc poteris ex probabili sententia assumere; primò, statim post ablutionem, si tunc invenias: secundò, post finitam Missam (tametsi plures communicaveris) sed dum adhuc consistis in Altari, si item tunc invenias: at tertiò, non potes in sacristia, quamvis nondum spoliatus sacris vestibus. Ratio disparitatis esse potest, quia dum es in Altari, quidquid fragmentorum invenis, ad te pertinent, tuóque sacrificio veluti adhærent; sed in sacristia nimis remotè ad te pertinent fragmenta alieni sacrificij: dum contra, ad te pertineant fragmenta tua, dum sacras vestes non exuisti.

24. Semper autem in præcedentibus his *num. 21. & 22. &c.* locuti sumus de fragmentis, sive aliquantulum grandiusculis, sive parvis, nunquam enim potest licitè à non jejuno ex præsenti capite, de quo loquimur, assumi hostia grandior, nec particula integra, nec grande fragmentum; quia dicta licentia assumendi post ablutionem, vel purificationem solùm conceditur pro reliquiis tui, vel alterius sacrificij. Lege De Lugo *loco cit.* & Granado *par. 3. controvers. 6. tract. 10. disp. 8.*

25. Dices iterum: Quid ergo faciam de illis particulis integris, vel grandiusculis fragmentis, vel hostia grandiore, si inveniantur à me post ablutionem, vel purificationem; nam ante purificationem; jam scio, me licitè posse?

26. Respondeo. In his, vel similibus casibus, si adest in loco sacrarium, ea ibi reponi debent; vel si sacrarium non adest, dentur comedenda ante purificationem Sacerdoti mox sacrificaturo, vel cum illis laicus communicari poterit. Verùm si nullum ex his possit, debebit assumere ipse Sacerdos, quamvis non jejunus, id enim tunc expoſcit reverentia tanto Sacramento debita, quia irreverenter quocumque alio modo, vel loco servarentur. Ita Fagundez *p. Eccl. præcepto lib. 3. cap. 18. num. 2.* Addit Gobat *de communione casu 19. quæst. 4.* deferre illa ad sacrarium

rium distans per viam emetiendam tempore quadrantis unius horæ, esse nimis incommodum, secus ad aliquot passus: id quod facere facilè solemus, inquit, in nostris gymnasijs, quando in præcipuis quibusdam festis à gymnasio sacram hostiam ad Ecclesiam nostram ritè, & reverenter deferimus.

CAPUT XII.

De Sacra Communione,

Seu Viatico infirmorum.

1. QUòd præceptum communicandi sub vitæ finem urgeat fideles omnes adultos, diximus *cap. 1. & 2.* ut etiam, an urgeat Fidelem, qui antea communicaverat, præsertim eodem die, diximus *eodem cap. 2. num. 10.* Nunc cætera hìc de eodem argumento in proprio loco sunt addenda.

Recolo autem, hanc communionem sub vitæ finem vocari Viaticum, quod in quo consistat, explicuimus *eodem cap. 2.* & quis ejus ordinarius minister, *ibidem.*

Qualis debeat esse infirmitas,

2. INquires jam primò: cum dictum sit *ibidem num. 5.* ex quocumque capite sit probabilis timor vitæ, indigere nos Viatico, inter quæ maximè numeratur infirmitas; inquires, inquam, qualis esse hæc infirmitas debeat, quæ dat infirmo facultatem non jejuno communicandi?

3. Respondeo. Communem doctrinam esse, infirmitatem debere esse gravem, quæ scilicet constituat hominem, vel in articulo, vel in periculo mortis. Articulus est, quando brevi ægrotus inevitabiliter est moriturus: periculum est, quando probabiliter, & prudenter mors non post multum tempus esse futura, timetur; id quod judicabit, vel Medicus, vel ejus parentes magis pro communione, quàm contrà; benignè scilicet pro infirmo; & semper quidem est potiùs attendendum periculum, quàm articulus; ut scilicet ægrotus cum attentione, & devotione sacro Viatico reficiatur.

4. Hinc sequitur, omnes eos, sive pueros, sive fatuos, sive alios, quibus supra concessimus Communionem, concedi in fine vitæ, posse eam sine jejunio suscipere, etiamsi sani communicassent, modo quo explicuimus in supra dicto cap. 2.

5. Subinquires, si hic constitutus in mortis periculo, posset commodè jejunus communicare, obligatúrne communicare jejunus?

6. Respondeo: ita ego *in opusc. expedita communionis* cum multis existimabam; licet addiderim, non scrupulosè agendum hac in re, sed semper infirmo esse favendum. Nunc re maturiùs expensâ, lectisque aliquibus Doctoribus, puto, esse probabile, posse. Instar omnium sit Delgadill. qui *de Evchar. cap. 3. num. 4.* sic ait: Licentia communicandi in articulo mortis non jejunè his verbis conceditur à Concil. Constantiens. *sess. 13. Sacrorum Canonum Authoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quòd hujusmodi Sacramentum non*

sue

sumatur à non jejuno, præterquam in infirmitate. Expendantur ultima verba; quæ saltem in articulo mortis tollunt obligationem jejunè communicandi: unde non approbo limitationem aliquorum, existimantium teneri infirmum tunc communicare jejunum, si commodè potest. Immeritò tamen prædicta verba limitant: præterquam quòd ex hoc causaretur in infirmis ingens scrupulorum inquietudo, an possent, vel non possent jejuni expectare communionem, ut ex Thom. Hurtado expendit Leander disput. 1. quæst. 38. Hactenus Delgadillo.

7. Hanc Doctrinam idem Auctor extendit num. 42. ad quemcunque infirmum, qui tenetur pro articulo mortis communicare, atque adeò ad eos pueros, eosque amentes, semifatuos, surdos, mutos, quos nos supra cap. 7. diximus, obligari in articulo mortis ad communionem.

8. Quæres primò. Prædicta doctrina intelligiturne in solo articulo, an etiam periculo?

Quæres item secundò. (Cùm Concilium dicat, præterquàm in infirmitate) an etiam quando quis non est infirmus, sed est in periculo mortis ob periculosam navigationem, periculosum prælium, &c. de quibus diximus c. 2.

9. Respondeo: De his nihil adhuc legi explicitum à Doctoribus, sed tamen consequenter ad dicta, ajo ad primum, etiam in periculo: in hac enim materia Viatici idem omnes Doctores sentiunt nomine periculi, & nomine articuli. Ad secundum pari modo idem dicendum esse, si mors unde unque instet, quia identitas rationis id convincit; quæ est, ut in fine vitæ Fidelis cum omni libertate facultatem habeat communicandi, ad se roborandum, & reficiendum ex præsentia Domini; sed quia in his casibus extra infirmitatem video, usum esse contrarium, ideò hoc in praxim deducere extra infirmitatem non audeo, nisi in damnatis ad mortem, de quibus mox à num. 19. qui propter illum agonem vicinæ mortis æquiparantur infirmis periculosis.

10. Ne tamen ex textu Concilij prædicti colligas, posse infirmum non jejunum Eucharistiam suscipere, quamvis infirmitas judicio medici, vel peritorum non sit periculosa; ex eo quòd Concilium sine ulla limitatione absolutè concedat in infirmitate, posse quemcunque ægrotum sine jejunio communicare; ne id, inquam, colligas; praxis enim Fidelium, & consuetùdo approbata, qua innititur Concilium, solùm de infirmitatibus periculosis erat, fuitque per tot annos, & nunc etiam est.

Quoties in eadem infirmitate communicare liceat?

11. INquires secundò: Si durante eadem periculosa infirmitate, semel quis fuit sacramensa refectus, poteritne licitè iterum non jejunus illam repetere?

12. Respondeo. Quamvis me non lateat, aliquos docere, posse dumtaxat post mensem; aliquos post decem, vel octo dies; aliquos post septem; aliquos post sex; aliquos post tres; nihilominùs invenio etiam Do-

concedentes posse etiam quotidie non jejunum. Legite Dian. *p. 11. tract. 6. resol.* 17. qui reprehendit Thom. Hurtadum dicentem, in una infirmitate solùm semel esse infirmum communicandum, sicuti semel in eadem est Extrema Unctione ungendus. Demum, quòd etiam quotidie communicare posset non jejunus, invenio apud Delgadillo, qui colligit, ut probabile *loc. cit. num.* 45. ex illo toties memorato principio, quòd periculosè ægrotantibus communio conceditur non solùm ad satisfaciendum præcepto, sed ne tanto Sacramento, atque utilissimis ejus fructibus privetur ægrotus; colligit, inquam, licitè posse ægrotum, ægrotatione periculosa durante, non solùm iterum, verùm etiam sæpiùs, immò quotidie absque jejunio, seu per modum Viatici communicare. Et quidem, quòd sæpè, certum ferè esse, ait, apud multos; quòd autem quotidie, probabiliter, defendit Leand *tract. 7. disp. 1. quæst.* 40. cum Castrop. Basseo, Excobar, Gasp. Hurtad. Dicastillo, alijsque ab ipso cit. quibus ipse Delgadillo se subscribit, confirmans id, ex dicto *Concil Constant.* quatenus absolutè, & sine limitatione temporis concedit prædictis infirmis, ut absque jejunio communicare valeant.

An Sacram Hostiam ad infirmum deferri liceat ab ipso adorandam?

13. INquires tertiò: An acquiescendum sit graviter ægrotanti, si, quia ob vomitum, vel aliam causam communicare ipsi non detur, petat, ut ad ipsum deferatur sacra Eucharistia, ad cujus saltem præsentiam in eo agone consoletur?

14. Respondeo certè in superiore ætate acquiescebant majores nostri; & Sanct. Bonaventuræ, tantæ doctrinæ viro, ob vomitum in fine vitæ communicare non valenti, delata sacra Eucharistia fuit ab ipso saltem adoranda; & simile quid factum in sacris historijs legimus, & per omnes Belgij Provincias fuisse id usu receptum, testatur Capevilla apud Gobat *de communione casu* 12. Verùm hodie ob reverentiam factum est, ut Pius V. & Sacra Congregatio Concilij id prohibuerit: unde id non esse nunc permittendum, docent Sà, Rodriquez, Possevin, & jam omnes, inquit Leander *disp. 1. quæst.* 42. & ita in praxi esse servandum monet de Lugo *lib. 1. Resp. mor. dub.* 11. tametsi Delgadillo *loc. cit. num.* 48. dicat, ipsi esse suspectum ejusmodi prohibitionis decretum, donec authenticè constet.

An sanctissimus Christi sanguis in aliquo casu infirmo concedendus?

15. INquires quartò, an graviter ægrotanti, & non valenti sacram particulam deglutire, liceat propinare Sanctissimum Christi Sanguinem?

16. Respondeo: Nequaquam licere; quia est contra gravissimam Ecclesiæ consuetudinem, ut alia interim taceam, quæ legi possunt apud de Lugo *loc. cit dub.* 10. *num.* 2. Illud non est omittendum, hujus rei rationem non esse solùm ob reverentiam, ne scilicet subsit periculum effundendi aliquid de Sacro

Sacro sanguine, quod facilè evenire solet in rebus liquidis ; sed hodie ejusmodi prohibitio, ut habet de Lugo *loc. cit. num. 8.* magis fundatur in odio Hæreticorum, ut extirpetur hæresis dicentium, non contineri totum Christum sub singulis speciebus, vel usum Calicis esse necessarium, & Ecclesiam errasse ministrando unam speciem sine alia, quæ sunt tanti ponderis motiva, ut Ecclesia meritò cum tanto rigore usum Calicis prohibuerit. Hæc de Lugo.

17. Is autem, qui tanta siccitate laborat, ut sacram particulam assumere nequeat, poterit adjuvari, ut alibi me dixisse, meminit ; si porrigatur parva pars particulæ, vino, vel simili liquori infusa : si adhuc sic non proficias, illum DEO devotè commenda, & ad templum regredere, sacram in sacrario repositurus.

Quando, quæ dicta sunt, conveniant damnato ad mortem ?

18. CErtum est, hos communicare posse, immò debere, cùm adsit pro morituris omnibus, communicandi, seu accipiendi Viaticum, præceptum.

19. Nota autem duo. Primò, posse damnatum ad mortem non jejunum communicare, & quidem debere, si ei tempus opportunum communicandi jejunè non concedatur. Vide tamen, quod benignius dicam *num. 17.* & recole, quæ modò dixi *num. 12.* Addit de Lugo *de Eucharistia disp. 5. num. 72. & 75.* non teneri Judicem ad differendam delinquenti mortem, etiamsi commodè posset, ut is jejunus communicet.

20. Nota secundò : Eundem Judicem teneri tamen sub mortali, concedere ejusmodi damnato tempus ad communionem percipiendam ; quia Judex impedire non potest adimpletionem tanti præcepti. Unde meritò Pius V. Anno 1569. suo proprio motu reprobavit contrariam consuetudinem in Hispania acceptam. Excipe, nisi aliquod grave damnum timeatur ; neque enim audiendus est Fagundez *Præcept. 3. Eccl. libr. 1. cap. 4. num. 3.* dicens, etiam in casu, quo Judex timeat, aut certò sciat, reum ea occasione se daturum in fugam, teneri sub mortali opportunum tempus concedere ; non est, inquam, audiendus ; quia præceptum charitatis non obligat cum tanto dispendio : & impedimentum communionis in hoc casu ipsi reo imputatur, non Judici volenti justitiæ actum, idque propter bonum publicum, exequi : præsertim etiam, quia ipsa realis Eucharistiæ susceptio non est simpliciter necessaria, cum satis sit in voto ; ideò non apparet, cur in Judice tanta tunc urgeat obligatio.

21. Idem dic, si reus nolit Sacramentum Pœnitentiæ suscipere ; neque enim tenetur Judex, illum à morte tunc liberare ; quia ad Judicem pertinet, delicta punire ; ad reum, se ad mortem intra tempus oblatum præparare ; quod competens certè tenetur Judex offerre.

22. Discrimen tamen notabile agnoscit Quintanadvennas *tract. 4. sing. 15.* inter Sacramentum Pœnitentiæ, &

Evchariſtiæ; nam, quia Pœnitentia eſt magis neceſſaria, advertit, Judicem omninò obligari aliquantò longius tempus reo concedere pro confeſſione; lege enim charitatis tenetur proſpicere ſaluti proximi; & ex alia parte, ut ſupponimus, ferè nunquam urget occidendi neceſſitas, nec periculum fugiendi.

23. Rectè igitur Sylveſter *ver. Judex quæſt. 11. §. 60.* inquit: *piè petenti tempus competens ad confeſſionem non eſt negandum, niſi crederetur, non ex devotione petere, ſed ſpe ereptionis, quia ſub patibulo petijt, qui non petivit in carcere.* Hæc Sylveſter; & tamen etiam ibi aliquod tempus competens ad confeſſionem illi eſſe concedendum, ne ſit dubium.

An reus poſſit Communicare eodem die, vel eadem hora mortis?

24. SEd inquires quintò: Si reus non communicavit pridiè ejus diei ſuæ mortis, vel antea, poteſtne, & debet communicare eodem, quo interficiendus eſt, die, vel hora?

25. Reſpondeo: Poteſt, & debet, quia urget præceptum, donec in hac vita ſumus, nec eodem diem ſolùm; verùm etiam una hora ante ſupplicium, ſi antea non poteſt; quia intra ſpatium unius horæ certum eſt, ut ſupra notabamus, ſpecies Sacramentales conſumari: quidquid dicat Sà, affirmans, Evchariſtiam huic debere dari ſaltem tribus, vel quatuor horis anteà, quod certè fateor, curandum eſſe; ſed noſtra doctrina, quæ jam hodie communis eſt, eamque ſatis multi docent apud Leand. *tract. 7. diſp. 2. quæſt. 14.* agit, quando anteà non poteſt: *Si illico*, ait Quintanadvennas *loc. cit. ſing. 18. n. 15. poſt Evchariſtiæ ſuſceptionem eſſet rem ſuſpendendus, non dubitarem ei Evchariſtiam miniſtrare, ſi differre nollet Judex ſupplicium: Sacramenti enim hujus neceſſitas, & utilitas efficit, ne in hoc irreverentia nulla verenda ſit; quod enim ſpecies illius in corpore vivo, vel mortuo conſumentur, non eſt inconveniens, & tunc poterit minima particula porrigi reo, ut conſumetur citiùs.* Hæc ex illo.

26. Si quis infidelis (ut hac occaſione id ſcias) convertatur in ipſo patibulo ad fidem, idem erit dicendum; nam poterit baptizari, & poſtea inſtructus eo modo, quo tempus permittet, de Myſterio Evchariſtico, poterit, & debebit communicare, ut colligitur ex dictis, & docet Diana *p. 5. tractat. 5. reſol. 43.* ſequutus Joann. Sanchez *diſp. 40. à n. 3.*

Quid, ſi damnatus pridie communicaverit?

27. INquires ſextò: ſi pridie prædictus reus communicavit, & ita jam implevit præceptum ex noſtra ſententia allata *ſupra cap. 2 num. 6.* poteſtne die ipſa mortis iterum communicare non jejunus? Communicare enim jejunum poſſe, dubium non ſit.

28. Reſpondeo. Si heri e.g. communicavit jejunus, poterit communicare non jejunus hoc die ſupplicij. Idem probabiliter dic, ſi heri communicavit non jejunus, poterit enim etiam non

non jejunus communicare hodie: nam hodie, præsertim si ex oblivione, vel propter aliam causam reperiatur cibatus, uti poterit jure morientium, quibus in eo articulo conceditur etiam non jejunis communio. Et ratio hujus juris etiam in eo, qui non adimpleverat præceptum, est, quia concessio non jejunè communicandi non est solùm propter satisfactionem præcepti; verùm etiam multò magis, sicuti diximus num. 12. ut in illo die, quo quis tanta mortis agonia laborat, hoc subsidio, & consolatione roboretur, quam affert Christi Domini præsentia. Ita Quintanad. loc. cit. probabilissimè, citans Suar.

29. Quæres: si hæc conceduntur damnatis ad mortem, cur eisdem omninò negatur Extrema unctio?

Respondeo. Nimis clara est ratio, nam, quamvis hi æquiparentur in aliquo cum infirmis, ut supra dixi n. 10. tamen verè infirmi non sunt, pro quibus solis institutum est Sacramentum Extremæ unctionis, ut habetur *Jacob. 5. Infirmatur quis in vobis: induat Præsbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, &, si in peccatis sit, remittentur ei.*

An pœnitenti hæretico relapso, ad mortem damnato, concedenda sit Communio?

30. INquires septimò. Hæretico relapso pœnitenti (quinam hic sit, vide apud Carenam mox cit.) concediturne sacra Communio, quando relaxatur brachio sæculari perimendus?

Respondeo. Quoad Sacramentum Pœnitentiæ concedi omninò debere; loquimur enim de pœnitente, qui strangulatur quidem, sed mortuus deinde comburitur, nam relapsus impœnitens omni Sacramento indignus, vivus comburitur. Quoad communionem verò, quæ est quæstio ad nos hìc pertinens, ut habet Carena *part. 2. de Hæret. pœnitent. tit. 2. à num. 39.* in Inquisitione Italica conceditur ejusmodi relapso pœnitenti etiam Eucharistia, non verò Ecclesiastica sepultura: At in Inquisitione Hispannica negatur prædicto Eucharistia propter periculum, inquit, quod posset evenire ex alteratione, quam recipit relaxandus brachio sæculari, sed ego dicerem potius ob terrorem aliorum.

CAPUT XIII.

Quædam an liceant Communione peracta, an spuere?

1. INquires primò. An liceat statim à communione expuere?

Respondeo. Nullum esse præceptum prohibens tunc expuere, ut notat Leander *tract. 7. disput. 66. quæst. 44.* Intellige, postquam non est periculum, quod aliquod fragmentum sacræ Hostiæ in ore remanserit. Convenit tamen ob reverentiam tantisper expectare; de quare, ut etiam de cataroso, & tussiente latè diximus *supra cap. 7. à n. 46.*

An statim comedere?

8. INquires secundò. An liceat statim post communionem comedere, vel bibere?

Respondeo. Nullum extare præceptum prohibens hanc præproperam commestionem, potationémque præceptum enim solùm est de non comedendo ante communionem, non verò postea. Et *cap. tribus gradibus de consecrat. distinct.* 2. quòd abstinentiam per sex saltem horas mandabat, jam usu abrogatum est: nihilominus hodie timorati ob reverentiam, per horam plus minúsve solent à cibo se continere, quamvis statim comedere, vel bibere nulla culpa sit. Hinc Dicastillo *disp. 9. num. 413. post Sotum*, ait, nihil dedecens admitti à Religiosis, qui quandoque statim à suo sacro ad communem mensam se conferunt.

3. Quæres hac occasione. Facta Communione à laico, quid melius sit, sumere ablutionem, id est, parum vini, aut aquæ, an abstinere ab illa?

4. Respondeo, Quartus *in Rubr. Miss. part.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. sic ait: *Congruit omninò, ut communicantibus detur ablutio, ut si fragmentum aliquod ori adhæserit, deglutiatur, ne cum saliva expuatur; quare prætermitti non debet, tum ob cautelam prædictam, tum ob reverentiam Sacramenti, post cujus contactum decet ablutio, etiam digitorum Sacerdotis.* Hæc quidem ille congruenter. Sed quia video in nostris Siciliæ regionibus, vix id observari; ideò si fiat, benè est; sin aliter, se conformem aliis reddere, benè item est, nisi fortè sacra particula adhæreat palato, tunc enim necessaria est ablutio, de qua re dixi supra *capit. 11. num.* 15.

An liceat debitum conjugale petere, vel reddere die Communionis?

5. INquires tertiò. An die peractæ communionis liceat debitum conjugale reddere, vel petere?

Respondeo, reddere, cùm sit justitiæ actus; item petere ad finem habendæ prolis, vel ad evitandum incontinentiæ periculum, qui sunt matrimonij fines, nullum esse peccatum, certum est: at petere ad finem solius delectationis, esse veniale putat Sylvester, aliique apud Marchinum *de ordinetr. t. p.* 3. *c.* 2. *n.* 6. quidquid alij in contrarium sentiant.

6. Eo die dictum est; nam si ob delectationem petatur statim à communione, esset etiam irreverentia, nec à veniali excusanda. Verum tamen in eo casu concederem, quando id remedium esset necessarium ad evitandam incontinentiam: sed profectò quandonam tanta necessitas?

Quid de peccante mortaliter die Communionis?

7. INquires quartò: An peccet proprio sacrilegij peccato, qui eodem die, quo communicavit, mortaliter peccat?

Respondeo negativè; & quamvis propendeam ad dicendum, tunc aliquid aggravari ex hac circumstantia peccatum; tamen, quia non mutat speciem, non

non erit necessariò ad confessionom deferenda, cum sufficiat, ipsum peccatum in sua specie deferre.

8. Quid si non quidem eodem die, sed statim à communione mortaliter quis peccet? Respondet Diana *par. 11. tract. 8. resolut. 58.* quem citavi supra in simili *cap. 9. num. 4.* ait, fornicantem statim à communione, ultra peccatum contra castitatem, peccare peccato sacrilegij in propria specie sacrilegij, specialiter Confessori aperienda; quam sententiam ego nunc approbo, si sit sermo de peccatis turpibus: at si loquamur de cæteris peccatorum generibus, non videtur eadem ratio, cum illa turpia magis opponantur puritati carnis Christi Domini; unde in illis major est, & specialis irreverentia contra ejus cultum, quàm sit in cæteris. Id tamen sapientioribus decernendum relinquo. Vide omninò dicta *c. 9. n. 4. & c. 16. n. 16. in tract. de confessione.*

CAPUT XIV.

A quo, & quo ornatu distribuenda est Eucharistia, & an ab omnibus Sacerdotibus?

1. Quòd minister distribuendæ Fidelibus Eucharistiæ sit solus Sacerdos, & necessitate urgente, Diaconus, ex commissione tamen Sacerdotis, ut etiam semper, deficiente Sacerdote, quando porrigenda illa esset alteri, vel etiam sibi ipsi vita periclitantibus, quia tunc præsumitur commissio ipsi à Sacerdote facta, est extra controversiam. Sed sunt hic alia explicanda ad ejusmodi ministrantem pertinentia, præter illa, quæ per occasionem dicta sunt supra, præsertim c. 2. & 7.

2. Inquires enim primò. An quilibet Sacerdos licitè ministret cuicunq; ex Fidelibus indifferenter Eucharistiam?

3. Respondeo cum necessaria distinctione; vel enim agis de communione necessaria, qualis est illâ, quæ fieri debet in Paschate; & illa, quæ in fine vitæ; vel de voluntaria, qualis est ea, quæ fit à Fidelibus ex devotione, seu ex supererogatione: priorem non licet ministrari à quibuscunque Sacerdotibus, sed à Parochis, & Prælatis, vel delegatis ab illis, ut supra c. 2. & 4. dictum est satis: posteriorem licitè quilibet Sacerdos ministrare potest omnibus indifferenter, etiam non petita licentia à Parocho, seu Prælato. Rationes hujus doctrinæ plures affert Delgadillo *de Euchar. c. 4. dub. 3. & 6.* nervisque omnibus confirmare contendit. Præcipua ratio est, quia, inquit, ex vi Ordinis Sacerdotalis, cuilibet Sacerdoti confertur potestas distribuendi Communionem voluntariam; nam sicuti quilibet Sacerdos habet ex vi ordinis potestatem, seu jurisdictionem ad confessionem Sacramentalem administrandam voluntariam, quæ est ea, quæ fit de venialibus, vel de mortalibus aliàs ritè absolutis; sic ad communionem voluntariam, quæ est ea, quæ fit infra annum ex supererogatione; eadem enim est ratio de confessione, ac de communione.

4. Ad aliam rationem se convertunt De Lugo, Suarez, Vasquez, & omnes,

omnes, ut loquitur Leander *tract. 7. disp. 4. quæst. 3.* quia ajunt, omnes hodie Sacerdotes habent licentiam tacitam Parochorum, Episcoporum, & Prælatorum Regularium ad administrandam Evchariſtiam voluntariè petentibus; (nota, quòd illa prior ſententia recurrit ad poteſtatem datam in ordinibus à Chriſto, hæc ad datam à Paſtoribus Eccleſiæ) ne ſcilicet defraudentur Fideles frequentatione tam utilis Sacramenti, ſi cogerentur quærere, à quo illud ſuſcipere debeant.

5. Ex his ergo jam colligis, extra Communionem Paſchalem, & extra finem vitæ, Sacerdotem quemlibet tibi voluntariam communionem miniſtrare licitè poſſe, & conſequenter eam à te poſſe ſuſcipi, ſive in templis Sæcularium, ſive Regularium, ſive ubicunque celebretur Miſſa, ut in Superioribus me iterum dixiſſe, recordor.

6. Nec obſtat, quòd multa privilegia ſint hac de re conceſſa Religioſis, aliſque; non obſtat, inquam, quia hæc conceſſa ſunt, ut ſæpe numero fit, vel ad ſcrupulos avertendos; vel pro illis, qui ſuſtinent, etiam ad voluntariam communionem neceſſariam eſſe Paſtoris, vel ejus delegati licentiam.

Quid de Laico?

7. INquires ſecundò. An aliquando liceat Laico, atque adeo Subdiacono, vel Clerico in minoribus, Evchariſtiam aliis diſtribuere?

Reſpondeo. Duas de more eſſe ſententias; altera negat, ne in caſu quidem neceſſitatis urgentis dandi, deficientibus Sacerdotibus, Viaticum infirmo. Ita ſuſtinent Filliuc. De Lugo, Fagundez apud Leand. *tract. 7. diſp. 14. quæſt. 13.* quibus adde Marchinum de Peſte *part. 3. cap. 8. num. 6. & cap. 9. num. 7.* Ratio præcipua eſt, quia ſic poſtulat reverentia tanto Sacramento debita, quam expendit *capit. Provincia, de conſecrat. diſtinct. 2.* ſic dicens: *Quidam Presbyteri in tantum parvi pendunt divina Myſteria, ut Laico Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis;* & ſic addit: *Interdicit Synodus, ne talis temeraria præſumptio amplius fiat.*

2. Altera in tanta neceſſitate urgentis mortis, nec præſtò exiſtente Sacerdote, concedit, poſſe Laicum, infirmo Evchariſtiam, immo & ſibi ipſi, ſi alius non adeſt, porrigere. Ita Reginald. Leſſius, Caſtrop. Thom. Hurtad. aliique quos citat, & ſequitur probabiliter Leander loco cit. Id quod mordicus defendit Delgadillo *cap. 4. de Evchar. à num. 36.* Ratio præcipua eſt, quia, quòd Sacerdos aliis diſtribuat Evchariſtiam, ſolùm eſt de præcepto Eccleſiaſtico, neque enim apparet, quòd ſit de divino; at præcepta Eccleſiaſtica non urgent in tanta neceſſitate, & uſus primitivæ Eccleſiæ, quo Sacer Miniſter dabat in laicorum manus communicare volentium, ſacram Evchariſtiam, ut eam in proprias domos deferrent, poſtea aſſumendam; uſus, inquam, hujuſmodi oſtendit, accipere à ſolius Sacerdotis manibus Evchariſtiam, eſſe ſolùm de conſuetudine hodie, vel de diſpoſitione Eccleſiæ; quæ, ut dictum eſt, in tanta neceſſitate non obligant, præſertim cùm hæc non ſit

si tanta irreverentia, ut non vincatur à summa utilitate, quam pius noster Dominus velle supponitur in ægrotante, quamvis irreverentiam magnam cognovimus supra *cap. 2. num. 18.* Unde, negavimus Sacerdotem sine vestibus sacris, & sine aliis observationibus ibidem dictis, posse consecrare, ad moribundum communicandum.

9. Neque obstat illud S. Thomæ, & Ecclesiæ. *Cujus officium committi voluit solis Præsbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*; vel illud *cap. modò num. 7. cit.* non obstat, inquam, quia certum est, hoc officium authoritativè ex jure suo convenire Sacerdotibus, & ordinariè per illos debere deferri ad infirmos: at ministerialiter, & ut instrumento; atque in tanta necessitate potest aliis convenire, ut per omnes tunc convenit Diacono; & non est ratio, cur deficiente Diacono, non possit in ea necessitate etiam laicis convenire; sicuti eisdem convenit alium baptizare, Sacerdote, vel alio Ministro deficiente.

10. Quòd aliqui pro hac secunda sententia afferant exemplum Mariæ Reginæ Scotiæ, quæ se ipsam sub tempus supplicij communicaverit, benè est; sed hanc secundam sententiam non evincit; quia illa, ne tunc sacra Evchariſtia in manus Hæreticorum deveniret, potuit prudenter, immò & debuit (quandoquidem nullus aderat Sacerdos) sacras illas particulas ipsa consumare. Utraque tamen (semoto certè scandalo) sententia probabilis est.

11. Subinquires: potestne Sacerdos licitè extra sacrificium communicare seipsum ex devotione, & morte non instante?

Respondeo: Si non adsit alius Sacerdos, qui illi porrigere sacram hostiam possit, facilè concederem; secus non item; quia si adest alius Sacerdos, adest legitimus Minister; ab ejus ergo manibus accipere debet, quia se conformem reddere communi hodie Fidelium consuetudini, necessarium est. Quòd si adsit Diaconus, pari modo ab ejus accipiat manibus propter eandem rationem: sed certè tunc poterit etiam jure suo uti Sacerdos, & proprijs manibus se communicare, cum sui juris sit, id committere, vel non committere Diacono, qua commissione non data, jam deficit legitimus Minister.

12. Absente Sacerdote, posse Diaconum se ipsum communicare sine necessitate, sed solùm ex devotione, negat, & quidem probabiliter, Sà, *Ver. Evchariſtia num. 33.* quia ipsi conceditur hujusmodi administratio, urgente dumtaxat necessitate; sed concedit Vásquez & Dicastillus, quem citat, ac recipit Leander *tract. 7. disp. 4. quæst. 16.* quia esto, verum sit, quòd Concilium Nicænum concedat Diacono, communicare alios propter necessitatem dumtaxat; sed ad comunicandum se ipsum non requirit ullam necessitatem, sed solùm absentiam Præsbyteri. Ecce verba (*quod si non fuerint præsentes, vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi Diaconi proferant, & sumant.*)

An cum parte suæ Hostiæ liceat, Sacerdoti alios communicare?

13. INquires tertiò: An Sacerdos licitè communicet Fidelem, ei partem suæ hostiæ porrigendo? Respondeo: Sanè licebit; quia sic etiam Christus Dominus fregit; & dedit &c. atque ex alia parte nullum est præceptum, neque legitima consuetudo in oppositum introducta. Ita Emman. Sà, *Ver. Eucharistia num. 15.* Joan. Sanchez *disp. 22. num. 21.* de Lugo *de Eucharist. disp. 20. n. 69.* alijque.

Quo ornatu distribuenda est Communio a Sacerdote?

14. INquires quartò: Quo ornatu, seu vestibus Sacerdos alijs Eucharistiam ministrabit? Nam supra *cap. 10. num. 8.* solùm diximus, quem ornatum ipse, qui Eucharistiam suscipit, habere debeat.

15. Respondeo: Sanè cum stola, & superpelliceo, si loco superpellicei uteretur alba, non possem illū condemnare, sicuti nec Marchinus *tractat. 2. de ordine cap. 8. num. 6.* eum condemnat, si deficiente stola, distribuat cum solo superpelliceo. Et sicuti Delgadillo *de Eucharist. capit. 4. num. 60.* non condemnat saltem de mortali eum, qui sine superpelliceo distribuerit Fideli sano; multò minus condemnaret, si Fideli graviter ægrotanti, quando superpellicei, vel albæ copia haberi non potest; quamvis Leander *loc. citat.* damnet de mortali. Quid ergo nos dicemus? Equidem Sacerdotem decenter habitu Clericali, vel habitu Religioso indutum, solàque stola ornatum, vel cum solo superpelliceo, aut sola alba condemnare (aliqua existente necessitate) non possem; quia, dum decentia debita servetur, a[illegible] vestes in distribuenda Eucharistia (aliud longè diversum est in celebrando; de quo agitur in tract. de Missa) non sunt tanti momenti. *Et cap. sanè de celebr. Missarum*, quod inducit Leander pro superpelliceo, vel est de solo consilio, vel usu abrogatum est; scandalum autem adstantium, si quod times, facilè removeri potest, si illos instruas de veritate.

Quid de alijs Cæremonijs fieri solitis in distribuenda Eucharistia?

16. INquires quintò: Estne peccatum, omittere, dum à Sacerdote distribuitur Eucharistia, illas alias cæremonias: puta, luminis accensi, confessionis generalis, absolutionis peccatorum &c. per illa verba Misereatur vestri &c.

17. Respondeo. Leander affirmat esse mortale, & movetur ex eo, quòd *in cap. Sanè de celebr. Missæ* habetur, quòd accendatur lumen quando extra Missam Eucharistia dispensatur; sed ego sequor Suarez *disp. 72. sect. 7.* & Dian. *par. 10. tract. 16. resol. 4.* alios que, in eorum omissione solùm cognoscentes veniale, & in necessitate cum Paxjord. *libr. 3. tit. 3. num 32.* nullum. Neque plus velle potest dictum *c. sanè*, si loquamur de lumine accendendo, quando communio distribuitur extra Missam; nam, dum celebratur sacrum, alia

alia est ratio. Accendendum autem hoc lumen in distribuenda Eucharistia semper intelligitur (præter lumen lampadis) de alio lumine, seu candela: Dico extra Missam, nam, dum celebratur sacrum, qua obligatione debeat adesse lumen, alibi dictum est in opusc. nostro *de sacrificio Missæ lib. 1. c. 5.*

18. Dices: quandoquidem hujus lampadis coram Sanctissimo facta est mentio, scire cupio, quid juris de continuo ardente lumine coram illo?

19. Respondeo. Quintanadven, *de Euchar. sing. 1.* damnat peccati mortalis Parochum, & consequenter Superiorem Ecclesiæ, si eo sciente, & consentiente, lampas ante Ven. Sacramentum integro die non ardeat; & proinde non leviter delinquere ædituum, qui per tres, aut quatuor noctes relinquat lampadem extinctam, quia Paul. V. in suo Rituali mandat, continuò ardere illic lampadem; si verò per unam tantùm horam, aut quid ampliùs, peccatum grave non committere. Ita Quintanadvennas.

20. Quibus relatis, subjungit Gobat *de communione cap. 2.* in hunc modum. Nostra Synodus Constantiensis dicit quidem, ardeat noctes, atque dies coram tabernaculo lampas; non tamen utitur verbo, reatum lethalem inducente; & vidi pluribus in locis, partim ob inopiam, partim ob longam consuetudinem, & etiam alicubi ob torpotem, non ita severè observari hanc doctrinam, quam non admitto universaliter in tanto rigore. Hactenus ille.

21. Nos in nostris Siciliæ diœcesibus rigidiores in hac re sumus; & certè cujuscumque Ecclesiæ legitima consuetudo servanda est. Leander quidem *tract. de sacrific. Missæ disp. 7. quæst. 71.* ait, non esse quidem præceptum in jure de hac continuatione lampadis coram Sanctissimo; esse tamen sub mortali universalem Ecclesiæ consuetudinem, licet etiam hanc neget Marchantius apud eundem, præter modò dictum Gobat. Iterum igitur dico, servandam esse cujuscunque Ecclesiæ consuetudinem.

CAPUT XV.

Quomodo prædicta sint observanda in communicandis peste infectis.

1. VT id, atque ea, quæ huc pertinent, plenè explicentur, inquires primò, qua obligatione teneantur Parochi ad Eucharistiam porrigendam contagiosa peste infectis.

2. Respondeo, cum Filiberto Marchino *de peste part. 3.* qui, cum ex communi Theologorum sententia, dixisset *cap. 1. num. 10.* regulariter loquendo, Parochum utpotè Pastorem bonum teneri sub mortali, etiam cum periculo vitæ, per se, vel per alium, Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptismi prædictis ministrare, si opus fuerit; deinde addit *cap. 2.* quoad Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis diversimodè loqui Theologos: alij enim cum Joanne Echio putant, obligari etiam ad hæc Sacramenta infectis ministranda, quamvis cum certo eorum vitæ periculo: alij cum Suario obligari solùm ad mi-

miniſtrandam Evchariſtiam, non verò Extremam Unctionem: alij cum Philiarco, alijsque ad neutrum obligari, modò infectus, ſit legitimè confeſſus.

3. Dico ergo cum eodem Marchino, hanc tertiam ſententiam amplectente, Parochum, poſtquam, ut dictum eſt, ſive per ſe, ſive per alium peſte infectorum confeſſionem audivit, abſolvitque, non eſſe ſub mortali cogendum, ad miniſtrandam prædictis Evchariſtiam, vel Extremam Unctionem, cum admodum veriſimili vitæ periculo; eſſe tamen id magnæ perfectionis, & charitatis opus, dubitare neminem poſſe. Ratio præcipua hujus tertiæ ſententiæ eſt, quia ritè confeſſus, & abſolutus jam manet in ſtatu gratiæ, & ſic gloriam non amittet, atque ex alia parte Parochus ex vi curæ paſtoralis ſolùm tenetur vitam exponere pro neceſſarijs ad ſalutem ſuarum ovium, non verò pro non neceſſarijs; ad hæc enim tunc obligatur, quando ea conferre poteſt ſinè claro ſuæ vitæ periculo; ſecus nimis ſupra humanas vires expoſceremus à Parochis; unde judicandum, per aſſumptionem officij, ad hæc non neceſſaria, non tam rigoroſè ſeſe obligaſſe.

4. Confirmatur hæc ſententia ex declaratione Sacræ Congregationis ad S. Carolum Borromeum miſſa de qua ibidem teſtatur Marchinus.

Die 3. Menſis Decembris 1677.

Congregatio cenſuit, ſcribendas eſſe litteras ad Carolum Borromeum in hanc formam.

Parochi tempore peſtis tenentur omnino reſidere in ſuis Eccleſijs Parochialibus, & ſi non reſideant, agendum contra eos ex Decreto cap. 1. ſeſſ. 25 & ſervata forma ibi præſcripta; miniſtrare veri Parochianis peſte infectis Sacramenta Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis, & baptiſmi per alios.

Et licèt Alciatus diceret, quod ex duobus ultimis verbis videatur prohiberi, ne Parochi etiam volentes per ſe ipſos hæc duo Sacramenta miniſtrent; tamen ita Congregatio dixit, quòd iſta erat mens Sanctiſſimi in prohibendo hæc Parochis ad commodum Parochianorum, qui ſani eſſent; hi enim univerſaliter nollent converſare cum Parochis euntibus ad infirmos peſte.

5. Hactenus Congregatio, quæ, cum ſolùm requirat curam Parochorum pro miniſtranda pœnitentia, & Baptiſmo in illo periculo, videtur eoldem excuſare à miniſtranda Evchariſtia, & Extrema Unctione. Et ſanè non ſolùm excuſabuntur; verùm etiam obligabuntur hæc duo ſacramenta non miniſtrare, quando ob adminiſtrationem horum deeſſet, vel defecturus eſſet, qui poſteà adminiſtraret Pœnitentiam, vel Baptiſmum, ſic enim nocerent gregi; non prodeſſent.

6. Dictum eſt autem *num.* 3. (*cum admodum veriſimili periculo*) nam ſi periculum non eſſet hujuſmodi, ut evenire ſolet initio peſtilentiæ, quando nondum certum apparet periculum, vel quando contagium leviter ſævit, pauciſſimique inficiuntur; ſanè ex vi ſui officij cogendi ſunt Parochi ad miniſtrandam etiam Evchariſtiam, & Extremam Unctionem, ut notat ibidem Marchinus n. 18.

7. No

7. Notatque idem n. 19. cum Filliucio: si peste infectus, morti proximus, Sacramentum Pœnitentiæ propter aliquod impedimentum non suscepit, omninò Parochum, sive per se, sive per alium teneri, infecto illi sacram Unctionem conferre, ut scilicet si fortè peccato mortali sit maculatus, possit attritus cum Sacramento Extremæ unctionis in gratiæ statu poni.

8. Notat denique Leander apud Delgadillo *cap. 4. de Evchar. num. 52.* in prædicto tempore pestis licitè deferri Evchariſtiam ad peſte laborantes absque præcedenti lumine, vel sine stola, vel superpelliceo, quando hæc commodè adhiberi non possunt, quia ipsum Sacramentum, debitaque illi reverentia quasi cedit tantæ infirmi necessitati.

An peste infectis ministrare liceat Evchariſtiam aliquo Instrumento?

9. QUoniam Suarez *de Pœnit. disp. 44. sect. num. 20.* aliique allati, approbatique à Marchino *loco cit. cap. 5.* dicunt, non esse incongruum, peste infectis ministrari à Parochis, ut magnum vitæ discrimen effugiant, Extremam Unctionem à longè, virgulâ quâdam argenteâ, sive ex alia congruenti materia. inquires secundò, an id liceat in Evchariſtia, hoc est, per aliquod instrumentum affabrè factum porrigere infecto sacram hostiam?

Ut hæc quæstio dilucidetur, habe hîc, quæ docet contra hoc instrumentum Marchinus, quæque docet Mancinus in favorem.

10. Marchinus *loc. cit. cap. 5. n. 6.* sic pronunciat. Dico, regulariter loquendo, usum hujus instrumenti in administranda Evchariſtia esse hoc tempore reprobandum: sic Bonacina, sic etiam Concilium quintum Provinciale Mediolanen. in quo quindecim Episcopi, & inter eos multi doctissimi interfuerunt. Ratio est, tum ob reverentiam tanti Sacramenti, quæ requirit, ut administretur à manu consecrata, tum ob periculum, ne sic dejiciatur Sacramentum. Confirmatur, quia grassante eo anno per plures partes pestilentia, nullus Episcopus usum hujusmodi instrumenti permisit. Quare Possevinus, qui citatur contra hanc sententiam, postquam usum dicti instrumenti, quasi disputativè approbare visus est, tandem sic adjecit: ego tamen non recederem à communi usu Ecclesiæ, quæ est ministrare immediatè manu Sacerdotis. An autem (*addit Possevinus*) qui illo instrumento uteretur, peccaret mortaliter, dubito; quia contraveniret gravi cæremoniæ Ecclesiæ universalis.

11. Praxis ergo ad evitandum contagium in eo tempore erat, ut os ejus infecti, qui Sacram Evchariſtiam suscipere debebat, aperiret, ut sic exhalaret pestifer halitus; deinde Sacerdos elongabat brachium, & ab infimo longè distans, sacram hostiam eidem dispensabat; statimque absque ulla mora digitos, & totam manum aceto abluebat. Hæc Marchinus.

12. Sed contra Mancinus sic habet *in practica de visitandis infirmis practica 8.* Potes, seclusto periculo irreve-

verentiæ ; ùti aliquò decenti instrumento ad communicandum peste infectos, ut mortis periculum evites ; nam, quod tibi prodest, & alteri non nocet, facilè concedendum. Ita Posse vinus, quem sequitur Victorellus ; & hìc quidem ait : sicuti sacra Evchariſtia potest ministrari patenâ, ita posset aliquo instrumento affabrè facto, etiamsi istud non sit, ut est patena, consecratum : nam posset responderi, pyxidem, in qua servantur particulæ, non oportere esse benedictam, ut tenet Azor, ita ergo nec instrumentum affabrè factum ad hunc effectum communicandi infectos : & quidem hanc opinionem idem Bonacina probabilem esse putat.

13. Accedit denique usus assiduus, quem tenet D. Petrus de Marchis Archiep. Smyrnen. in sua Diœcesi, in qua assiduè pestis viget ; & ipsemet Patribus meæ Religionis ministrantibus infirmis retulit, éstque hujusmodi. Post illorum Confessionem Sacramentalem, Sacerdos ponit reverenter particulam consecratam super folium paginæ albæ, existens super scabellum ad id præparatum, & dictis verbis, *Domine non sum dignus, &c.* infirmus accedit ad Sacramentum, & lingua particulam sumit, accipítque à Ministris purificationem, & interim Clericus candela accensa in summitate virgæ paginam illam comburit. Hæc præfatus Archiepiscopus. Quem usum probabilem puto, tutáque conscientia teneri posse tempore pestis tantùm. Hactenus Mancinus.

14. Advertis ingeniorum diversitatem inter duos tam vicinos nomine, quàm sententiis distantes. Hinc tamen collige, utramque opinionem admitti probabiliter posse : quoad scandalum verò, si fortè ex alterutra timeatur, facilè illi occurres, monendo adstantes de probabilitate, securitatéque opinionis. Sententiæ Mancini adhæret etiam Venerus, & Marcant. apud Dianam *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 114. & *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 50. eandémque probabilem vocat Barbosa, & Paxiordan. apud Gobat *de Communione casu* 21. admittítque Gavantus *in Enchiridion. Episcoporum Ver. pestis num.* 7. & idem Gobat limitans pro locis, ubi sic usurpatur, addens ibidem alium modum communicandi prædictos peste laborantes, nempe si sacram particulam imponas spatulæ, atque ita porrigas ægroto, statim deinde spatulam abluturus. Ita Gobat. Spatula autem est instrumentum ad gladij formam factum, seu ad similitudinem frondis arboris palmæ. Quòd si latior, & in parvæ patenæ formam (ut sic caveatur periculum) summa pars sit, fiatque ex argento, vel simili decenti materia ; nec, ut dixi, sit periculum, quòd decidat facilè sacra particula ; si, inquam, sic fiat, videtur ad intentum nostrum aptius instrumentum, quàm prædicta pagina, & scabellum.

15. Idem Archiep. Smyrnens. (ut id etiam hac occasione non omittatur) Extremam Unctionem peste infectis sic administrari posse, asseruit. Ligant in summitate virgæ parvæ globum bambaceum, quem oleo sancto Sacerdos intingit, & ungit partes corporis ungendas cum debita forma ; deinde

cum

cum alia virga, in cujus summitate est alligatus parvus etiam globulus stupæ, seu bambacis, partes unctas abstergit cum consuetis observationibus, &c. Hæc ex Archiepiscopo Smyrnens. Mancinus ibidem.

CAPUT XVI.

An indigno ministranda sit aliquando Eucharistia publico, vel occulto peccatori?

1. Regula generalis hac de re est sequens, tres habens partes. Prima pars est hujusmodi. Communionem negabit Sacerdos, sive Parochus, sive non Parochus peccatori publico publicè petenti. Secunda est: negabit item occulto petenti occultè, sed non negabit occulto publicè petenti. Tertia est: concedet publico, vel occulto, si non constet, eos consistere in luto peccati. Ratio horum ducitur ex illis duobus principiis, quòd scilicet *non est dandum Sanctum canibus, Matth. 7.* & quòd conservanda semper est fama proximi. Legite hæc latè apud Suarez *disput. 67. sect. 5.* & Fagundez *præcept. Eccl. 5. lib. 3. cap. 10.*

2. Ad majorem tamen explicationem pro praxi, nota primò: si peccator occultus petat quidem occultè, sed præsentibus aliquibus, qui illius peccatum sciunt, nesciunt tamen pœnitentiam, tunc ille non est occultus respectivè ad hos, apud quos jam amisit jus famæ, & nec dum constat, illam recuperasse per emendationem; quare deneganda est ipsi communio: quòd si vel unus tantùm ex assistentibus ejus peccatum resciat, erit sanè occultus, & ei non erit deneganda communio, quia tunc petens communionem retinet jus famæ, quæ non amittitur, nisi per publicitatem, quam nunc non adesse, supponimus.

3. Nota secundò, si scias peccatum alicujus impœnitentis ex sua Confessione Sacramentali, qui tamen petat communionem sive publicè, sive occultè, eam, ne quæso, deneges; ita te obligante rigoroso sigillo confessionis, etiamsi occultissimè petat; id enim esset exproprare peccatum pœnitenti, quamvis ipse solus adverteret.

4. Nota tertiò, illud hic difficile est in praxi, quomodo cognoscatur, petens Eucharistiam, amisisse, vel non amisisse jus famæ; unde ipsi petenti debeam, vel non debeam morem gerere? Habe præ oculis sequentem distinctionem, quam colligo ex Caramuele *lib. 3. Theolog. mor. num. 1393.* Vel antequam accedas ad altare, scis Petrum e. g. peccatorem publicum à te velle petere Eucharistiam, vel nescis antea, sed dum ibi existis, accedit ad te communicaturus dictus peccator: si sit hoc posterius, regulariter illum communica; quia in eo temporis momento, iisque circumstantiis non potes deliberare, an ille fuerit à Deo tactus, & consequenter confessus, & emendatus: quare, nisi evidentissimè tibi constet, ipsum adhuc esse in peccato (quod certè id difficile videtur, id tibi constare, tunc posse) non potes illum repellere.

5. Si

5. Si sit illud prius, hoc est, antequam ad altare accedas, scias, Petrum e. g. esse peccatorem, tunc examina diligenter tecum circumstantias, seu indicia obstinationis, vel emendationis, nam si omnibus à viro prudenti expensis, publicus ita est, ut nulla tergiversatione cælari ejus peccatum, seu impœnitentia possit (ut e. g. ob concubinam domi adhuc retentam) audacter repelle; secus, benignè admitte.

6. Tunc autem per nullam tergiversationem cælari potest peccatum, non quidem quando adest sola probabilitas, sed quando adest ejus peccati evidentia, vel adsunt ejusdem peccati violenta indicia, quæ certè pariunt evidentiam moralem.

7. At quænam est hæc evidentia moralis? Respondeo, est illa, quæ innititur talibus indiciis, ut ex nulla probabili ratione depelli, vel obscurari valeat id, quòd ex illis indiciis enasci videtur; sive, quæ tales habet conjecturas, ut nihil appareat, quod contrarium suadere probabiliter possit. Ejusmodi est commune exemplum, nudum cum nuda invenire in loco occulto ad inferendum turpem congressum.

Num, & quandò communicandus? peccator infirmus?

8. AT inquires primò: ego Confessarius vocor ad meretricem e. g. vel usurarium publicè infames in lecto graviter, sed integris sensibus decumbentes, ut illis ministrem Viaticum, vel etiam confessionem, quomodo me prudenter geram? Respondeo cum Suarez *disp. 67. sect. sect. 2. de Euch.* & cum Tannero *disp. 5. q. 2. num. 209.* ut his Communio ministretur, satis esse, ut pro temporis conditione ritè confiteantur. Addo tamen, ne scandalum aliis præbeatur, opus esse, ut publicetur à Parocho, seu Confessario, vel aliis emendatio meretricis, vel usurarij (nisi ex circumstantiis hæc sit aliunde publicata) cum consensu infirmi, quem omninò dare tenetur, si velit communionem.

9. Ut autem ritè talis e. g. meretrix confiteatur, poni debent hæ sequentes quatuor conditiones, quas affert Navarrus *in man. cap. 3. num. 14. sub littera E.* loquens de eo, qui est in occasione proxima, & illam relinquere non datur.

10. Prima, ut promittat quærere omni conatu modum abeundi à Lupanari, seu à loco, ubi de facili peccata committit; nisi fortè justam, eámque gravem causam habeat, ibi permanendi; puta, quia hic, & nunc alium locum habere non potest, sed promittat nihilominus, alium quærere, quantum ejus vires possunt.

Secunda, ut adsit vera pœnitentia, & dolor.

Tertia, ut adsit verum propositum non peccandi de cætero.

Quarta, ut adsit peculiare propositum, quod gratia Dei adjuvante, quæ nunquam deest, firmiter statuat, non peccaturam ex illa occasione, in qua est. Notat tamen ibidem Navarrus, non esse opus credere, seu sibi persuadere, nunquam inposterum se peccaturam, cùm satis sit, ut omninò nolit in poste-

posterum ipsa peccare; æquè enim hæc duo sunt contraria, siquidem credere, est actus intellectus; nolle, est voluntatis actus.

11. His habitis, eam absolvere, & evulgata, ut jam dixi, ejus emendatione, sacro Viatico munire potes. De his multa minutiora habet Tomas Hurtadus *tom. 1. resp. mor. tract. 1. num. præsertim 1.*

An communicandus peccator moribundus sensibus destitutus?

12. INquires secundò: Quid si ego idem Confessarius, vel Parochus vocer ad graviter ægrotantem publicum peccatorem, qui omnibus sensibus est destitutus, debeone hunc reputare indignum communione?

13. Respondeo, in hoc desperato casu poteris illi tunc impertire absolutionem Sacramentalem. Primò, quando unus, vel una testetur; illum sui compotem petijsse confessionem. Secundò, quando in eo vitæ periculo dedit aliquod signum doloris, tundendo e. g. pectus, Imaginem Sanctam piè aspiciendo, &c. Tertiò, si haberi neutrum ex his possit, adhuc in praxi probabile judicant, aliqui viri docti, huic Christiano, Christianamque vitam professo, posse sub conditione impendi absolutionem: sicuti etiam omnes notant; sub eadem conditione debere dictam absolutionem dari in illo secundo casu, quando infirmus solùm prædicta signa dedit, & confessionem non petijt. De his agitur *in tr. de confessione*, & nos aliqua attulimus *supra c. 7. n. 19.*

14. Denique his ita dispositis, & instructis adstantibus de probabilitate doctrinæ, ne scandalum patiantur, poteris ejusmodi ægroto præbere Viaticum, addendo tamen tria. Primò, assistentibus infirmo edicas, ut si æger fortè ad sensus redeat, ipsum admoneant, ut diligentiùs confiteatur; id quod certè semper fieri debet, quando propter aliquam necessitatem perdendi citiùs vitam confessio non fit integra materialiter. Secundò, ut seriò promittat, cum convaluerit, occasiones peccandi omninò tollere; dum, & etiam antequam convalescat, si potest, tollat. Tertiò, ut dum interim ægra e. g. in lecto decumbit, causa seu occasio peccandi, illi ne offeratur; Amasius e. g. illam ne inviset: secus ex Amasio præsente facilè in pravas cogitationes, & affectus reincideret.

An particulam non consecratam aliquando porrigere liceat peccatori occulto?

15. INquires tertiò: An detur aliquando casus, in quo peccatori occulto possit porrigi hostia non consecrata, quasi porrigeretur consecrata? Exemplum solet afferri de puella obstinatè peccante cum juvene, quam frater occidere minatus sit, nisi videat oculis sororem communicantem: de hac quæritur, an Confessor, non valens illam à peccato avertere licitè ipsi possit ministrare particulam non consecratam, quo pacto illa sacrilegium non commitet, & frater ab occisione se continebit?

16. Respondeo, cum S. Thom. 3. *part. quæst.* 4. *art.* 6. nullo modo licitè posse; quia sive particulam consecratam jungas cum non consecrata, sive eandem non consecratam quomodocunque occultes, semper ipsa porrectio facta fideli genuflexo, & communicare simulanti, factaque cum ijs adjunctis, quibus solent Fideles communicare, est cultus religiosus externus, qui non potest licitè dari, nisi soli consecratæ: quare hac simulta porrectione uti, esset semper Idololatriæ delictum. Nec obstat, quòd illa simulatione evitaretur mors puellæ, nam non sunt mala facienda, ut eveniant bona; quod est commune proloquium Theologorum, & Canonistarum; quidquid dicat Villalobos apud Dian. *p. 3. tr. 6. ref 83. & p. 4. tr* 4. *ref. 47.* qui prædictam simulationem concedit.

An Sacerdos indignus, hoc est, peccator possit sine peccato alijs ministrare Eucharistiam?

17. Dictum est de Sacerdote communicante indignum. Nunc verò per hanc occasionem inquires quartò, quid si ipse Sacerdos est indignus, hoc est, si ipse in peccati mortalis luto versatur, poteritne sine peccato Fidelibus Eucharistiam distribuere? Non quæro de Sacerdote excommunicato, nam de hoc paulò post dicendum erit.

18. Respondeo duplicem esse sententiam. Primam sequuntur Suarez, Bonacina, Sylvester, Marchinus, alijque apud Leandrum *tract. 7. disp. 5. de Eucharist. quæst. 35.* peccato mortaliter affirmantes; quia summa irreverentia est, ajunt, in peccato mortali Eucharistiam tractare.

19. Quòdsi ab ijsdem petas, quot peccata mortalia committat in confessione distinctè explicanda, qui in mortali, e. g. decem, viginti, centum, sive extra, sive intra Missam Eucharistiam porrigit? Respondet Marchinus, alijque apud eundem Leandrum *tractat 5. disp. 8. quæst.* 18. tot peccata, quot sunt personæ, quibus porrigit, distinctè manifestanda in Sacramentali Confessione, quia sunt tot actiones pravæ, quot Sacerdos ille communicat.

20. At respondent Henriquez, Fagundez alijque apud eundem Leandrum cum distinctione; si pluribus successivè, & continuatè, vel cum modica intercedente morula distribuat, unico peccato peccare: si non continuatè, sed per notabilem moram, tot peccata committet, quot vicibus ad Fideles communicandos accedit. Ratio dictæ distinctionis est, quia propter illam continuatam successionem illæ distributiones, quamvis sint plures physice, tamen moraliter judicantur ut una; id quod non est, si continuata non sit distributio.

21. Hanc eandem distinctionem in alijs materijs usurpant non pauci DD. apud eundem Leandrum *tom. 1. de cens. disput. 4. sect. 44.* & de Lugo *disp. 16. de Pœnit. à num. 557.* Illa est multum communis, qua dicunt, Confessarium in peccato mortali existentem, multos modo dicto continuato absolventem, semel peccare verò plu-

ries,

gies, si non continuate, sed per notabilem moram, &c. atque hæc de prima sententia.

22. Secundam ergo sequuntur Valquez, De Lugo, Diana, aliique apud eundem Leandrum *dict. quæst. 25.* & Gobat *de Eucharist. cas. 71.* cum Barbosa, & Dicastillo, asserentes, Sacerdotem in mortali existentem non peccare mortaliter, Eucharistiam aliis propinantem; & Leander quidem dicit, solùm peccare venialiter. Delgadillo autem *cap. 4. de Eucharist. dub. 13.* dicit, se nullum peccatum agnoscere, ne veniale quidem, ut etiam ego non agnosco.

23. Ratio hujus sententiæ est, quia tunc Minister Sacramentorum (ut alibi dictum est *in tract. de Sacramentis*) peccat, quando in mortali existens conficit Sacramentum, aut sua actione caulat sanctitatem in Sacramenta recipientibus, ut quando consecrat, aut quando baptizat, vel absolvit; at nunc Sacerdos solùm distribuit Sacramentum jam factum, non verò facit; & & nec ipse sua actione gratiam confert, seu causat; conferetur enim gratia in communicante ab ipsa actione, qua Eucharistia à Fideli manducatur.

Dices: contrariam sententiam videtur docere Nicolaus Papa *cap fin. 9. 1.*

24. Respondeo. Solùm illam docere, ut probabilem, sicuti putat Gobat *loco cit.* §. *24.* Quòd ergo non peccet mortaliter, est probabile, cùm ex alia parte non adsit ulla lex in contrarium, nam ulla obligatio asserenda est sine lege, vel legitima consuetudo, quæ legi æquiparatur, ut habetur *cap. Legatur 24. quæst. 2. & l. 99 ff. de Verborum signif.* Et S. Thom *quodlib. 9. quæst 7. artic. 15.* sic rectè pronuntiat; *peri. ulosè determinatur aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur:* quem textum, cùm exscripsisset Gobat *loco cit.* addit: *hinc ego aliquando pronuntiavi illum immunem saltem à gravi culpa, qui digito solvit sacram Hostiam palato aglutinatam, quamvis illam tetigerit.* Hæc Gobat: qui in hoc exemplo sacræ hostiæ palato adhærescenti (ut id hac occasione non omittam) ex contextu videtur loqui de Sacerdote; nam puto hodie non esse id laico concedendum; sed is in casu simili omninò utatur ablutione, modo, quo diximus *sup. cap 11. n. 15.*

25. Quòd item Sacerdos non peccet venialiter, porrigendo Sacram Hostiam, dum ipse est in mortali (semper tum hìc, tam in præcedentibus, semoto contemptu) ex prædicta proxima doctrina colligimus, quia ex nulla lege, vel legitima consuetudine prohibitum est Sacerdoti, non existenti in gratia, distribuere, vel tangere Eucharistiam. Immò etiam laicum ipsam osculari, licitum per se esse, docet idem Suar. *disp. 7. sect. 4. de Eucharistia.*

26. Neque recurras ad irreverentiam, quia hæc nimis probarent; probaret enim etiam tangere in mortali, esse peccatum veniale: quare quoties Sacerdos tangeret sacram hostiam in Missa, toties peccaret, quod tamen dicere nimis est durum; ad Eucharistiam distribuere, vix, vel ne vix quidem differt ab ejusmodi contactu; quod si

adest tunc aliqua irreverentia, ea est admodum levis: & (ut habet Delgadillus cit.) inducit quidem aliquam indecentiam, sed non culpabilem.

27. Dixit autem modò Suarez, (*per se licitum esse sacram hostiam osculari*) nam cæterum de Lugo *libr. 1. resp. mor. dub. 11.* cum dixisset, non esse afferendam Eucharistium ad infirmum, ut eam adoret, quando communicare non valet, addit in hunc modum: multò minùs permittendum videtur, quòd infirmus osculetur Sacram Eucharistiam, quia id est contra usum totius Ecclesiæ latinæ, in qua numquam laici aliter eam contingunt, nisi lingua, & ore, dum eam sumunt: immò nec Sacerdos, nec Diaconus, nisi vestibus sacris, vel saltem stola ornati: quod totum ad cultum, & reverentiam ejusdem Sacramenti tuendam videtur omninò retinendum, hoc præsertim tempore, quo recentiores hæretici cultum hujus Ven. Sacramenti de medio tollere nituntur.

An Sacerdos digitis læsus sit reputandus indignus pro communicandis Fidelibus?

28. INquires quintò: An Sacerdos, qui ob aliquod superveniens impedimentum, e. g. vulnus, chyragram, vel quid simile, nequit ministrare Eucharistiam pollice, & indice (quos vocare consuevimus, digitos Canonicos) licitè distribuet alijs digitis Eucharistiam?

29. Respondeo: Licitè, ut contra Bonacinam, alioque sustinent Leander *disput. 4. quæst. 19.* quem sequitur Delgadillo *de Eucha. cap. 4. dub. 12.* Ratio est, quia tota Sacerdotis manus est consecrata.

30. Nec obstat primò consuetudo, quia non omnis consuetudo est obligans, præsertim hæc, quæ est fundata in eo, quòd ordinariè, & ex decentia fieri solet distributio Eucharistiæ cum ijs digitis, qui sunt magis apti ad ministerium hoc expediendum.

31. Nec obstat secundò reverentia Eucharistiæ debita, quia, quæso te, quænam irreverentia est, uti cum decenti dexteritate digitis alijs, jam, ut dixi, consecratis, ijsque illam distribuere?

32. Nec obstat tertiò irregularitas, qua laborat ex sacris textibus Canonum is, qui Canonicis illis digitis caret, vel eosdem valdè debiles habet, ut is contrectare nequeat sacram hostiam; non obstat, inquam, quia non nos loquimur de ejusmodi impedimento superveniente Sacerdoti, item de non celebrante, sed de purè distribuente Eucharistiam, supponendo semper, non adesse periculum, sacram particulam elabendi.

An Sacerdos excommunicatus licitè aliis ministret Eucharistiam?

38. INquires textò: quid de Sacerdote indigno ex eo, quòd sit excommunicatus?

Respondeo, & quidem non possum hanc quæstionem solvere clarè, nisi explicando universaliter, quandonam liceat, vel non liceat Sacerdoti excommuni-

municato, se immiscere in administratione Sacramentorum.

34. Porrò recolendum est, primum excommunicationis effectum esse, impedire excommunicatum, ne administret Sacramenta, sed certè diverso modo, quando excommunicatus est vitandus, & quando non vitandus; nam propterea semper ante oculos versanda est celebris illa divisio excommunicationis in vitandam, seu non toleratam, & in non vitandam, seu toleratam. Excommunicatio vitanda est, qua afficitur quis ex publica percussione Clerici, & qua afficitur is, qui nominatim pro excommunicato est publicè denunciatus ab Ecclesia. Non vitanda est quæcunque alia excommunicatio præter duas dictas. His in mentem redactis, quæ latè tractantur in materia de excommunicatione, prius de Sacerdote vitando, mox de non vitando, quantùm pertinet ad nostrum institutum, disseramus.

Excommunicatus vitandus in administratione Eucharistiæ, aliorúmque Sacramentorum.

35. EXcommunicatus vitandus mortaliter peccat, si vel Eucharistiam aliis distribuat, vel alia administret Sacramenta: excipe matrimonium, de quo n. 52. dicam:) ipsa tamen sic ministrata, si in cæteris substantialibus nihil deficiant, valida erunt, excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod erit regulariter invalidum. Notentur singula verba.

36. Dictum est primò (*mortaliter peccat*) est enim Ecclesiæ prohibitio in re gravissima; excusabit tamen aliquando necessitas, ut si alius e. gr. non adsit, qui morti proximum possit baptizare.

37. Quòd si baptizatus aliquis morti proximus absolutionem Sacramentalem ab alio legitimè acceperit, licet aliqui cum Avila 2. *p. cap. 6. disp. 3. dub. 3.* aliisque negent, posse illi etiam, absente alio Sacerdote, porrigi pro Viatico Eucharistiam à Sacerdote excommunicato, quia tunc Eucharistia non est ad salutem necessaria; nihilominus alij cum Soto, & Suarez cit. ab eodem Avila ibidem æquè probabiliter, unde & omnino in praxi approbandi, concedunt; nam quamvis hoc Sacramentum in se susceptum non sit necessarium necessitate medij, & tunc, absente Sacerdote libero à censura, non sit necessarium necessitate præcepti; quia potest dici, præceptum de Viatico non obligare, nisi quando debito modo illud dari possit; tamen, quia sacratissimæ Eucharistiæ susceptio maximè est utilis contra tentationes illius articuli, & fortasse ex probabili opinione producet per accidens in infirmo primam gratiam; quia potuit propter aliquem occultum defectum in absolutione illam non acquisivisse, ideo in eo articulo, & in ea carentia alterius Sacerdotis semper judicandum erit, Ecclesiam excommunicato etiam vitando, Eucharistiæ porrectionem velle concedere.

38. Atque hæc ratio probat etiam absente alio Sacerdote, posse infirmo

conferri ab excommunicato eodem Extremam Unctionem, id quod limitant aliqui, si Evchariſtiam ejuſmodi infirmus non receperit; nam ſi recepit, non apparet, ajunt, ratio, cur ab excommunicato poſſit Extrema Unctio ipſi conferri; mihi verò ſatis aperta ratio apparet, hanc limitationem rejiciendi; quia non eſt ita certum, producì per accidens primam gratiam ab Evchariſtia, ſicuti per unctionem Extremam, ut *in Tractatu de Sacramentis* dictum eſt.

39. Quando autem ejuſmodi infirmus ad mortem recipere Sacramentalem abſolutionem non potuit, tunc certè, vel Evchariſtiam, vel Extremam Unctionem eſſe ipſi conferendam propter dictam rationem, omnes concedunt.

40. Dictum eſt ſecundò, (*ipſa Sacramenta ſunt valida*) nam validitas Sacramenti dependet ab inſtitutione Chriſti Domini, quam tollere non poteſt Eccleſia; ſed Sacramenta, poſitis debitis requiſitis, hoc eſt, materiâ, formâ, & intentione Miniſtri, quamvis porrigantur ab excommunicato, etiam vitando, ſunt ſecundùm Chriſti inſtitutionem; ergo, &c. Quare ſi Epiſcopus excommunicatus vitandus ordinet aliquem, vel Sacerdos excommunicatus, item vitandus, celebret Sacrum, veros ille ordines confert; & verum hic ſacrificium, veramque conſecrationem dabit, iſque cum valore ex opere operato, quia hæc à divina Chriſti Domini inſtitutione ſolùm dependent.

41. Dictum eſt etiam (*excepto Sacramento Pœnitentiæ*;) ad validitatem enim hujus Sacramenti, ut diximus requiritur, ut Miniſter, ſeu Sacerdos polleat juriſdictione ſpirituali in pœnitentem, atque hanc, ut paulò poſt dicemus, totam tollit, vel ſuſpendit Eccleſia ab excommunicato vitando; & quia etiam ad abſolutionem venialium, ut item mortalium ritè aliàs abſolutorum, requiritur hæc juriſdictio, ideò etiam invalida erit collata ab excommunicato vitando; ſed id intelligo in ſententia Caſtropal. *de Pœnit. p. 16. num. 33* qui tenet, etiam juriſdictionem ad venialia tradi ab Eccleſia; nam ſecus, diceret Vaſquez, qui ſuſtinet, hanc juriſdictionem ad venialia abſolvenda, & mortalia ritè aliàs abſoluta, dari à Chriſto Domino in ipſa ordinatione Sacerdotij.

42. Dictum eſt quartò (*regulariter*) nam ſunt duo caſus, in quibus excommunicatus vitandus validè miniſtrabit Pacramentum Pœnitentiæ, ut colligitur ex Trident. *ſeſſ. 14. capit. 6.* Prior eſt, quando is abſolvit conſtitutum in articulo mortis, ſaltem poſito, quòd non ad ſit alius Confeſſarius. Ratio eſt, quia (quidquid aliqui apud Azorium *lib. 8. cap. 11. quæſt. 12.* contradicant) in eo caſu tam neceſſariò Mater Eccleſia cenſetur concedere omnem juriſdictionem cuicumque Sacerdoti, etiam excommunicato vitando. Qua ratione tamen tum in hoc, tum in ſequenti caſu debeat prædictus excommunicatus eſſe in ſtatu gratiæ, ne peccet; vide ſupra *n.* 6.

Se-

Secundus est, quando adest titulus coloratus, & error communis juxta *leg. Barbar. ff. de Officio Prætoris*, ut si Sacerdos alibi, e. g. Neapoli vitandus, quia hic Panormi est incognita ejus excommunicatio, obtineret ab Archiepiscopo Panormitano licentiam audiendi confessiones, validè hic absolveret, si communiter ignoretur ejus excommunicatio, tunc enim præsumitur, Ecclesiam, ad evitandas perturbationes in populis Fidelibus, necessariam jurisdictionem concedere; atque hìc est casus certus, nam alios pertinentes ad hocidem argumentum de errore populi sine titulo colorato explicatur pluribus *in tract. de Sacram. Pœnit.*

43. Quæres: Parochus vitandus validè assistit matrimonio contrahendo, quia hic non est actus jurisdictionis, ut certum est; at licitè ne assistit? Respondeo; Illicitè mortaliter putat Pontius *lib. 5. de matrim. cap. 17. num.* 11. siquidem sic communicat cum Fidelibus in rebus sacris sine necessitate? nam licet matrimonium volentibus, sit necessarium habere Parochum assistentem; tamen huic necessitati facilè potest Parochus vitandus succurrere, delegando suum hoc assistendi munus alteri Sacerdoti, quam delegationem ab ipso Parocho excommunicato licitè fieri posse, docet *loc. cit.* idem Pontius, quia ipsa non est actus jurisdictionis.

44. Sanchez autem *lib. 3. de matrimonio disp. 3 num. 21.* putat, illicitè solùm venialiter assistere; quia cum hujusmodi communicatio, quamvis in sacris, sit ex officio proprio Parochi exhibenda, non apparet, unde tam graviter peccet, si illud alteri nolit committere, velitque per se suum munus exercere; est enim aliqua necessitas Parochialis suo officio in nihilo deesse. Atque hæc sententia multò magis veritatem præ se ferret, si teneas cum Coninch *disp. 27. num. 25.* & Laym. *lib. 1. tract. 10. part. 2. num. 4.* Parochum vitandum non posse validè communicare alteri hoc suum assistendi officium; tunc enim esset necessitas admodum clara, quia sine ipsius assistentia cilent invalida matrimonia. Utraque ergo sententia probabilis est.

45. Ex dictis denique pro re nostra jam colligis, te peccare mortaliter, si à Sacerdote excommunicato vitando Sacramenta Evchariſtiæ recipias, sicuti ipsemet, administrando illa tibi, peccat, exceptis illis casibus, quos jam excepimus.

Excommunicatus non vitandus in administratione Evchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum.

46. EXcommunicatus non vitandus validè administrat omnia Sacramenta, etiam Pœnitentiæ; sed peccabit mortaliter, si administrationi, vel porrectioni Evchariſtiæ se ipse ingeret, non vero si à Fidelibus requisitus, ijsdem distribuat, quantum est ex vi excommunicationis, tam Sacramenta Pœnitentiæ, quàm Evchariſtiæ, &c.

47. Dictum est primò (*validè omnia Sacramenta*) nam si validè administrat vitandus, quantò magis non vitandus? ut paulò ante diximus.

48. Di-

48. Dictum est secundò (*etiam Pœnitentiæ*) nam hoc fuit inter cætera beneficium concessum à Concilio Constantiensi, ut Fideles non tenerentur vitare etiam in administratione Sacramentorum excommunicatos non vitandos, ergo illis exercitium jurisdictionis concessit; si enim non concessisset, cogeretur Fidelis in Sacramentis, pro quibus necessaria est jurisdictio, eos vitare: quare cùm eam non abstulerit ab excommunicatis non vitandis, non est unde ex hoc capite Sacramentum Pœnitentiæ deficiat.

49. Dictum est tertiò: (*peccabit mortaliter, si se ipse ingeret*); Concilium enim Constantiense nullum favorem voluit ipsi excommunicato in hoc concedere, ut latè probatur *in tract. de excommunicatione.*

50. Dictum est quartò: (*non verò, si à Fidelibus requisitus*) nam, ut latè ibidem dicitur, & fusè habet Sanchez *lib. 7. de matrimon. disp. 9. num. 8.* si peccaret excommunicatus, quando est requisitus, peccarent etiam requirentes, propter cooperationem cum ipso; ut ergo constet favor Fidelium, necesse est affirmare Concilium indirectè saviisse etiam excommunicatis, ne peccent in eo casu, in quo requiruntur.

51. Dictum est quintò (*quantum est ex vi excommunicationis*) nam si ipse excommunicatus sit in statu peccati mortalis, sive quia non procurat excommunicationis absolutionem, sive quia adhuc laborat peccato contumaciæ, ob quod sit excommunicatus, sive ob aliud, etiam requisitus ab alio, peccabit mortaliter, administrando, seu faciendo Sacramenta, non quidem ratione puræ ipsius excommunicationis, sed ratione peccati mortalis, sub quo indignè administrat; debuerat enim se ponere in gratia, & deinde administrare. Excipe porrectionem Eucharistiæ; ut latè suprà diximus ex nostra sententia.

25. Verùm ecce insurgit timoratæ conscientiæ Vir, & sic inquirit: *Si ego petam ab hoc excommunicato sic male dispositò, ut mihi Sacramentum, e. g. absolutionem Sacramentalem administret, cooperabor cum ejus peccato, quod quamvis non committat, ut dictum est, contra excommunicationem, committit tamen contra reverentiam debitam Sacramentis, quæ illicitè conficiuntur ab eo, qui caret statu gratiæ: quæ ratione ergo cum hoc excommunicato, malè disposito, me geram, ut Sacramentum ab ipso petens, non peccem?*

53. Respondeo, & quidem certum est, te non peccare, si bona fide, nihil sciens, ad ejusmodi excommunicatum accedas; vel si probabiliter putes, ipsum, quia e. gr. novisti, fortiò procurasse absolutionem excommunicationis, esse nunc in statu gratiæ.

54. At verò si noscas, eum esse in statu peccati mortalis, distinguendum est. Vel enim tu alium non habes Confessarium e. g. & indiges opera excommunicati ad recipiendum Sacramentum tibi necessarium, vel habes? si prius, liber es à peccato, seu à peccaminosa cooperatione cum alterius peccato, quia tua necessitas te excusat. At si posterius, controversum est, an pec-

ces,

ces, primò ex sola vi excommunicationis, quia scilicet ab excommunicato petis Sacramentum, cum possis à non excommunicato. Secundò ex vi peccati mortalis, quo est maculatus ejusmodi Confessarius, dum ministrare intendit Sacramentum, existens in statu peccati mortalis, tuque illi cooperaris.

55. Et quidem te peccare mortaliter, etiam ex solâ vi excommunicationis, quamvis non vitandæ, putant aliqui cum Suarez *disp. 11. sect. 4 num. 11.* & Laym. *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 4.* quia indecens graviter est, ajunt, postulare Sacramentum ab eo, qui præcisus est ab Ecclesiâ, quando potes ab alio non præciso. Te autem ex sola vi dictæ excommunicationis non peccare, putant alij cum Sanchez *lib. 2 de matr. disp. 9. num. 1.* & Bonacina *disp. 2. de cens. quæst. 2 part. 2. §. 3. num. 4.* quia Concilium Constan. permittit hanc requisitionem ab excommunicato, non vitando, & tunc quando scilicet is est requisitus, non habet pro præciso ejusmodi excommunicatum. Cùm igitur Concilium non distinguat, quando adest alius non excomunicatus, vel quando abest, nec nos distinguere debemus. Utraque opinio probabilis est 5. sed hæc posterior mihi probabilior appareret propter dictam Concilij concessionem.

56. At ex vi peccati mortalis, in quo excomunicatus Sacramentum ministrat, certum est, te, absolutè loquēdo, peccare contra charitatem, si potens illud petere ab alio benè dispositò, petis ab hoc, quem scis administraturum in peccato; das enim illud scandalum, dum sine causa occasionem offers ejus novo peccato. Dico (absolutè loquendo) nam sic ex eo, quòd ipse in aliquo casu esset paratus ad administrandum in peccato, excusari tu potes à peccato cooperationis, ut alibi universaliter disputatum est.

57. Hic denique duo non sunt omittenda. Quæres enim primò, an Sacerdos excommunicatus vitandus, vel etiam non vitandus, quando hic non est requisitus, præter peccatum mort. incurrat aliquam pœnam, si alteri Evcharistiam distribuat?

58. Respondeo, cum Gballino *cap. 5. de irreg. quæst. 7. art. 17.* Sacerdotem excommunicatum vitandum, ut item non vitandum, quando hic non requiritur à Fidelibus, dispensantem Evcharistiam ab alio præconsecratam, fieri irregularem. Ratio est, quia illa dispensatio convenit Sacerdoti ex officio, & ratione ordinis; si quidem, dum ex vi ordinis accipit potestatem ad Christi Corpus verum conficiendum, accipit quoque ad illud distribuendum. Cùm ergo Sacerdos censura innodatus evadat irregularis, si exerceat proprios actus ordinis, ut latè *dixi in tractat. de excommunicatione, & irregularitate*, evadet etiam in hoc casu irregularis.

59. Quæres secundò, an excommunicatus non solùm quatenus recipit Sacramentum matrimonij, peccet, ut certum est, peccare; verum etiam peccet, quatenus illud ministrat, seu confert? scimus enim, Ministros Sacramenti matrimonij, non esse Parochos, vel alios, ut supra innuebamus, sed ipsosmet, qui matrimonium inter se contrahunt.

60. Respondeo: Aliqui asserunt, etiam ut Ministros peccare, sed probabiliùs affirmat Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 9. num. 4.* non peccare. Ratio potissima est, quia ad hoc, ut peccet excommunicatus ratione excommunicationis, ministrando Sacramentum, debet id facere ex officio, ad quod sit consecratus, ut dicitur *in tract. de Sacramentis in gen.* id quod non est invenire in conjugibus; qui licèt sint baptizati, & aliquo tandem modo per baptismum DEO consecrati, non sunt tamen consecrati peculiariter in ordine ad matrimonium conferendum.

CAPUT XVII.

Varia de Communione.

Quæ de communione locum non sunt sortita in præcedentibus, vel à loco exciderunt; hìc, nequid negligatur, erunt inserenda.

De communicante data opera cum pluribus particulis.

1. INquires primò. An quando communicas, sit majus bonum spirituale plures consecratas particulas, vel majorem hostiam, aut largiorem vini consecrati quantitatem ob devotionem sumere? Secundò, an id communicanti liceat?

2. Respondeo: Ad primum dico, id non quidem per se, sed per accidens esse majus bonum spirituale. Explico: est sententia probabilis apud de Lugo *de Eucharist. disp. 12. à num. 46.* & signatè notat Vasquez *disp 103. de Eucha. num 33. & 34.* toto tempore, quo durant sacræ species in stomacho, posse Eucharistiam causare gratiæ augmentum, si tunc quis per actus devotionis alios, & alios, & alios ad illam se disponat. Quoniam ergo sumens plures, majoresque particulas diutius Christum Dominum, quasi hospitem apud se retinet, diuturnius tempus habebit, in quo actus illos exercere possit, & consequenter majores gratiæ effectus consequetur; quod jam non est per se, id est, præcisè ratione Communionis, seu manducationis, sed ratione moræ, quam Christus facit apud nos, suppositis illis superadditis devotionis actibus.

3. Ad secundum dico: Quamvis hanc sententiam sic explicatam, ut probabilem concederemus, tamen hoc ex industria facere, etiam ob devotionis affectum, nequaquam licere: nam, ut ijdem Vasquez, & de Lugo prudenter insinuant, id vetus usus Ecclesiæ vetat in re gravissima. Vetat item periculum, ne sensim introducatur superstitio, vel opinio de veritate hujus Sacramenti, ut eo major existimaretur ejus virtus, quo plures essent species panis, vel vini. Vetat denique sacra Inquisitio, quæ, propter ejusmodi periculum, contra id facientes diligenter inquirit: nam propterea in Edicto Generali, solito promulgari à Sacra Inquisitione Hispanica, inter cæteros errores Sectæ Hæreticorum illuminatorum ponitur hic error, de quo loquimur, & jubentur Fideles denunciare eos, qui in illum in-

inciderent his verbis. *Denuncient eos, quos sciverint, sumere plures particulas simul, quando sacram Eucharistiam suscipiunt*, dicendo, *se recipere plus grane, &c.*

4. Dixi (*ex industria*) nam ad necessitatem consumendi particulas consecratas, cum renovatur Sacramentum, vel propter similem necessitatem id facere, licitum esse, immò pium, non est dubitandum.

5. Nota denique : Si quis ob dictum devotionis affectum libentiùs grossiorem hostiam, vel potum aliquantò largiorem eligeret, sed intra terminos eligi consuetos, illum sanè ab aliquibus excusari ; at si excederet, nulla ratione excusandum, quia dictum Ecclesiæ usum non observaret, dictoque periculo ansam præberet ; unde valdè etiam reprehendendus esset ille Capellanus, qui id alijs concederet, multò magis si mulierculis, & ignorantibus, ob quorum inscitiam proclivius esset errandi periculum.

Ad Festorum Indulgentias lucrandas, quando communicandum? & ubi in communione generali Soc. JESU.

6. INquires secundò : Quando Pontifex concedit Indulgentiam pro aliquo die festivo sub hac, vel simili forma : *Qui confessi, & communicati talem Ecclesiam visitant, lucrentur indulgentiam plenariam*, inquires, inquam, quando Communicandum ? num in hac concessionis forma non esse necessarium, Communionem fieri in eadem Ecclesia visitanda, manifestum est, quia id non imponitur. Dico (in hac) nam in Communione generali, quæ singulis mensibus celebratur à Patribus Societatis JESU, Communionem in ijs Ecclesijs, in quibus, seu pro quibus publicatur indulgentia, fieri oportet, quia, ut patet ex Brevi Pontificio, sic edicit Pontifex.

7. Sed jam respondeo verbis Portellæ *verb. Indulgentia num. 5.* Is (ait) qui visitat talem Ecclesiam, si fuit Confessus, & Communicatus quatuor ante diebus, & non habet mortalem culpam, lucratur Indulgentiam. Ita Comitolus *l. 1. resp. mor. quæst. 39.* Hæc Portella.

8. Ad Comitolum autem, apud quem hujus decisionis plures habes rationes, illa est præcipua, quia finis concedentis Indulgentias est, ut Fideles in statu gratiæ, & benè præparati visitent Ecclesiam illam, & ibidem orent; at Confessus, & Communicatus ante paucos dies, supposito quòd sit in gratia, satis videtur secundùm humanam Conditionem præparatus, ergo &c. Ita Comitolus, notans, id etiam locum habere, tametsi quando Communicavit, nullam considerationem fecerit de Indulgentia illa consequenda. Addit etiam de Lugo *disp. 27. de Pœnit. num. 93.* quando sic dicitur (*confessi, & communicati*) unam Communionem factam posse inservire pro acquirendis pluribus Indulgentijs eodem die. (Addo ego in ijs paucis, seu quatuor diebus modò dictis) visitando nimirum illam, seu plures Ecclesias, in quibus propositæ Indulgentiæ sint.

An necessaria sit hac forma concessionis confessio, vide mox *num. 16.*

An necessaria sit Communio pro Indulgentiis Portiunculæ, & Bullæ Cruciatæ.

9. INquires quartò: quid de Indulgentiis Portiunculæ, & Bullæ Cruciatæ?

Respondeo, & quidem priùs est sciendum, non semper ad Indulgentias acquirendas requiri à Pontifice Communionem. Tunc ergo satis erit præstare opera ab ipso injuncta, & hominem esse in statu gratiæ, qui enim est Dei inimicus, nullam sibi Indulgentiam acquirere posse, scimus omnes.

10. Dico igitur primò: non requiri Communionem ad Indulgentiam Portiunculæ, sed satis esse visitationem alicujus Ecclesiæ ex Ordine quocunque Minorum, ut docet Rodriquez *in compend. verb. Indulg. num. 50.* Ratio est, quia Christus Dominus, qui dicitur, eam Indulgentiam concessisse S. Francisco pro Ecclesia S. Mariæ de Angelis, dicta Porriunculæ, Communionem non injunxit, nec injunxêre Benedictus Pontifex, aliique, qui eam Indulgentiam confirmârunt, & extenderunt ad omnes Ecclesias dictorum Fratrum Minorum, & ex sententia prædicti Rodriquez (dubitante Portella) etiam Sororum ejusdem Ordinis Sancti Francisci. De hac Indulgentia Portiunculæ vide citatum Portellam, *verb. Indulg. in additione num 1.*

11. Dico secundò: ad acquirendas Indulgentias semel in vita, & semel in morte, & Indulgentias Stationum per Bullam Cruciatæ, non requiri communionem, quia in tenore dictæ Bullæ hæc non imponitur, sed tolùm pro dicta Indulgentia plenaria semel in vita, & semel in morte imponitur Confessio, quæ Indulgentia debeat ab ipso Confessore tibi habenti Bullam applicari; est tamen una exceptio pro Indulgentia in morte, hoc est, ut si in fine vitæ confiteri non valeas, satis sit, te esse contritum, seu esse in statu gratiæ, modò priùs, statuto tempore, confessus fueris; neque hujus concessionis fiducia fueris in confitendo negligentior. Pro Indulgentiis autem Stationum sufficit, te esse in statu gratiæ; quæ omnia distinctiùs dicuntur *in tr. de Bulla Cruciatæ.*

12. Nota obiter, ubicunque in concessione cujuscunque Indulgentiæ dicitur (*confessi, vel contriti; seu confessi, & contriti*) sufficere solam contritionem, ut tenet cum aliis Suarez *disp. 62. sect. 3. num. 10.* apud De Lugo *loco cit. num. 94.* id probabile existimantem; quamvis refragentur Cajetanus & alij apud eundem, qui in hac forma concessionis necessariam quoque requirunt confessionem.

De Communione tempore Jubilæi Universalis.

13. INquires quintò: quandonam est exhibenda Communio tempore Jubilæi Universalis?

Respondeo. Certum esse in tenore Jubilæi, quod solet Pontifex concedere per universam Ecclesiam facienti quædam pia opera ab ipso injuncta in prima, vel secunda hebdomada, Communionem

nionem exhiberi posse in quocunque die hebdomadæ, quam assumis ad Indulgentiam Plenariam acquirendam, quia id manifestè solet apponere Pontifex.

14. At difficultas non exigua olim erat, an qui in prima hebdomada e. g. voluisset lucrari Indulgentiam, potuisset communicare in Dominica superveniente ad dictam hebdomadam, quæ Dominica jam non pertinet ad hebdomadam præcedentem, sed ad sequentem; sicuti etiam, an qui voluisset Indulgentiam lucrari in dicta hebdomada secunda, communicare potuisset in simili Dominica superveniente ad hanc secundam hebdomadam, quando jam supponitur expirâsse Jubilæum, quod erat addictum ad præcedentem hebdomadam; olim, inquam, non exigua erat difficultas; hodie verò in ejusmodi universalibus Jubilæis jam solet Pontifex declarare, Communionem posse fieri in Dominica proxima sequenti, quamvis sit extra hebdomadam præcedentem: quare hac de re nihil præterea dicendum occurrit. Solùm adverte, in Jubilæis inposterum emanandis, debere semper præ oculis haberi eorum tenorem, & juxta illum operari.

15. Illud hac occasione non est prætermittendum: quandoquidem in hac forma Jubilæi Universalis solet dici, ut qui illud lucrari velit, debeat, præmissa Confessione, communicare, an Confessio sit necessaria in eo, qui cognoscit, se non habere conscientiam peccati mortalis?

16. Respondet Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disputat. 15.* aliique apud Dianam *part. 1. tract. de Bull. Cruc. resolut. 107.* in hac forma Jubilæi, qua dicitur (*præmissa Confessione*) Confessionem esse unum ex operibus injunctis, atque adeò illam esse necessariam ad Jubilæum acquirendum. Suarez verò apud De Lugo *de Pœnit. disp. 27. num. 100.* cum aliis multis, necessariam non esse, affirmant, quia usus Ecclesiæ est, ut quando ipsa præcipit Confessionem peccatorum, intelligatur de Confessione mortalium, ut accidit in præcepto de Confessione annua: sicut enim nomine peccati simpliciter intelligitur de mortali, ita per Confessionem peccatorum intelligitur Confessio mortalium. Adde, Confessionem solùm videri præcipi, ut homo ponatur in gratia: at qui peccato mortali caret, in gratia est; ergo, &c. Utraque opinio est probabilis; licet illa Sanchez sanè sit tutior.

17. Hinc fit, ut multò minus requiratur Confessio ad lucrandam Indulgentiam Communionis Generalis, quam nuper innuimus, nam in tenore Concessionis hujus Indulgentiæ nulla fit mentio Confessionis, sed solùm Communionis: quare tunc solùm erit Confessio necessaria, quando quis est in mortali peccato, ut per illam ponatur in statu gratiæ, quæ simpliciter est (ut nimis sæpè diximus) ad acquirendas Indulgentias necessaria.

An Communio utiliter applicetur sive pro vivis, sive pro defunctis.

18. INquires sextò. An Communio à Fideli suscepta pro animabus Purgatorij, vel etiam pro vivis Fidelibus, prosit illis in aliquo?

Respondeo: & quidem præmittendum primò, quid sit causare gratiam ex opere operato, & quid ex opere operantis. Causare gratiam ex opere operato, est, illam causare ex vi institutionis Christi, quæ ita efficax est, ut infallibiliter idem Christus Dominus causet in homine benè dispositio dictam gratiam sacramentalem, & suos effectus. Causare autem gratiam ex opere operantis, est, causare illam ex vi dispositionis ipsius hominis, qui est operans, seu suscipiens Sacramenta. Quare, quando qui e.g. sacramentaliter absolvitur à peccatis, cùm sit benè dispositus, accipit infallibiliter gratiam ex vi institutionis Christi: Ecce opus operatum. Accipit item aliquid gratiæ saltem de congruo propter dispositionem bonam, quam affert, quæ quandoquidem bona, laudabilis est, & suo præmio digna: Ecce opus operantis.

20. Præmittendum secundò. Omnis bona actio in homine existente in gratia tria emolumenta, seu fructus affert: meritum de condigno, satisfactionem, & impetrationem; quam impetrationem aliqui vocant meritum de congruo, id est, ex liberalitate congrua Dei. Sic Sacrificium Missæ, tibi e.g. pro quo celebratur, est meritorium de condigno alicujus gradus gratiæ, & consequenter gloriæ: est item satisfactorium pro pœnis, quas fortè ob tuas jam remissas culpas tu debes; atq; hanc satisfactionem potes pro aliis Fidelibus, sive vivis, sive defunctis offerre Deo; nam prædictum meritum semper est tuum, nec transferri in alios potest. Denique idem Sacrificium à te celebratum, est impetratorium, quia potes per illud impetrare à Dei liberalitate, & misericordia aliquid, sive tibi, sive aliis, pro quibus impetrare intendis à Deo: quam impetrationem, quamvis ea sit ex liberalitate Dei, aliqui dicunt esse infallibilem, aliqui tamen fallibilem. Lege Bellarmin. *de Indulgent. cap. 14. n. 4.*

21. His ita rudi Minerva delibatis, respondeo ad quæsitum cum distinctione: si enim inquiris, an ipsa Communio, ut est receptio, seu manducatio præcisè Evchariſtiæ, seu, ut est receptio Sacramenti, possit applicari pro animabus Purgatorij, ut est opus operatum, certum videtur, non posse illis animabus, nec vivis Fidelibus cum illorum utilitate applicari, nec solùm quoad fructum meriti, quod, ut dictum est, transferri in alium nequit, sed nec quoad satisfactionem, & impetrationem. Ratio est, quia fructum Communionis, sicut & aliorum Sacramentorum promisit Christus Dominus illa recipienti: recipit autem solus illa, qui Sacramentum sumit; unde nemo potest baptizari pro alio, nullus confirmari pro alio, &c. Quare nec ullus communicare, seu recipere Evchariſtiam, ut Sacramentum, potest pro alio: sicuti

sicuti non potest quis manducare panem (ad cujus similitudinem est instituta communio) pro alio, atque adeò nec pro animabus Purgatorij. Non sic jejunium e. g. eleemosyna, & similes bonæ actiones; has enim potest quis exhibere pro alijs, illisque prodesse, si non ad meritum, certè ad satisfactionem, & impetrationem. Ejusmodi etiam maximè est eadem Evchariſtia, ut sacrificium in Missa, hoc enim esse satisfactorium etiam, & impetratorium pro alijs (idque ex voluntate Christi) definitum est ex Apostolorum traditione in Trident. *sess. 22. cap. 2.*

22. At verò si inquiras, an communio, ut opus operantis, possit utiliter applicari pro satisfactione pœnarum, quas defuncti, vel vivi Fideles debeant, ut etiam per modum impetrationis; dico, certum esse, quòd possit. Ratio est, quia in Communione adsunt, seu intermiscentur multæ actiones bonæ ex parte communicantis, seu operantis: nec solùm illæ, quæ præcedunt, & subsequuntur communionem; verùm etiam quæ sunt in ipsa Evchariſtiæ receptione: in qua receptione adest reverentia exhibita à communicante ipsi Christo Domino nostro, adest voluntas hospitandi DEUM in anima, adest desiderium illi placendi, & similes: quæ cum sint informatæ charitate, quam tunc communicans habet, auctæ etiam ex præsentia Domini, non possunt non esse admodum bonæ, & laudabiles, & consequenter erunt satisfactoriæ, & impetratoriæ, sicuti cæteræ actiones bonæ, & aliquando magis, quàm aliæ.

23. Quando ergo Summus Pontifex per communionem à Fidelibus in aliqua Ecclesia exhibitam concedit, posse liberari animam ex Purgatorio; non profitetur, Communionem illam applicari ex opere operato illi animæ; sed solùm vult tanquam Vicarius Christi, ut illa Communione, tanquam operatione virtuosè peracta, illi animæ applicetur ex thesauro meritorum ejusdem Christi, quantùm sufficit ad satisfactionem pœnæ, quam illa anima debet pro suis culpis.

24. Hæc est summa hujus doctrinæ. Cæterum legant curiosi Theophilum Raynaudum, qui in opusc. quod inscribitur, *Error popularis de communione pro mortuis agenda* asserit, populi errorem esse, Sacramentalem Evchariſtiam sumere pro animabus Purgatorij. Rationes ejus præcipuæ sunt tres. Prima, quia ejusmodi usus non fuit in Ecclesia. Secunda, quia Sacramenta sunt instituta, ut medicina animæ, quæ immanenter operantur, non autem transeunter ad alios. Tertia præsertim, quia Evchariſtia est instituta per modum manducationis, per quam non nutritur, nisi ipse manducans.

25. Verùm Thomas Hurtadus *p. 2. resol. tract. ult. resol. 11.* acriter insurgit contra dictum Theophilum, ejusdemque rationibus satis pluribus respondere conatur; sed certè tandem se reducit ad opus operatum impropriè dictum, quod fortasse nihil differt ab operantis. Sed cum hæc ad nostrum institutum non pertineant, latiùs hic explicare non expedit.

De

De infirmi Communione in alio cubiculo ab Oratorio.

26. INquires septimò: Si quis infirmus decumbat in cubiculo aliquantulum distante à loco, ubi est Oratorium privilegiatum, & ubi sacrificium Missæ celebratur; si infirmus, inquam, velit ex devotione communicare (non jam per Viaticum; ad hoc enim scimus debere intercedere licentiam Parochi) poteritne Sacerdos, qui ibi celebrat, deferre ad infirmum ejusmodi sacram hostiam decenter sociatam, transeundo per unum, alterúmve cubiculum, seu per aulam intermediam inter lectum infirmi, & Oratorium?

27. Respondeo, hac de dubitatione consulti superiores à me, negaverunt aliqui ex nostra Societate docti Theologi. Ratio fuit, quia intervenire tunc debuisset processio, seu deductio Sanctissimi ad locum alium, ad quod requiritur licentia Episcopi, vel ejus Vicarij; privilegium autem concessum à Pontifice similibus Oratoriis indulget quidem, ut aliàs diximus, in eodem Oratorio communicare possè privilegiatum, sed nihil addit, an id possit fieri in alio cubiculo distante, licet cubiculum sit in eadem domo.

28. Hæc olim dicta sunt; sed ego nunc, re diligenter perpensâ, ad id propendeo, ut nisi in aliqua Diœcesi expressa prohibitio habeatur, facilè concesserim; neque enim illa est processio publica, quæ pertinet ad Episcopum; immò nec est processio; hæc enim involvit quasdam solemnitates, & cæremonias, quæ longè absunt à casu proposito. Præsumatur igitur Ordinarij consensus (posito, quòd is necessarius esset) & fiat id prudenter, hoc est, parcè, & per intervalla, ut sic infirmus sacram Communionem appetens, sua devotione non defraudetur; quemadmodum ægroti religiosi decumbentes, ex communi praxi non defraudantur.

An Sacra Communio præservet à mortalibus, & quomodo?

29. INquires octavò: cùm Sacra Eucharistia pariat in suscipiente illam (tanquam proprium effectum) gratiæ augmentum, præservarne à mortalibus, etiam committendis?

30. Respondeo. Sanè præservat, ut docet Trident. *sess. 13. cap. 2. Sacramentum hoc Eucharistiæ* (ait) *quod sumimus, tanquam Antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Et quidem meritò sic dicitur à Tridentino (quod idem est, ac dicere, à Spiritu Sancto:) quia Eucharistia instituta est à Christo Domino, tanquam cibus, & & potus spiritualis. Sicuti igitur hi vitam conservant temporalem, ita vitam spiritualem conservat Eucharistia; hoc enim est, præservare à peccatis mortalibus, quorum natura est, ut repellant gratiam, seu Dei amicitiam, quæ est vita spiritualis animæ.

31. In hoc, quod hactenus diximus, omnes Theologi conveniunt; sed quomodo id fiat, non conveniunt omnes: cùm præsertim experiamur indies, eos, qui Communionem susce-

perunt,

perunt, immò & qui frequentarunt, ac frequentant facilè in peccata mortalia prolabi.

32. Ajo, Evchariſtiam ex opere operato præſervare quidem à peccatis mortalibus efficaciter, & infallibiliter, ſed ex parte ipſius DEI, eo prorſus modo, quo S. Paulus *ad Timoth. dicit cap.* 2. quòd *DEUS vult, omnes homines ſalvos fieri*: quam voluntatem multi DD. *in tract. de voluntate DEI* docent, eſſe efficacem, ſed non abſolutè, verùm conditionatè, id eſt, ex parte ipſius DEI, ſi tamen homo cooperetur. Quarè dignè communicanti, dum DEUS confert gratiæ ſanctificantis augmentum, ſimul dat eidem jus recipiendi, ſeu habendi ab eodem DEO auxilia, opportuno tempore, quibus reſiſtere homo poſſit tentationibus, inducentibus ad peccatum mortale: quod jus in eo conſiſtit, quòd DEUS ex vi ſuæ promiſſionis habeat quandam obligationem, talia conferendi auxilia, ad quæ obtinenda, eſt peculiari modo ex vi communionis peractæ Fidelis homo diſpoſitus, quibus ipſe Fidelis præſervabitur à peccatis mortalibus, ſi aliàs non reſiſtet, ſeu per ipſum non ſteterit. Neque gratis hoc docemus, quia id nos docet modò allatum Tridentinum in illis verbis (*per Evchariſtiam nos à peccatis mortalibus præſervamur.*)

An Sacra Communio præſervet à venialibus, & quomodo?

33. INquires nonò: an quod diximus de mortalibus, idem dicendum ſit de venialibus?

Reſpondeo. Sanè idem: quia idem colligitur ex dictis verbis Tridentini.

34. Hoc igitur majore diſcuſſione non indiget. Illud indiget certè, an ex opere operato, id eſt, ex vi ipſius Communionis, abſtrahendo ab opere operantis, id eſt, abſtrahendo ab actibus bonis aliis ipſius communicantis, Evchariſtia à Fidelibus in ſtatu gratiæ conſtitutis ſuſcepta, deleat ipſis culpas veniales ante commiſſas?

35. Reſpondeo. Deleri venialia ex vi Communionis ex opere operato, meritò ſuſtinet S. Thomas, Vaſquez, Caſpar Huttadus, aliique cum Leandro *de Sacr. Evchar. diſp.* 11. *quæſt.* 8. nam ſicuti Deus voluit gratiæ, quæ recipitur per Baptiſmum, adjungere hoc privilegium, ut per ipſum remittantur ex opere operato peccata omnia, etiam mortalia; ita valdè probabile eſt, ut de venialium remiſſione idem dicendum ſit per Evchariſtiæ ſuſceptionem; cùm enim Evchariſtia non remittat per ſe peccata mortalia, quia, ut in ſuperioribus dictum eſt, ipſa eſt Sacramentum vivorum, ſaltem ſentiendum eſt, quòd remittat culpas veniales. Id quod directè videtur dixiſſe Tridentinum in præcitatis verbis (*quo liberemur à culpis quotidianis.*)

36. Non igitur ſequimur opinionem S. Bonaventuræ, aliorúmque apud eundem Leandrum, dicentium, Evchariſtiã ſolùm delere venialia, quia excitat fervorem charitatis, quo homo diſponit ſe per propriam operationem ad remiſſionem venialium; non, inquam, hos ſequimur, quia ſic non delerentur culpæ veniales ab Evchariſtia,

ut loquitur Tridentinum, sed per actus aliquos, ad quos excitaretur homo per illam; quod certè esset dicere, Antiquodum venialium esse potiùs actus nostros, quàm Eucharistiam.

37. Confirmatur ex Catechismo Romano sic dicente: *Remitti per Eucharistiam, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est, quòd dubitari debeat; quemadmodum, quòd innati caloris vi quotidie detrahitur in corpore animantium, ac deperit, paulatim addi, & refici naturali alimento sentimus.*

38. Subinquires: omnésne culpas veniales, an aliquas tantùm remittit Sacra Communio?

39. Respondeo. Omnes, etiamsi illarum quis non recordetur, vel ab illis præscindat, modò tamen de iis non habeat complacentiam, sive actualem, sive virtualem. Ita S. Thomas, Vasquez, Hurtadus, aliique apud eundem Leandrum. Quare per Eucharistiæ solam dignam sumptionem sine alia dispositione omnes veniales culpæ (si de iis non complaceas) delentur illius virtute. Illæ autem, de quibus habes complacentiam, ex ea Communione ideò non remittuntur, quia nunquam remitti potest culpa, dum culpa committitur; committitur autem culpa, dum homo est in ejus complacentia, ut omnes Theologi advertunt *in tract. de Pœnit.*

Quid de Pœna?

40. INquires decimò. An Sumptio Eucharistiæ, sicut delet, modo dicto, culpas veniales; ita deleat, seu remittat pœnam temporalem, quæ, remisso veniali quoad culpam, solvenda restat in hac vita, vel in Purgatorio?

41. Respondeo. Ut id intelligas, sciendum est, esse aliquos Theologos, qui putant, maculam, seu culpam venialium esse quid diversum à pœna ipsi maculæ debita; ita ut culpa venialis consistat in quadam modica (ut sic modo nostro loquamur) displicentia Dei, hoc est, venialis culpa sit talis, ut si in Deum cadere displicentia posset, aliqua modica in eum caderet ex dicta tua veniali culpa; unde deinde consurgit in te venialiter peccante deputatio, seu obligatio ad tantam, vel tantam pœnam subeundam.

42. Aliqui verò putant, non esse quid diversum, sed peccatum veniale consistere solùm in dicta deputatione, seu obligatione ad prædictam pœnam temporalem solvendam, quam obligationem vocant Theologi *Reatum*. Utrosque Theologos loqui probabiliter, ait Scotus apud Delgadillo *de Eucha. cap. 11. à num 85.*

43. His positis in posteriori hac sententia, deleri ex opere operato, & immediatè pœnam peccati venialis per Eucharistiam, non solùm, ut illa est sacrificium, sed ut Sacramentum, clarè sequitur; si enim culpa venialis consistit solùm in obligatione ad pœnam, ut ea sententia putat; Eucharistia autem, sicuti modò *num. 28.* dictum est, delet ipsam culpam, delebit ipsam pœnam, in qua sola consistit venialis culpa. In priore autem sententia major est difficultas; nam, cum culpa, & obli-

obligatio pœnæ sint diversæ, poterit Eucharistia delere culpam; remanente obligatione ad pœnam.

44. Nihilominus satis probabiliter etiam in ea priore sententia dicendum est cum Delgadillo *loco cit.* & cum De Lugo *de Euchar. disp. 12. num. 98.* per Eucharistiæ sumptionem remitti ex opere operato aliquam partem dictæ pœnæ. Ratio est, quia dum Trident. *loco cit.* docet absolutè, nos per Eucharistiam liberari à culpis venialibus, satisinnuere videtur, remitti etiam aliquam partem pœnæ earum; nam sicuti ex eo, quòd vi Sacramenti pœnitentiæ remittitur peccatum mortale, colligunt communiter Theologi, non solùm pœnam æternam peccato mortali debitam commutari in temporalem, verùm etiam aliquid ipsius pœnæ temporalis remitti ex vi dicti Sacramenti Pœnitentiæ, atque adeò ex opere operato; ita ex eo, quòd à Tridentino dicitur, per Eucharistiam remitti culpas veniales, dicendum erit, per illam etiam remitti aliquam saltem partem pœnæ temporalis, quæ culpæ veniali debetur. Et sanè meritò; nam valde congruum est, ut detur excellentissimo Sacramento ex opere operato id, quod Sacramento Pœnitentiæ conceditur. Lege De Lugo *loco cit.* & Delgadillo *loco item citato num. 37.*

An Sacerdos dicens mulieri, dum ei porrigit Eucharistiam, ut ipsum expectet Domi sub vesperas, sit inquisitoribus denunciandus?

45. NOvum, & hactenus inauditum sacrilegij genus explicandum occurrit. Titius Sacerdos, dum Communionem porrigeret cuidam fœminæ, quam aliunde sciebat, alios turpiter admisisse domum suam, dixit submissa voce, ut eum sub vesperas domi expectaret. Expectavit, aperuit januam, delictúmque subsequutum fuit. Porrò post aliquot dies voluit Confessione Sacramentali suum peccatum mulier expiare; sed Confessor dubitare incæpit, an hoc sacrilegij delictum esset Inquisitoribus denuntiandum. Inquires ergo, quid statuendum?

46. Respondeo, Ut planius id decernatur, supponendum est ex illa celebri, præsertim verò Gregorij XV. Constitut. per quam obligantur pœnitentes, sive mares, sive fœminæ sollicitatæ in Confessione, denunciare Confessarium Sacris Inquisitoribus, nasci duas dubitationes, similes proposito casui. Prima est, an si Confessarius dicat in Confessione pœnitenti: hodie domi tuæ me expectes, sum enim tecum loquuturus de re non levis momenti; an hæc, inquam, sit censenda sollicitatio denuncianda. Cui dubitationi respondet Bordonus in lib. quem inscribit, Sacrum Tribunal *cap. 23. num. 54.* hæc verba de se non significare sollicitationem, sed eorum

sensum colligendum esse ex tractatu, quem Confessarius habet in domo pœnitentis; si enim mulierem ibi honestè alloquatur, nulla est sollicitatio, nec denunciandi obligatio; si autem mulierem provocet ad inhonesta, erit sollicitatio denuncianda. Duas hujus doctrinæ rationes affert. Primam, quia in dicta Gregorij Bulla præcipitur, denunciari Confessarium, qui pœnitentem sive in actu Sacramentali Confessionis, sive ante ipsam, sive post immediatè sollicitat; nam quamvis in casu, de quo loquimur, provocet Confessarius in domo mulieris, & non videatur sollicitatio fieri immediatè post Confessionem, nihilominus, ait Bordonus, revera immediatè fit in Confessione, cùm illa sollicitatio dependeat formaliter ex illo condicto, quod factum est in Confessione. Secunda ratio magis convincens est, quia in eadem Bulla Gregorij præcipitur, Confessarium illum denunciari, qui aliquem sollicitat occasione, vel prætextu Confessionis; at qui prædicta verba, de quibus est noster sermo, in Confessione pœnitenti dicit, & deinde domi turpia tractat; ea, ex occasione habita Confessione, tractat, ergo directè contra Bullæ præceptum operatur.

47. Secunda dubitatio est, an sit sollicitatio Sacris Inquisitoribus denuncianda in eo casu, quo Confessarius det chartam, seu litteras amatorias sigillo munitas pœnitenti, eidémque dicat, ut illas domi legat?

48. Respondet Castropal. *tom. 1. tr. 4. disp. 19. p. 4.* hanc chartæ traditionem esse quidem causam sollicitationis, non tamen esse sollicitationem, quia quando charta traditur, fœmina non movetur ad malum, ergo non sollicitatur; sollicitatio enim semper imbibere debet provocationem ad malum.

49. Confirmatur primò: quia ipsa pura, & sola traditio chartæ, quæ fit in Confessione, non est completum delictum sollicitationis, ergo non erit denunciandus: & sicuti per solam vulnerationem non incurritur irregularitas, nisi sequatur mors, aut mutilatio, ita per meram, solámque chartæ traditionem non incurretur pœna, quæ est imposita Confessariis sollicitantibus.

50. Confirmatur secundò: quia, si dictam chartam tuæ pœnitenti consignares, ut illam ferret ad aliam mulierem, tunc dicta tua pœnitens non erit obligata ad denunciandum, quia ignorat, quid in charta contineatur, ita in casu nostro.

51. Sed profectò in hoc nullo modo Castropalao consentire possum; sicuti Jo. Sanchez, Diana, Trimarcus, Peyrinus, Fagundez, & Bordonus illos citans, meritò non approbant, quia nemo negabit, traditionem illius Scripturæ factam in confessione Sacramentali, vel immediatè post, vel in loco Confessionis, pendere ex parte Confessarij à Confessione, & legi à pœnitente occasione Confessionis *facta*. At Gregorius XV. præcipit denunciare, ut modò diximus, Confessarios provocantes ad turpia occasione Confessionis; ergo, &c.

52. Ad rationem igitur Castrop. dic, illam traditionem non solùm esse causam,

culum; sed veram sollicitationem in Confessione inchoatam, & domi perfectam.

53. Ad primam Confirmationem respondè, sollicitationem illam incipere in confessione quidem, sed postea perfici, idque occasione Confessionis, in mulieris domo.

54. Ad secundam non esse mirum, tunc fœminam ex alio capite non obligari, quia scilicet nec ipsa sollicitatur, nec ipsa scit, ut supponimus, quid in ea charta contineatur, nam pari modo, si mulier, cui ad ipsam provocandam data sit charta amatoria legenda domi, nihil sciens de contentis in ea charta, illam mulier comburat, certè non obligabitur denunciare. Verùm id est per accidens, quia nimirum nescit mulier, nec prudenter suspicatur, quid contineat scriptura, ut supponimus.

55. Post hæc scripta emanavit Decretum Alex. VII. in quo prohibentur aliquæ propositiones sub excommunic. latæ sententiæ contra eos, qui illas, ut probabiles docuerint, & sub peccato mortali reservato Pontifici, incurrendo ab illis, qui eas in praxim reduxerint, inter quas n. 6. hæc propositio damnatur: (*Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.*)

Respondeo nunc ad casum propositum; sanè ex vi verborum (*me expecta domi, &c.*) subsequuto ibi delicto, foret denuncianda hæc sollicitatio; nam facta est occasione Sacramenti; tamen quia Bullæ Pontif. solùm denunciandam præcipiunt sollicitationem, quæ fit in Confessione, seu in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, vel occasione illius, ut clarè patet legentibus illas Bullas, ubi nulla prorsus fit mentio alterius Sacramenti, nisi Pœnitentiæ; ideo Titij provocatio facta ad peccatum in administratione Evchariſtiæ non est necessariò inquisitoribus denuncianda.

Dico, *necessariò*, nam si ea denuncietur, dicit probabiliter cum Pegna Castropalaus *loc. cit. punct. 6.* ob facultatem generalem Inquisitoribus datam, cognoscendi de hæresi suspectis, posse eos cognoscere de ijs sollicitationibus ad turpia factis in administratione aliorum Sacramentorum, immò eodem modo ad alia peccata, e. g. ad furtum &c. factis in confessione; nam quamvis dictæ Bullæ semper loquantur de provocationibus ad res venereas, & in confessione; tamen ex dicta gen. facultate, etiam possent Inquisitores cognoscere provocantes in conf. ad alia peccata, si deferantur à Fidelibus.

Hæc ex Castropalao qui etiam advertit, ejusmodi delinquentes in alijs Sacramentis, vel in confess. ad alia peccata, debere denunciari suo Superiori secundùm regulas requisitas, & observandas in denuntiatione facienda, ut scilicet delinquens corrigatur, & emendetur, ut sic, in re tam gravi, bono communi consulatur.

PARERGON AD TERTIUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM, DE EVCHARISTIA.

Non Jejuno litare an liceat aliquando?

FErax, atque uberibus spicis, & crebris fæcunda est literaria prolusionum seges, auditores; nimis enim arctis coercent spatijs, præfandi argumenta, qui tantùm, vel Scriptorum, quos explicandos suscipiunt, laudibus, vel scientiam, quam deinceps professuri sunt, commendatione concludunt. Equidem in eam pedibus sententiam eo, opportunam eligi proloquendi materiem; cùm erudita quæpiam, atque auditoribus grata dissertatio ex ijs, quæ in ejusmodi scientiæ penu locum habeat, aptè proponitur; & in eadem, quasi in arena, & campo, ante constitutum prælij diem, artificiosè proluditur.

Ego igitur, tractationem de tertio Ecclesiæ præcepto, hoc est, de suscipienda ferijs paschalibus Sacra Synaxi, auditoribus meis propinaturus (id quod ago, ut à mei Prædecessoris vestigijs non discedam, qui primum, & secundum ejusdem Ecclesiæ præceptum eruditè superioribus tribus annis explicuit; utinam ego eruditione pari!) ego, inquam, quid in hac sapientium virorum corona præfabor? Ecquam levem velitationem hoc initio suscipiam, quasi solemne præludium futurarum decisionum, quas consequente anno, Summo favente Numine, moliturus sum? Eligo de celebri illa quæstione aliquid disserere, quæ inquirit, an Sacræ Evchariſtiæ mensæ liceat aliquando fideli non jejuno naturaliter, ut loquimur, accumbere? Et quidem mihi nequaquam instituendus est sermo; an id graviter ægrotanti liceat, Sacri causa Viatici; neque, an Sacerdoti, quando Sacræ hostiæ præconsecratæ copia non suppetit, & alius Sacerdos non adsit jejunus, qui ad aram operans, providere infirmo de eodem Viatico possit; neque, an Sacerdoti item non jejuno, si jejunus non adsit, quando complendum est Sacrificium, celebrante, medio

dio in Sacro; post Consecrationem deficiente; neque an fideli cuicumque non jejuno absumere liceat Sacræ victimæ particulas, ne ingruente Hæreticorum, vel Infidelium turma, Sanctum in manibus canum deferatur; non inquam, de his mihi instituendus est sermo; hæc enim vulgata sunt, & recentiorum Theologorum oppugnante nemine, facili negotio non jejunis concedentur; sed disceptatio nostra in eo versabitur, an idem concedatur ob periculum, timoremque gravis dedecoris, vel notæ?

Et nihilominùs vulgata item doctrina Theologorum est, etiam tum benignè concedi: siquidem præcepta piæ Matris Ecclesiæ non obligant (remoto contemptu) cum tanto propriæ famæ dispendio; nam propterea Sacer Mysta, si dum Sacra libamina peragit, recordetur etiam ante Operatoria verba, se cibum potumve sumpsisse, porrò pergat ad reliqua; excusabitur enim satis, superque à prædicto periculo in dedecoris notam incidendi. Ut interim taceam Sanctum Bonaventuram, virum doctrina, & pietate præclarum, asserentem, inchoatam Missam semper esse à Sacrificante perficiendam, quia ferè nunquam sine scandalo solet omitti: adderem ego, & sine irreverentia. Porrò, si ad ultra item indulgemus, in quo tandem disputatio nostra versabitur? Ajo, non quidem in expendendo jure, sed in venando facto, nostram esse in præsenti quæstione collocandam industriam; omnes enim scimus, instante gravi infamiæ periculo, ab Ecclesiasticis imperijs nequaquam Fideles obstringi: At, quandonam, re ipsa, ejusmodi periculum immineat, non scimus omnes: & operosum sæpè esse, id decernere, omnes ingenuè fatemur.

Hoc igitur agamus. Et profectò (cœlestibus annuentibus) id actum, absque vestra molestia, Patres, à me erit; si unam, alteramque non insulsam narratiunculam proferam in medium, & difficultates inde emergentes brevi responsione dissolvam. Initium facio ab ea, quam refert Adamus Tannerus, vir Societatis Nostræ, Theologiæ scientissimus *disp. 5. quæst. 8. n. 92. de Eucharistia.*

Sacerdos quidam (ait) nomine Theophilus, cujusdam pagi animarum Curator in Svevia, invitaverat ad festivum dedicationis suæ Ecclesiæ diem cohonestandum, decem, vel plures Sacerdotes in vicinis Oppidis commorantes. Præstò fuerunt destinato die, & ex his postremus, ille adfuit, qui aliquibus ante diebus à Parocho Theophilo rogatus, ac designatus fuerat, ut solemne Sacrum (Missam majorem vulgus appellat) consueto ritu, & cantu occurrenti ad diem festivum frequenti populo, daret. Verùm is, re non benè intellecta, vel datæ sponsionis immemor, priusquàm à suo pago discederet, rem Sacram suis fecerat parochianis; reliqui verò Sacerdotes, aut idem egerant in suis quisque Oppidis, aut ex his nonnulli itineris suscipiendi causa ex suis locis ad Theophili distantem ædem, Sacro Mysterio, ea luce, nequaquam oblato, se commodo jentaculo muniverant. Itaque nullus ex Presbyterorum numero inveniri po-

potuit, qui jejunus in tanta solemnitate, populo sacrificium expectanti, esset ad Sacras preces ritè dispositus. Quid ergo factum est ? Tannerus, his breviter enarratis, hæc ferè verba subnectit. Inquiro, an illorum, Sacerdotum unus potuisset inculpatè in hoc eventu facere Sacrum ? Et primò respondet *num.* 64. potuisse, si defectus jejunij fuisset occultus, quia è duobus malis erat minus eligendum *ex lib. quoties nihil H. de Regulis juris.* At minus malum censendum fuisset, Sacerdotem occultè injejunum ad Communionem accedere, quàm Sacrum in his circumstantijs non celebrari. Respondet secundò si publicus fuisset jejunij defectus, fuisset satiùs, ut totus populus (prius tamen è suggestu causam edoctus) dimitteretur absque Missa, quàm illa fieret ab illorum aliquo, quos, nemine excepto, non esse jejunos, pluribus manifestè constabat. Hæc ille, approbans id, quod religiosi ij Sacriolæ, inita consultatione, decreverunt. Nam fuit ea populi multitudo è sublimi loco admonita, & inaudito Sacro dimissa.

Date mihi nunc veniam, Patres, ut ego venerabilium illorum Sacerdotum, ac doctissimi Tanneri, bona pace, meas nugas interponam.

Equidem, si hodie hujusmodi hæsitationi interessem, suaderem, ut ad aram unus ex ijs operaretur, qui, quamvis jejunium violasset, vitalia tamen Sacrificij liba non prægustaverat: Etenim, in primis, non esset ullum timendum scandalum, ut probi illi Præsbiteri verebantur, si enim ij, quemadmodum causam dimittendi, sacrificio non oblato, populum docuerunt, sic pro concione edixissent, permitti ab Ecclesia in rarissimo eventu, tam vehementibus adjunctis vallato, hanc injejunè libandi facultatem, certè benevolentiam potius concepissent Fideles de benignitate piæ Matris Ecclesiæ, quàm ullum passi essent pravi exempli detrimentum.

Deinde ob grave, & publicum scandalum, quod alia ratione evitari non datur, licitè facit Sacrum Sacerdos, tametsi non Jejunus, ut post Suarium *disp. 68. sect. 2. de Eucharist.* contra Navarrum tradit idem Tannerus *loco laudato num.* 41. Nam ubi in difficultates impingimus, semper eligendum est illud, in quò minus instat periculi, ut docet S. Thom. *3. p. q. 83. art. 6. ad 2.* minus autem periculi est illud ex eodem S. Doctore, *ibidem*, quod pertinet ad qualitatem unius, quàm quod spectat ad multos, qui peccandi ansam accipiant. In re autem, de qua loquimur, si illam sincera mente pensitemus, non potest evitari gravis scandali periculum, hoc est, gravis, & injusta indignatio plebis adversus Sacerdotes, gravis oblocutio in eosdem, & ridicula dicteria, eorum famam, honoremque lædentia. Quis, quæso, inurbanum, stultumque vulgus cohibere posset, quin hoc, vel simili cachinno petulanter effutiret ? Hem Sacerdotum ingluviem ! Hem, quod abstinentiæ exemplum ij in templis continuò viventes, & Sacra Evangelia temperantiam prædicantia evolventes, proponunt nobis in domibus profanis, in plateis, in hospitijs, in officinis quotidiè commorantibus!

tibus! Tentant manè, qui vespere Ecclesiastici Jejunij vix ad uncias panis octo, nos fame distentos amandant, & benignè sic nobiscum agere gloriantur. Solemni Sacro nos defraudant, ut ipsi consuetudine solemni manè ientandi non defraudentur. Hæc, & his amariora, quis ex illo plurium capitum monstro non expectabit? Et profectò quanti item æstimandum est, & omninò à Fidelibus extirpandum labendi illud periculum, eos nimirum assuefieri ad Sacerdotes aspernandos, atque adeò ad eorum consilia, documenta parvi facienda?

Tertiò, expendamus, quod idem Tannerus prudenter decernit *ibid. nu. 91.* censet enim, si die festivo Natalis Christi Domini unus dumtaxat Sacerdos post sumptum à media nocte cibum in aliquo pago adesset, nec alius haberi, vel conquiri posset, nullo cibo refectus; censet, inquam, illi non jejuno facere Sacrum eo die licere, & ritè factum, si Sacris operaretur adhuc semel. Deus ergo immortalis? quodnam grande discrimen intercedit inter Sactum necessariò celebrandum die Natalis Domini, unde liceat non Jejuno litare, & inter Sacrum solemne celebritatis, de qua loquimur, ut idem omninò non liceat? cùm præsertim hìc ex multis locis, pagisque multitudo confluxerat: ibi in Natali Domini unius tantùm Oppidi populus exposcebat Sacrum.

Postremum argumentum ducamus ex paritate cum gravissimo Decreto Concilij Trid. *sess. 13. cap. 7.* in quo sic habetur: *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Confessione Sacramentali, ad Sacram Eucharistiam accedere audeat, etiam Sacerdotes. Quòd si quis, necessitate urgente, ante præviam Confessionem celebraverit, quàmprimùm confiteatur.* Hæc Tridentinum.

Hìc ergo inquirunt Doctores, & indigitant eas necessitates, in quibus liceat, non præmissâ lethalium homologesi, cum contritione Aris intendere: & inter illas enumerant cum Diana *part. 9. tr. 3. res. 9.* Trull. & Gattia (contra Castropal. hanc veniam dare negantem *p. 12. de Euchar.*) eventum illum, quo simplex Sacerdos, hoc est, etiam non Parochus, rogetur ab aliis, probum, innocentémque Sacerdotem non habentibus, qui ipsis rem divinam die festivo faciat; immò etiam, quando ipse unus Sacerdos Sacro carere deberet. Id ego, vestigiis hærens doctissimi Castropalai, nullatenus approbo, sed non est hìc de ejusmodi sententia disputandi locus. Solùm asserо, eam mihi in disceptatione, quam præ manibus habeo, valdè favere; si enim Doctores illi, fas esse, affirmant, Sacerdoti absque mortalium delictorum confessione, & solùm contrito sacrificare, ne vel ipse, vel alij Sacro careant die festo; quidni, nos idem non Jejuno in adjunctis multò gravioribus licere, contendamus? peccatori enim Missam celebrare volenti, confessionem imperat jussio divina, quam à Tridentino declaratam fuisse duntaxat, & promulgatam, non verò instituram, fert probabilior Theologorum sententia,

tia, cùm jejunium ante Sacri Mysterij functionem, certò, & ex omnium doctrina, sola imperet Ecclesia, quæ obstringere nunquam præsumitur, quando molestissima illa incommoda urgent, quæ in Superioribus in medium allata sunt.

Plura item cumularem, nisi me orationem vertere ad alterum, quod promisi, exemplum, temporis angustia commonefaceret; quod quidem, dum hanc prolusionem ante paucos dies meditarer, in mentem mihi revocavit recens nostrorum Sacerdotum inauguratio: Ecce illud.

Quidam, cui nomen erat Nicephorus, recens Sacerdos (Neomistam, unico vocabulo, appellant Græci, quod etiam nos Latini non semel usurpamus) Neomista, inquam, Nicephorus, diu & frequenter in sicco Sacro, ut loquimur, faciendo, se exercuerat, ea spe, ut primitias ex acquisita consuetudine expeditiùs, & securiùs immolaret. Idem peregit manè illius diei, quo primam hostiam Deo erat solemniter oblaturus, ac pro more, quem servaverat superioribus diebus, immemor instantis celebritatis, assumpsit, deglutiitque grandiorem particulam non consecratam, idque paulò ante, quàm pulsarentur campanæ, indices solemnis officij, ut in illis regionibus mos increbuerat, à Neomista decantandi. Quid agam? (secum animo revolvebat:) è suggestu, more nostræ Ecclesiæ, admonitus est populus, jam tum à die Dominico præcedente, ut ad meam primam Oblationem conveniret. Templum affabrè aulæis exornatum, consanguinei inibi præstolantur, domestici convivium paraverant, Heu! quid consilij capiam? Hæc obversabat, & similia. Demum tantisper animo sedato, subiit mentem remedium unicum elucere, consulendi scilicet Patrem quendam è nostra Societate; cujus nomen reticet is, à quo, ut mox dicam, res hæc gesta narratur. Statim ergo ad illum accurrit, petiitque consilium, cui desertè respondit Pater esse Primitias in alium diem omnino differendas. Quanto Neomistæ doloris sensu, cogitari potiùs, quam explicari verbis, potest. Narrationem hanc, illiusque Patris decisionem, licèt breviusculè, refert P. Georgius Gobat *in Alphabeto Sacrificantium casu 13.*

Ego nihilominus mitiorem sententiam cogor amplecti à rigore consilij illius Patris, Ordinis quamvis nostri, omninò recedens. Existimo enim, si ea adjuncta (quas circumstantias minus latinè vocamus) adfuerunt, quæ in relato eventu recensentur, culpam admissurum nequaquam fuisse optimum illum virum, si quamvis *injejunus* à Sacro Misterio non abstinuisset.

Porrò circumstantiæ illæ numerabantur. Prima Neomista perhonesta, ac nobilis erat familiæ. Secunda error ille, jejuniique defectus occultus omninò fuit, & uni ipsi solùm notus. Tertia illuc convenerant aliunde cognati plures. Quarta paratum lautum convivium. Quinta convocatus fuerat pro concione populus, atque adeò summi, medij, infimi, & cum viris nobiles matronæ ad destinatum templum se contulerant. Sub ijs circumstantijs licuisse

quisse offerri à Neomistâ Sacram Victimam, tametsi non Jejuno; modò vobis hæc sententia placeat, sapientissimi auditores, puto.

Primò, quia ex Tannero modò habuimus, licuisse, die solemni Dedicationis, ad aram accedere, si occulta fuisset sui violatio Jejunij. Quidni igitur, si in abditissimo nostri Sacerdotis errore, idem ex piæ Matris Ecclesiæ benignitate decernamus? Non sunt repetendæ rationes jam allatæ: vos ipsi illas huc advocate.

Sed probo secundò ex generali documento de Epicheia, quam post Aristotelem *5. Ethic. cap. 10.* & S. Thomam *p. 2. q. 96. art. 6.* tradunt cæteri Theologi: videlicet, ob virtutem, quam idem S. Doctor, æquitatem appellat, fas esse recedere ab apertis legum verbis, si quando id exigit bonum commune, & (ut explicat idem Aristoteles) si quando Legislator adesset, hoc modo dixisset: dixisset, inquam, mentem suam nequaquam fuisse, quòd lex ab ipso lata ad ejusmodi actum extenderetur. Jam si æquo animo concipiamus, Neomistæ genere Nobilis, optimisque moribus, ac virtutibus ornati, altissimam molestiam, angustias, præviso mente dedecus, Ignorantiæ evidens periculum, totiusque cognationis tristissimas querimonias: si aliorum oblocutiones ob oculos obversemus, suspiciones, ac temerè concepta, prolaraque judicia; quòd Sacerdos ille læserit castitatem; quòd in excommunicationem fuerit prolapsus; quòd irregularis, aut aliquo Canonico impedimento irretitus. Si item expendamus expensarum jacturam, si contemptum, si convicia adversus Neomistam, tanquam hominis incautissimi, cùm debuisset in tanto negotio esse cautissimus; si hæc, inquam, æqua lance perpendamus, certè pronunciabimus, agi publicum bonum populi, illud Oppidum incolentis, quando delicta illa, ne committerentur, cautum esset. Secus perinde, ac periclitaretur communis utilitas, si lex de reddendo depositio extenderetur ad restituendum furioso gladium (quod est exemplum à S. Thoma allatum) ita periclitaretur bonum animarum *frequentissimæ* illius multitudinis, si tanta occasio peccandi, hoc est, suspicandi, maledicendi, temerariè judicandi, contumeliosè agendi infræni populo extendi sineremus; unde ulterius infero: Si Summus Pontifex interrogatus fuisset, an Canonem illum ex S. Augustino desumptum, *& cap. liquido de Conf. dist. 2.* relatum de non sumenda Sacra Evchariştia, nisi à jejunis, vellet extendi ad hunc eventum, de quo disputamus, tot, támque violentis conditionibus vestitum; infero, inquam, eum responsurum, nec se, nec S. Augustinum voluisse unquam, Canonem illum extendi, nec aliam responsionem expectare possum à pia Summi Pontificis prudentia: quod est illud Aristotelis, si Legislator adesset, hoc modo dixisset.

Addo nihilominus, si Sacerdos ille recens inauguratus, fuisset obscurus homo; si multò magis fuisset alienigena, si non ipse unus, sèd alij plures primò erant litaturi, inque alium diem differebant primitias, etiamsi jejunij

defectus nullis fuisset cognitus; hunc profectò dicerem, de ara, illo die adeunda, cogitare non potuisse: siquidem incommoda, quæ in hoc ignoto viro obventura timeres, non tanti conferentur momenti, ut anteponi deberent antiquissimæ Sanctioni de abstinentia cibi, cibo Angelorum præmittenda.

Sed vela orationis contrahamus; & ut initium hujus prolusionis cum fine connectatur, advertite, ornatissimi auditores, difficile nequaquam esse in hac quæstione, quid juris sit, decernere; facilè enim decrevimus, instante dedecoris nota, vel gravi quopiam dispendio (semoto, ut semper intelligimus, contemptu) posse concedi jejunij sollicitum non esse communicaturum. At quandonam, reipsa, & ut loqui consueuimus, de facto hæc incommoda immineant, non resolvimus facilè: id enim ex allatis narrationibus, & ex emergentibus inde oppositis Doctorum placitis, ac rationibus, quas opus semper est, non oscitanter expendere, quàm operosum sit deliberare, planè notastis.

Nam propterea Theologos Moralis scientiæ consultos, præsertim illos, quorum industria, ac solertia, in instituendis animarum Judicibus, valdè desudat, ut difficultates tam graves distinguere, ac definire valeant, quando ij ad Confessiones expediendas fuerint promoti, summo haberi in pretio, & magni fieri (absit verbo invidia) ab omnibus meritò pervelim.

Vos, Adolescentes optimi, si Tyrocinium hujus scientiæ, nempe Moralis Theologiæ, ponere decrevistis: Præceptorum vestrorum limina terite; eos sæpe interrogate: illorum lectionibus assiduè, ac frequenter assistite; ut ad tantum munus implexos moralium dubitationum nodos dissolvendi, hoc est, Fidelium animas ad salutis viam dirigendi, quo nullum opus est excellentius, idonei, magis, ac magis effore memini.

TRA-

TRACTATUS IV.
DE
IV. ECCLESIÆ PRÆCEPTO.
HOC EST,
DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.
Et per hanc occasionem de peccatis circa cibum, & potum.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Jejunium Ecclesiasticum.

1. JEjunium Ecclesiasticum, sic dictum ad differentiam Jejunii naturalis, quod servari debet ad Sacram Evchariſtiam suſcipiendam, & de quo latè diximus anno superiore; Jejunium, inquam, Ecclesiasticum universaliter sumptum est *abstinentia ciborum pro certis anni diebus modo ab Ecclesia instituto*, quem infra declaraturi sumus. Est autem duplicis generis; alterum, per quod abstinere Fideles debent à cibis per eandem Ecclesiam vetitis, nullo alio rigore superaddito, ut servatur in diebus feriæ sextæ, & sabbatis apud Ecclesiam Latinam, & feriæ quartæ apud Ecclesiam Orientalem cujuscumque hebdomadæ intra annum. Alterum, per quod abstinere debent à cibis quidem ab Ecclesia prohibitis, sed cum alio majore addito rigore, hoc est, cum restrictione ad unam tantummodò plenam refectionem, ut servatur in diebus Quadragesimæ, & Vigiliarum quatuor Temporum.

2. Porrò tria hìc, quæ sunt passim obvia, supponenda sunt. Primò, præceptum hoc esse ab Ecclesia latum. Et quidem illud de Quadragesima usque ab initio ætatis Apostolorum ad imitationem Christi Domini Jejunantis in deserto, ut notat Sanchez *lib. 5. consiliorum cap. 1. dub. 1.* quidquid dicant aliqui innominati apud Fagundez 4. *Eccles. præcept. lib. 1. q. 1.* qui ajunt, esse præceptum divinum à Christo institutum. Neque obstant S. Augustinus, S. Ambrosius, alijque apud eundem, qui dicunt, hoc præceptum esse de jure divino; sunt enim intelligendi originaliter, quia nimirum ad Christi

Domini imitationem illud Apostoli præceperunt, quod deinde jura Canonica confirmarunt. Idem prorsus dic de Jejuniis quatuor Temporum. Jejunia verò Vigiliarum, & abstinentia à cibis vetitis in diebus feriæ VI. & sabbato, videntur esse solùm de Jure Canonico, deque antiqua Fidelium consuetudine. Legite Leandrum *de Jejunio tr. 4. disp. 7. præsertim à q. 12.*

3. Secundò, supponendum est, hoc præceptum per se obligare sub mortali, ut ipsa Fidelium praxis, & sensus nimis clarè ostendit: quidquid dicant Cajetanus, & alij quidam apud Amadæum *in tract. de Jejunio prop. 6.* tenentes, non esse mortale, frangere dictum Jejunium, nisi quando frangitur ex contemptu, vel ex inobedientia: quam tamen sententiam rectè idem Amadæus dicit, à Valentia vocari temerariam, & ab aliquibus Recentioribus erroneam. Legite Pasqualigum *de Jejunio decis.* 30. & ibi innumeros DD. fallam vocantes ejusmodi sententiam, & meritò ab Alexandro VII. damnatam Anno 1665.

4. Tertiò, quamvis multi putent, præceptum de Jejunio esse affirmativum, multi autem esse negativum; probabiliùs tamen ij loquuntur, qui dicunt, esse affirmativum, & negativum sub diversa consideratione. Est affirmativum formaliter, quia totum hoc præceptum intendit pro fine (à quo sumunt speciem, & formam actus) aliquid positivum, nempè macerationem carnis, satisfactionem pro peccato, & conformitatem cum Christo jejunante. Negativum verò est materialiter, quia ejusmodi finem vult per illas negationes, id est, per negationem comestionis carnium, & per negationem plurium comestionum in die, sed solùm semel. Legite eundem Leandrum *loc. cit. quæst. 6.*

CAPUT II.

Quosnam afficiat Præceptum Jejunij.

1. ALiud est, excusari à Jejunio, aliud ad illud non obligari. Non obligantur ij, qui talis præcepti non sunt capaces, e. g. infans, infidelis, &c. Excusantur ij, qui quamvis ejus capaces sint, unde per se obligarentur, habent tamen aliquid, unde illis non imputetur culpa Jejunii violatio. Ejusmodi est e. g. adultus, infirmus, qui propter circumstantiam ægritudinis ad Jejunium ponendum non adigitur. Nos ergo hoc capite agemus de non obligatis, *infra cap. 10.* de excusatis acturi: licet notandum sit, multa hìc afferri, quæ ad excusationem referri possunt, & multa illic, quæ ad non obligationem.

Infideles, & Hæreticos.

2. INquires ergo primò, an hi teneantur lege Jejunii?

Respondeo hæreticos teneri, non verò infideles. Ratio est, quia hæretici, cùm supponantur esse baptizati, subjacent præceptis Ecclesiæ. Contra verò Infideles, cum non sint Ecclesiæ subditi, quæ subjectio acquiritur per susceptionem Baptismi, præceptis Ecclesiæ

clesiæ nequaquam subduntur. Inter hos connumera Cathecumenos; ij enim, quia nondum receperunt Baptismum, Ecclesiæ legibus non ligantur.

3. Hinc collige, infidelibus, & Cathecumenis posse te licitè ministrare carnes in die Jejunii Ecclesiastici, quia sic tu non cooperaris ad peccatum ullum; si enim illi non peccant, carnes tunc comedendo, nec tu peccabis, qui illas apponis. Ita Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 12.* Fagundez alijque aum Leandro *loc. cit. q.* 46.

4. Quæres: Licetne mihi pari modo propinare vinum meo servo Mahometano ex eo, quòd ipsis ex sua lege illud bibere prohibeatur?

5. Respondeo non licere; quamvis enim ex objecto id non sit peccatum, quia vinum bibere non est contra DEI legem; tamen, quia ipse ex conscientia erronea putat adesse legitimum præceptum de ejus abstinentia, atque putat, se graviter peccare, illud bibendo, tu in hoc casu cooperareris cum ipsius peccato. Sicuti, si Christianus putaret ex sua opinione, vinum bibere in die Jejunii extra comestionem, esse prohibitum, & tamen biberet; peccatum committeret ex conscientia erronea ita ipsi dictante; quia conscientia est proxima regula operationis malæ, vel bonæ, & consequenter tu non posses licitè cum illo cooperari ad bibendum. Ita in casu nostro, &c. Dominus ergo hujusmodi Mahometano persuadeat, id ipsi peccatum non esse; nam tunc, si mancipium conscientiam erroneam deponat, poterit eidem porrigi à Domino vinum, si tamen non deponat, licitè sanè non poteris. Propter has rationes idem dicendum erit de ministrandis quibusdam cibis infideli; quando is putat, se peccare, eos comedendo, ut e. g. quando Judæus, vel Turca putat, se peccaturum, si carnes suillas manducet, &c.

Legite in simili Caramuelem *tom. 2. Theol. Regul. num. 3389.* qui ait, infideles teneri obedire suis superioribus Ecclesiasticis, & Sæcularibus, quamdiù nesciunt, se errare; unde addit, quòd si Mahometanus negaret obedientiam suo Sacerdoti superiori, peccaret procul dubio mortaliter, si materia esset gravis, etiamsi (non obediendo illi suo superiori) nostro Canonico Juri, atque adeò Summo Pontifici obediret. Certè id non ob aliam rationem verum habet, nisi quia tunc hujusmodi Mahometanus contra propriam conscientiam (ut est in casu nostro) operaretur. Post hæc scripta incidi in Verricelli de Missionibus *fol. 186.* in aliquo mihi contradicentem.

Infantes.

6. INquires secundò: Quid de infantibus, qui sunt illi, quorum ætas nondum pervenit ad annum septimum completum, quando nondum rationis usus illis illuxit?

7. Respondeo hos non ligari ullo præcepto Jejunii, quia præcepta, & leges non feruntur, nisi pro utentibus ratione; unde, & lacticinia, & carnes comedere ipsi possunt, eisdemque ea porrigere parentes, nutricesve licitè valent.

8. Sub-

8. Subinquires: Quid si quis ante septennium (ut non rarò accidit) usu rationis potiatur? Id quod non difficulter parentes, & domestici possunt cognoscere ex variis conjecturis, moribusque ipsius pueri, & præsertim si advertatur, satis ipsum discernere inter bonum, & malum.

9. Respondeo. Azorius, Villalobos, Trullench, aliique cum Leandro *tractat. 5. disp. 2. quæst. 62.* hunc obligant ad abstinentiam carnium, vel lacticiniorum diebus vetitis (ad Jejunium enim major ætas requiritur, ut non multò post dicemus.) Castropalaus verò, Joannes Sanchez, Pasqualigus, Diana apud eundem Leandrum probabile meritò putant, hos non obligari, atque adeò connumerari, adhuc inter infantes. Ratio est, quia lex Ecclesiastica fertur pro eis, qui regulariter rationis usum habent, ac propterea solùm ad eos, qui septennium compleverunt. Cùm ergo per accidens sit, & rarò, quòd antea quis ratione polleat, de his non habetur ratio, sed censentur ab Ecclesia nondum legitimè præceptorum ipsius Ecclesiæ capaces.

10. Quid, si post septennium completum rationis usum quis nondum acquisierit?

Respondeo: Hunc esse computandum inter infantes, quia usus rationis est, qui facit, hominem egredi ab infantia, non verò merum tempus.

11. Quid, si de hoc, excedente annum septimum, dubitetur, an usu rationis perfecto potitus sit?

Respondeo. Tunc præsumendum esse, jam acquisiviſſe, quia præsumptio solet desumi ex communiter contingentibus; communiter autem contingit, ut post septennium quis acquisierit usum rationis; nam præsumendum tunc erit, acquisiviſſe, quia communiter accidit, tun ejusmodi usum advenisse. Ita Pasqualigus cum multis *de Jejunio dec. 50.*

12. Illud denique nota cum Henriquez *libr. 14. capit. 49.* & Bonacina *disp. 1. de leg. quæst. 1. p. 6. num. 8.* quando prohibentur ova, & lacticinia, posse per aliquod tempus pueris post septennium ea ministrari, quia, quamvis tunc obstringantur legibus Ecclesiæ, tamen ætas illa adhuc tenera nimium pateretur, si statim etiam lacticiniis privaretur; vnde talis prohibitio esset illis nimis onerosa.

Equidem id universaliter non concedo, sed solùm quando, viribus pueri perpensis, ea prohibitio illis verè graviter esset onerosa, quod faciliùs accidit in filiis nobilium, quàm in rusticorum filijs.

Amentes perpetui, & non perpetui.

13. INquires tertiò, de amentibus. Respondeo: Perpetui connumerantur ex probabilissima sententia cum infantibus ante septennium, atque adeò eandem, quam illi indulgentiam habent; siquidem lex humana numquam intelligitur dari, nisi humano, & rationabili modo.

Dico, *perpetui*; nam non perpetui, quique intervallo lucis rationis gaudent, connumerari debent inter capaces hujus præcepti, sicuti capaces sunt doli,

bili. Et nihilominus ex alio capite bis edere, & domestici eisdem porrigere carnes, licitè possunt, quia nimirum infirmi sunt, & carnes concedere ijs debemus, ne magis, magisque pravi humores augeantur, & insania crescat. Idem meritò dicit propter paritatem rationis de amentibus in una sola materia Leander, alijs citatis, *Præcepto Eccl. 4. d. 2. q. 45.*

Pueri, seu adolescentes ante vigesimum primum annum.

14. INquites quartò, de non habentibus annos viginti unum completos.

Respondeo, hos quidem obligari ad abstinentiam à carnibus, & lacticiniis in diebus vetitis, sed non obligari ad jejunandum; hæc enim sunt duo præcepta, & Ecclesia quidem hos adolescentes deobligavit à jejunio, ne in his impediretur cursus crescendi; at ab abstinentia prædicta non invenimus, eos exemptos esse. Ita communiter, & tradit S. Thom. *2. 2. quæst. 147. art. 4. ad. 2.*

15. Ne tamen hinc colligas, adolescentes prædictos non obligari ad jejunia, quæ ipsimet fortasse voverunt, vel quæ cum discretione imposuit Confessarius in pœnitentiam; ne, inquam, id colligas, hæc enim sunt peculiares obligationes, quas suscipere numquam prohibuit Ecclesia, quemadmodum non prohibuit, ne ob devotionem ijdem jejunent. Lege Azorium, Dianam, Bossium apud Pasqualigum *dec. 247.*

16. Subinquires: Cum certum sit, adolescentem, qui vigesimum primum annum complet in media c. grat. Quadragesima, obligari ad sequentia Jejunia, non verò ad præcedentia; an si compleat in prima hora mediæ noctis ejusdem diei, quo adest præceptum Jejunii, eodem die jejunare teneatur?

17. Respondeo, si compleat ex eo, quòd is natus sit ipsa media nocte, ita ut prima hora jam dicta, fuerit terminus exttinsecus suis natalis, hoc est, initio dictæ primæ horæ jam inventus sit natus, obligabitur, quia tunc totus dies, cuius initium dat hæc prima hora, pertinent ad annum 22. talis ætatis, in quo urget ieiunandi præceptum. At si compleat ex eo, quòd natus sit in ipsa prima hora mediæ noctis, ita ut dicta prima hora sit terminus intrinsecus ortus sui, hoc est, in initio dictæ primæ horæ non inventus sit natus, sed tunc natus sit, non obligabitur, quia tunc illa prima hora pertinet ad complementum intrinsecum anni 21. in quo toto, atque adeò etiam in hoc complemento habet adolescens ille jus comedendi. Quare, cum possit hac hora plenè comedere, & deinde non sit fraudandus communi refectione, quæ in Jejunio conceditur, certè legitimè bis comedet plenè, atque adeò ad jejunandum non est amplius aptus. Atque hæc deobligatio erit clarior, si annum compleat hora 2. post mediam noctem, vel 3. vel 4. vel cæteris.

18. Simile quid eveniet in sene; non enim obligabitur jejunare eo die, in cuius prima hora intrinsecè attingit annos 60. idque propter ean-

eandem rationem proportionaliter senibus applicandam.

Adolescens Religiosus.

19. SUbinquires secundò: Adolescens, si non completo vigesimo primo anno fiat Religiosus, obligabiturne ad Jejunia indicta sub mortali à Religione? Nam ab Ecclesia non adstringi jam certò scimus, quia etiam ipsi sunt in ætate crescente.

20. Respondeo si sint indicta sub peccato gravi, obligari censet Bossius, id multis rationibus firmans: & ratio præcipua est: quia, qui assumunt Professionem religiosam, assumunt omnes obligationes illius Religionis. Ita dictus Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. num 3.* Atque hæc est communis opinio.

Verùm Pasqualigus *decis. 254.* ait, tunc solùm obligari ejusmodi adolescentem, quando præceptum jejunandi est indictum etiam pro adolescentibus; nam si ponatur sine hac clausula, intelligi imponi ad modum, & mensuram, quibus Ecclesia indicere solet: hæc autem non includit adolescentes ante 21. annum. Sicuti si quis voveat jejunare, vel sicuti si Confessarius imponat Jejunium; nec aliud addat; tunc hoc votum, & hæc pœnitentia explicatur sub conditionibus, quas solet Ecclesia; ita quando Religio sine majori explicatione, qua obliget etiam adolescentes, indicit sua Jejunia, hæc interpretanda sunt more Ecclesiæ, quæ, ut dictum est, non obligat ante 21. annum, quia leges particulares sumunt mensuram, & modum à lege universali. Utraque sententia videtur probabilis.

2. Hanc eandem doctrinam extende, si quando in aliqua Religione præcipiatur servari omnia Jejunia Ecclesiastica; nisi enim addatur sub peccato gravi etiam pro adolescentibus, intelligitur præceptum more Ecclesiæ. Quod idem puto de senibus Religiosis habentibus annos sexaginta.

Adolescens dubitans de sua ætate.

22. SUbinquires tertiò: Si omnibus expensis, negativè dubitem, an expleverim 21. annum, teneorne ad Jejunia Ecclesiastica observanda?

23. Respondeo, te non teneri, quia libertas, qua per totum tempus anni certò gaudes, non potest tolli à præcepto dubio, de quo scilicet nondum constat, quòd obligare incæperit. Nam propter contrariam rationem si dubites, an 60. annos attigeris, qui in ætate eximitur quis, ut infra dicemus, ab obligatione Jejunii Ecclesiastici, jejunare teneris, quia obligatio, qua toto tempore antecedenti ligaris, non potest vinci ab excusatione annorum dubia. Ita communissima sententia cum Leandro *tract. 5. disp. 8. quæst. 13.* alios adducente.

24. Quòd si probabile, sit te expleviſſe, & probabile item sit, te non expleviſſe annos 21. tunc potes sequi, quod mavis, quia non est major ratio, quòd alterutram probabilitatem sequaris. Verùm, si sit magis probabile, te expleviſſe, condemnat te ad Jejunium Pasqualigus *decis. 255.* quia hæc pro-

ba-

babilitas est probabilitas facti, non juris; at in facto debet excipi probabilius judicium. Sed ex dictis à me alibi *lib. 1. in decal. cap. 3. §. 3. num. 11.* colligitur, te non esse condemnandum. Videatur Joann. Sanchez *disput. 3. à num. 49.*

25. Petes: Quidam rusticus adolescens nesciebat quot annos ageret, an scilicet expleverit annum 21. Idem ignorabat Senex quoad annos 60. obligabunturne ad Jejunium?

26. Respondeo: Si ijdem notam sui natalis habere aliunde, vel ex Baptismo, non possint, nec testes ullos habeant de sua ætate, tunc fiat, quod vel ipsemet, si sit prudens, vel Confessarius, vel peritus quisque judicabit moraliter, habita scilicet ratione circumstantiarum, ex quibus ipsius ætas colligi potest; in hoc enim casu aliam notitiam habere nequimus, nisi prudentis viri judicium. Dum autem hæ diligentiæ fiunt, non obligarem ejusmodi hominem, quem ex aspectu adolescentem cognosco, ad Jejunium; quia nondum constat, quòd is sit subjectus eiusmodi præcepto.

De senibus suus erit locus latè dicendi infrà *cap.* 10.

Peregrini, & Vagi.

27. INquites quintò: peregrini, seu advenæ, & ii, qui nullibi domicilium fixum habent, vocarique solent vagi, & quomodo tenentur Jeiunare, quando præceptum ieiunandi est addictum loco? Nam eos omnes obligari ad Jeiunia universalia indicta ab Ecclesia, esse dubium non potest.

28. Respondeo quinque dictis. Dico primò, quando in loco tui Domicilii, e. g. Panormi non servatur Jejunium de præcepto, sed servatur in alio, e. g. Montregali, tu non teneris servare ejusmodi Jejunium, si ibi, hoc est, Montregali, sis in transitu per unum, vel paucos dies, quia neminem teneri (licet possit, si velit) servare præcepta alterius Diœcesis, in qua est in transitu, est satis probabile. Legite Thomam Delbene *de Immunitate cap. 11. dub. 1.* ubi affert novem rationes pro hac doctrina, abstrahendo tamen à materia contractuũ, qui semper celebrari debent juxta locorum consuetudinem. Quare licebit tibi comedere etiam carnes (sed semper remoto scandalo) & Pasqualigus quidem *dec. 202.* dicit, id verum esse, etiamsi per multos dies ibi consistas, modò animum habeas non figendi in eo loco domicilium, sed hoc certè nimis laxè dictum est.

29. Dico secundò quando in loco tui domicilii, e. g. Panormi, servatur hodie Jejunium, hodie autem non servatur in Monte regali e. g. sed servabitur die sequenti, si à tuo Panormitano Territorio heri fortè egressus es, non obligaris hodie Jejunare, quia hodie non es Panormi; nam generaliter absens à suo Territorio non tenetur servare statuta particularia talis Territorii, nisi statuta facta sint peculiariter pro absentibus, & in dicta materia contractuum, ut latè explicat Pasqualigus *dec. 211.* Nec obligaris die sequenti Jejunare Montregali, quia statuta peculiaria peregrinus, ut dictum est, non obligatur servare. Nec obligaberis Pa-

normi; quia die sequenti ibi non jejunatur. Atque id non est fraudare legem, sed ejus obligationem effugere, ut effugit, qui dispensationem petit, & obtinet. Ex qua paritate ducta ex petitione dictæ dispensationis, & ex aliis rationibus uterque Sanchez, Suarez, Castropal. aliique apud Pasqualigum *decis. 214.* idem docent, etiamsi ideò egrediaris, ut fugias Jejunium.

30. Dico tertiò si hodie egrediatis à loco, e. g. Panormo, ubi hodie servatur Jejunium, perventurus eodem die in locum, ubi non servatur, e. gr. in Montem regalem, non obligaris eodem die ad Jejunium, quia ex una parte, ut dictum est, statutum peculiare non obligat extra proprium Territorium, atque adeò obligatio, quæ est Panormi, in casu nostro non est in Monte regali, & ex alia parte tu es absens à civitate Panormi. Id autem procedit, etiamsi in tuo Territorio jejunetur ex vi universalis juris communis. Unde si in quatuor diebus ante primam Quadragesimæ inveniaris per transitum Mediolani, ubi in iis quatuor diebus non jejunatur, potes non jejunare, & feria quarta, & quinta comedere carnes, quia, cum sis absens à tuo Territorio, ab obligationibus, quæ ibi vigent, es liber. Et item potes, te velle conformare cum consuetudinibus illius regionis, ubi inveniris. Excipit tamen Pasqualigus *decis. 110.* Religiosos tum ibi consistentes, tum transeuntes, ex eo capite, quòd Religiosi habent suam Communitatem, suumque vivendi morem, & consequenter, si in aliqua Communitate sæcularium abrogatum est aliquod jus, non censetur abrogatum pro ipsis.

31. Subinquires an in eo casu, quo Panormi e. g. hodie jejunatur, possim hodie, manè, e. g. antequam discedam, comedere, quandoquidem sum perventurus eodem die in Montem regalem, ubi non jejunatur, & ubi ego conformem me reddendo Montregalensium moribus, possim jejunium non observare?

32. Respondeo te posse Panormi comedere cibos legales quantum libet, quia jejunium præcipitur, ut servetur per totum integrum diem indivisibiliter; si ergo non obligaris propter accessum ad locum Montis regalis per totum diem jejunare, liber à jejunio absolutè eris. Ita Thom. Sanchez *loco mox citando.*

Dixi (*cibos legales*) quia non poteris comedere carnes Panormi; siquidem præceptum de carnium abstinentia est negativum, & violatur toties, quoties. Quare te ligat pro quocumque tempore, quamvis brevissimo, quo Panormi existis.

33. Quòd si ponas è contra, Panormi non servari ullum jejunium, perventurus autem sis vespere, vel meridie in Montem regalem, ubi jejunium servatur, potes certè carnibus vesci Panormi; Panormi enim, ut supponimus, non servatur jejunium ullum, Montregali, deinde ex illo alio capite potes, remoto scandalo, carnes comedere, quia te advenam statutum Montregalense ex probabili sententia, ut jam dictum est, non afficit.

Quid

Quid denique, si tu Panormitani domicilii, discessisti à civitate Montis regalis, in qua tu domicilium fixum non habes, & in qua non servatur jejunium, perventurus serò, vel meridie Panormum, in tuum scilicet domicilium, ubi jejunium servatur?

34. Respondet Thomas Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 10.* aliíque cum distinctione. Si in Monte regali non fregisti jejunium, obligaberis, Panormum perveniens, jejunare. Si fregisti, non obligaberis. Ratio est, inquit, quia in priore casu aptus es ad jejunandum, ergo debes Panormi in tuo scilicet domicilio illud servare, quod ibi servandum ex præcepto est. In posteriore autem casu non es aptus ad ponendam rem præceptam; præcipitur enim jejunium indivisibiliter per integrum diem, quod servari tibi amplius non est possibile, quia illud jam fregisti, ut supponimus.

Respondet verò Joannes Sanchez *disp. 54. n. 4.* sive fregeris, sive non fregeris jejunium, te non obligari, quia quamvis non fregeris, frangere tamen poteras; unde non tenebaris, tunc jejunium servare; ergo neque teneberis postea per totum illum diem; siquidem mandatum jejuuandi respicit integrum diem, & unum individuum. Hæc Joannes Sanchez. Sed omninò sententia, & distinctio Thom. Sanchez est præferenda. Nec huic opponas ea, quæ diximus num. 19. de adolescente nato, & complente annum 21. una e. gr. hora post mediam noctem; ne id opponas, inquam, quia id propter pietatem Matris Ecclesiæ pro juvene crescente majorem benignitatem sequi voluimus, quam hìc sequi, nequaquam debuimus.

35. Dico quartò: si Panormi in tuo territorio servatur jejunium peculiare, e. g. in vigilia S. Francisci ex vi statuti Diœcesis Panormitanæ, & in alieno Territorio, e. g. Montis Regalis, servatur in eodem die jejunium peculiare ex vi statuti Diœcesis Montis Regalis; si tu in alieno hoc Territorio transeuntes inveniaris, non obligaris probabiliter jejunare, quia non ex vi statuti tui Territorij, siquidem jam existi ab illo; nec ex vi statuti alicui Territorij, quia ibi tu es peregrinus; ergo, &c. Ita Joannes Sanchez *loc. cit. num. 31.* & Pasqualigus *dec. 206.* contra Thomam Sanchez, aliósque.

36. Dico quintò: Vagi, hoc est, qui nullam certam habent habitationem, donec Vagi sunt, non tenebuntur jejunare in jejuniis peculiaribus civitatum, quia non sunt ibi commorantes, ut supponimus. Ita Jo. Sanchez *disp. cit. n. 34.* Pasqualigus *disp. 200.* citans Lessium, aliósque contra Thom. Sanchez, Castropalaum, Merollam, aliósque, qui tenent, vagos obligari non solùm legibus universalibus, ut diximus *num. 37.* verùm etiam peculiaribus statutis illorum locorum, in quibus inveniuntur. Cùm autem utrumque sit probabile, legantur rationes utrimque allatæ apud prædictos.

CAPUT III.

De abstinentia à carnibus diebus vetitis.

Quid veniat nomine carnium?

1. INquires primò: Quorumnam animalium carnes in die jejunij, aliisque vetitis diebus comedi prohibentur?

2. Respondeo. Aliqui minus eruditi eam regulam tradunt, ut prohibitæ censeantur carnes omnium animalium, quæ vivunt extra aquam, & vocantur terrestia, & volatilia, concessæ verò eorum, quæ in aqua vivunt, & appellantur aquatilia. Sed certè minùs rectè, nam testudines, & limaces, terrestres sunt, & tamen admittuntur in die jejunij, ut habet Azor, Reginaldus, Bonacina, aliique cum Leandro *tract. 5. disp. 2. q. 9.* qui addit etiam locustas, & ranas. Regula igitur illa debet sic commodiùs dari, ut prohibitæ censeantur eorum animalium carnes, quas consuetus usus, & existimatio Fidelium pro talibus usurpavit, habito respectu ad finem intentum ab Ecclesia, qui est, ut in jejunio non adhibeantur carnes, quæ sunt alimenta, multum nutrientia, ac multum reficientia corpus. Quæ autem animalia vix sanguinem habent, ut est limax; vel quæ habent valde frigidum, ut est testudo, sùntque pisces omnes, qui non multum nutriunt, propterea à mensa jejunantium non excluduntur. Contra ea, quæ vividum, calidúmque sanguinem habent, quales sunt vaccæ, boves, oves, &c. quia nutriunt valde, repelluntur meritò à jejunantibus.

3. Hinc si fortè comedere quis non horreat mures, feles, vespertiliones, equos, canes, & similes, non tamen eos licitè valebit admittere in diebus vetitis, quia ad similitudinem eorum, quæ prohibentur, & attento fine Ecclesiæ, cùm multum horum carnes sint nutritivæ, etiam ipsæ prohibitæ intelliguntur. Inter carnes numerant Fagundez, Leander, Pasqualigus citat. Camaleontem, & lacertas terrestres, quia carnei sunt, & inter carnes in communi existimatione censentur.

4. Hinc præterea corvos, quos vocant, marinos, & aves omnes, quæ nutriuntur in aquis, quamvis saporem piscis habeant, inter carnes prohibitas connumerat Fagundez *præcepto Eccl. 4. lib. 1. c. 2. n. 9.*

5. Contra verò Bertrandus Lotth, *tract. de jejunio q. 1.* affirmat, quasdam anates nasci in littore maris, Bononiensis in Picardia ex lignis navigiorum putridorum, de quibus, ait, fuit olim suborta quæstio inter Medicos, an in genere piscium essent collocandæ, an in genere avium. Inspectâ autem diligenter earum naturâ, proprietatibus, judicarunt, eas in genere piscium collocandas, vel ad illud reduci, eò quòd gaudeant sanguine frigido, sicut pisces, & continuò morentur in aquis. Ideò tutò possent comedi in Quadragesima, sicuti ibi passim comeduntur: esto, vestitæ sint plumis, sicuti anates terrestres, & formam illis non absimilem habeant: quemadmodum, & multi pisces similem figuram habent cum mul-

multis animalibus terrestribus, nec propterea terrestria judicantur. Hæc ille. Ex qua doctrina vide, an è natura carnium excludendi sint Camaleontes, & lacertæ, & aves, quæ nutriuntur in aquis, quæ modò n. 3. inter carnes sunt à Fagundez, aliisque connumeratæ. Legite Cotonium *in controversiis lib. 1. controv. 17. q. 1.* qui multa ejusmodi animalia nata ex aquis affert, quæ tanquam pisces habentur apud illas nationes, ubi nascuntur. Legite item, quæ de carnibus viperarum diximus in Decalogo, mox citando.

Quæ partes animalium prohibeantur in diebus vetitis?

6. OMnésne partes prædictorum animalium prohibentur?

Respondeo. Omnes, quæ constituunt, & integrant ipsum animal; vetito enim illo, vetantur omnia, quæ illud integrant: quare propter dictam rationem vetitæ etiam erunt cartilagines, nervi, sanguis, jus ex carnibus cur etiam ex Leandro *loco cit. q. 7.* olera, seu herbæ coctæ in ipso jure) medulla, laridum, axuntia, pinguedo animalium prædictorum.

7. Quid de pinguedine porcina, igne liquefacta, quo pacto vocatur sagimen?

Respondeo. Idem dicendum esse, nempe recenseri inter carnes, quia ignis non mutat illius naturam, sicuti nec idem ignis mutat illarum naturam, si concoquat alias carnes.

8. Signatè tamen dico (*idem dicendum esse*) nam quia modo docuimus, hac in re maximè esse attendendum usum Christianorum, eorúmque existimationem; probabile autem est apud Christianos, sagimen ex sue, seu ex laridо, axuntiáque porcinis, ignis vi liquefactis, inter lacticinia numerari, ut putat Ludovicus à Cruce *disp. 1. c. 5. dub. 16. de Bulla Cruciatæ.* Pasqualigus cum aliis ab eodem citatis *decis. 74.* & probabile item est, numerari inter carnes, ut putat Fagundez *Præcepto Eccl. 4 lib. 1. c. 2. n 20.* & Leander *loco cit. quæst. 35.* cum aliis, ideo probabile erit, posse, & debere sagimen rejici à diebus vetantibus lacticinia, & item probabile, posse recipi, saltem ubi est talis consuetudo illud recipiendi; quam esse in Regno Siciliæ, tenet Diana *part' 1. tract. 9. resol. 21.*

9. Dictum est de pinguedine liquefacta ex porcinis. Quid, si sit liquefacta ex adipe aliorum animalium, gallinarum, anserum, cervorum & similium?

10. Respondeo. Non intelligi saltem in nostro Regno Siciliæ nomine lacticiniorum. Ratio est, quia fundamentum, unde diximus, probabile esse, intelligi sagimen porcinum, est, quia in nostris Regionibus illud in communi omnium existimatione connumeratur inter lacticinia; at non video, sagimen aliorum animalium, cùm rarum sit, ita connumerari; tanta enim raritas non potuit parere communem existimationem. Quare licet physicè eadem sit ratio de hoc, ac de suillo, non est tamen moraliter, & ita sustinet Bardi *p. 2. de Bulla Cruciatæ tr. 3. c. 3. n. 15. & 16.*

11. Ni-

11. Nihilominus quod ejusmodi pinguedo liquefacta ex gallinis, anseribus, similibus sit numeranda inter lacticinia, docet Layman *lib. 4. tr. 8. cap. 1. n. 5.* & Pasqualigus de jejunio *decis. 74.* quia pinguedo non est caro, ut ait Arist. *p. de gener. animalium cap. 18.* circa finem. Pinguedo enim est excrementum bonitate substantiæ salubre, & illa ignis calore liquescit, quòd non habet caro; unde potiùs convenit cum ovis, & lacticiniis, nam originem trahit à carne, sicuti ova, & lac. Hinc Gobat *in Clipeo Clementium Indicum n. 202.* sic docet: Meminerit Confessarius Laymannum sapienter observare, non esse Teutonibus in Germania movendum scrupulum peccati mortalis, quando loco butiri, utuntur sagimine, seu pinguedine anserum ad condiendos cibos illis diebus, quibus fas est vesci ovis, & caseo; illa enim pinguedo non est caro, & consuetudo abstinendi ab ea, non videtur saltem in Germania introducta cum intentione, se obligandi sub mortali. Hactenus Gobat, quem tamen in nostris regionibus propter rationem dictam n. 11. sequi nequaquam placet.

12. Quid denique de ovis, quæ vocantur, & certè sunt non nata?

Respondeo. Dixi *lib. 4. in Decal. c. 5. §. 1. n. 19.* & nunc confirmo, hæc numerari inter lacticinia, non verò racemum, unde ea pendent, quia illa sunt eadem substantia, ac ova, hic verò est ipsissima caro. Bardi *loc. cit.* refugit, numerari inter lacticinia ovicula illa instar acini, quæ dicto racemo sunt annexa, & affixa, quia adhuc, inquit, retinent naturam sanguinis, & nondum sunt in ovi substantiam conversa; sed profectò sapor, color, aliaque omnia ostendunt, ea non esse sanguinem, sed iam concreta in substantiam ovi.

Abstinentia à carnibus estne de substantia jejunij?

13. INquires secundò: an constare jejunium possit cum comestione carnium? hoc est, an si quis semel comederet in meridie carnes, & vespere solitam refectiunculam sumeret, diceretur Ecclesiastice jejunare?

14. Respondeo nequaquam: abstinentia enim à carnibus est de essentia jejunij: sic enim sunt jejunia Ecclesiastica instituta: id quod universalissima consuetudo ab omnibus Doctoribus confirmata, satis, superque probat. Abstinentia autem à lacticiniis, quæ in jure Canonico *Capitulo, Denique distinct. 4. num. 1.* dicuntur, sementinam originem trahere à carnibus, non sunt de jejunii essentia; nam stat jejunium Ecclesiasticum cum horum comestione, ut patet in comedente illa tempore Quadragesimæ ex privilegio Bullæ Cruciatæ.

15. Quoniam verò abstinentia à carnibus est præceptum negativum, ut item abstinentia lacticiniorum in diebus, in quibus hæc vetantur (de qua re infra) ideò toties peccabitur à Fidelibus, quoties in die vetito illa comedentur; hoc enim discrimen habent præcepta negativa ab affirmativis; ut negativa prohibeantur semper, & pro semper, quale est e. g. præceptum non blasphemandi; affirmativa verò so-

solùm præcipiantur pro aliquo determinato tempore ; quale est e. g. de audiendo Sacro, quod præcipitur pro diebus festivis. Vide aliqua huc pertinentia infra *c. 9. §. 3.* notandum.

16. Ex dictis sequitur primò dispensatum ad comedendas carnes, non teneri ad jejunium : nam comedens carnes non potest ponere jejunii substantiam, quæ cum carnibus constare non potest : quare huic impossibile est jejunium, ad impossibile autem nemo tenetur.

17. Porrò hìc nonnulli censent, dispensatum ad carnes ob debilitatem virium, posse pluries eodem die comedere, & non observare jejunium ; non verò dispensatum ad easdem ob detrimentum, quod viliores cibi illi afferunt : & sic putat Lessius *lib. 4. cap. 2. dub. 6.*

18. Sed tenendum est, neutrum ex his obligari ad jejunium servandum; quia neuter essentiam jejunii ponere potest, ut bene advertit Joan. Sanchez *disp. 51. num. 1.*

19. Quid, si quis dispensaretur solùm, ut semel carnes comederet?

20. Respondeo cum eodem Joan. Sanchez *disp. 54. num. 15.* hunc non posse, nisi semel, carnes comedere, quia pro semel concessa est licentia, ut supponis ; at poterit alios sumere cibos, quoties voluerit ; quia propter comestionem carnis etiam unicam, factum est illi impossibile ieiunium. Illud autem hìc advertte ; quando quis aliquem dispensat ad carnes (nisi aliqua circumstantia contrarium suadeat.) Intell gi absolutè, & per totum illum diem ; quare regulariter poterit dispensatus eas multoties comedere.

21. Ex dictis item sequitur secundò, cui licet comedere carnes, licere & lacticiniis vesci, quia dispensatus, seu excusatus ad majus, censetur etiam ad minus in eodem genere ; unde poterit etiam comedere pisces. Quòd si alicui dispensato ad carnes noceant pisces, peccabit is quidem contra temperantiæ virtutem, vel contra charitatem sui ipsius, sed contra præceptum ieiunandi, nisi fortè in aliqua diœcesi sit statutum, ne simul comedantur pisces, & carnes, quale esse sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in Diœcesi Toletana, refert Leander, *tractat. 5. disputat. 1. quæst. 30.*

22. Sequitur tertiò eum, qui inadvertenter in die ieiunii carnes notabilis quantitatis comedit, & in eodem die advertit tunc adesse præceptum ieiunandi, posse adhuc pluries comedere cibos legales, non autem carnes. Ratio est, quia comestio carnis adhuc inadvertenter facta, carnis comestio est ; adeóque eas comedentem facit ineptum ieiunio, cum non possit ponere ieiunii essentiam. At iterum carnes comedere, nequibit ; quia præceptum negativam de abstinentia carnium toto perdurat, ut dictum est, die. Ita Basilius Pontius contra Manriquez, apud Dianam *part. 9. tractat. 6. resolut. 28.*

23. Sequitur quartò, quid dicendum sit, siquis dispensatus ad comedendas carnes eodem die manducare eas nolit, & reipsa non manducet, obligabitúrne eo die ieiuniu n observare ?

24. Sanè ex dictis sequi videtur, obligari; quia cum jam non comederit carnes, est aptus ad ponendam essentiam jejunii.

Nihilominus probabilius censeo, non obligari; quia per dispensationem, per quam comedit carnes, vel per quam potest carnes comedere, ablatum est ei vinculum, seu præceptum jejunandi; qui enim dispensat ad carnes, dispensat à jejunio, quod cùm carnibus stare nequit. Ita cum aliis Diana *p. 9. tr. 6. res. 11.*

25. Hac in re Thomas Sanchez, *lib. 5. Consiliorum cap. 1. dub. 30. n. 3. & 4.* aliique distinguunt. Si enim, ajunt, sis dispensatus ad carnes ob debilitatem virium, potes non jejunare; si verò sis dispensatus ad carnes ex eo, quòd notabiliter noceant tibi cibi legales, obligaris observare jejunium eo die, quo solùm legales comedis; quia non habes excusationem, ex eo, quòd non valeas ponere essentiam jejunii; jam enim non comedis carnes incompossibiles cum jejunio. Verùm animo nequaquam sedet hæc distinctio; siquidem esto, non sis libera jejunio ex eo capite, quòd carnes comederis, excusaberis ex alio, quia scilicet ratio dispensationis, quæ fuit ducta à damno tuæ salutis, jam adest etiam hoc die; quare etiam adest, seu constat dispensatio; neque enim te vesci ex libitu cibis nocivis dispensationem tollit, nec facit, quòd ij nocivi, tibi non sint nocivi.

Quandonam pluries peccat, qui pluries in die vetito comedit carnes?

26. INquires tertiò: Semperne pluries peccat, qui pluries carnes comedit in die vetito?

Respondeo: Certum est, eum, qui post sufficientem distantiam pluries earum manducationes facit, e. g. manè, meridie, vespere, plura numero peccata committere, quia, ut diximus, hoc præceptum est negativum obligans semper, & ad semper. Non ita est, si pluries comedas cibos legales; nam cum in jejunio solùm concedatur una plena refectio in meridie, & solùm una refectiuncula serò, si quis secundam plenam refectionem faciet, peccabit quidem, quia sic frangit jejunium. Verùm si deinde aliam ex prædictis cibis legalibus, & aliam faciat, non peccabit ampliùs, quia facto semel jejunio per dictam secundam plenam refectionem, non est ampliùs aptus ad illud ponendum, atque adeò iterum, & iterum non peccabit, quia ire contra præceptum, quod observari, est impossibile, peccatum non est.

27. Dixi (per sufficientem distantiam.) Illud enim hìc difficile est in praxi, quonam modo cognoscere valeamus, quænam distantia sufficit, & requiratur ad patranda hac in re plura numero peccata, quæve continuatio ad ponendum unum dumtaxat.

28. Dico primò, si quis initio mensæ, e. g. comedat ferculum ex carnibus, mox comedat pisces, deinde in finem iterum redeat ad carnes, unum tan-

tamùm numero peccatum committere. Ratio est, quia dictæ comestiones, licet physicè sint plures, moraliter tamen, quia uniuntur in una refectione, censentur una transgressio præcepti.

29. Dico secundò, si interrumpatur dicta comestio per alia negotia intermedia, nonnisi prudentis viri judicio decernendum esse, an si iterum redeatur ad carnes comedendas, conflétur una moraliter actio, se reficiendi, an constentur plures. Certè si post horam redeatur, non puto conflari unam, quia est sufficiens distantia. Si verò post quadrantem, censeo conflari unam moraliter, quia tam breve tempus non distrahit illas actiones comedendi moraliter.

30. Quæres hac occasione. Qui non ex præcepto Ecclesiæ, sed ex voto, vel ex pœnitentia imposita à Confessario hodie e. g. ieiunare debet, si pluries comedit carnes, pluráne numero peccata committet?

31. Respondeo, primò. Ita putant Azor, & Suarez apud Pasqualigum mox citandum; quia tum vovens, tum Confessarius imponens ieiunium, imponit illud modo, & more Ecclesiastico, quod duas habet separatas obligationes, nempè unam dumtaxat plenam refectionem sumendi, alteram à carnibus toto die per præceptum negativum abstinendi.

32. Respondeo, secundò. Non ita putat Layman. Thomas Sanchez, Faustus, Leander, quos citat, sequiturque Pasqualigus *dec. 457.* quia abstinentia à carnibus non cadit sub intentionem voventis, nec Confessarii (si aliud expressè non addatur) nisi quatenus est necessaria pro ieiunio, & quatenus est inclusa in ieiunio: ergo semel violato (quamvis cum peccato) ieiunio, cum ampliùs locum non habeat observantia voti, vel pœnitentiæ, non obligabitur ad abstinentiam à carnibus, quæ solùm cadebat in obligationem, quatenus debebat cum ieiunio conjungi; id quod certè non est in jejunio Ecclesiastico, quia hoc habet duas dictas obligationes, per se separatas, ut apparet in adolescentibus, & senibus supradictis, in quibus non obligat jejunium, remanet tamen obligatio abstinendi à carnibus, quod idem est in diebus feriæ sextæ, & sabbati totius anni. Utraque responsio probabilis est.

33. Dices, si ex hac secunda responsione abstinentia à carnibus non cadit sub intentionem voventis jejunium, nisi quatenus est necessaria pro ipso jejunio, sequitur, quòd si quis non obligetur ex vi voti jejunare in die, quo non veretur carnium comestio, e.g. hoc de libero à jejunio Ecclesiastico, sequitur, inquam, posse comedere carnes sine peccato, quia si is non obligatur ex voto jejunare, non obligabitur abstinere à carnibus, quæ abstinentia non cadit sub votum, nisi ut necessaria ad jejunium. Id posset occurrere, quando aliqua communitas voveret in vigilia, e.g. sui Patroni jejunare, e.g. hic Panormi in vigilia Immaculatæ Conceptionis S. Virginis, de qua re diximus supra *tr. 1. c. 7. a n. 23.* tunc enim adolescentes ante 21. annum, ac sexagenarij (nisi utrique hi peculiari suo voto se personaliter obligassent) non tenerentur obstinere

à carnibus, quia ex una parte votum jejunii, ut diximus suprà *cap. 2. num. 20.* intelligitur emitti juxta morem Ecclesiæ, mos autem Ecclesiæ est, ut non obliget Fideles in illa ætate, & ex alia parte posito, quòd hi non obligantur ad jejunium, non obligabuntur ad abstinentiam à carnibus, quæ solùm in hac secunda responsione debet servari, ut necessariò inclusa in ipso jejunio.

34. Respondeo sanè negari non posse, id sequi ex hac secunda responsione, quam probabilem esse modò pronunciavimus, & consequenter id etiam esse probabile. De hac quæstiuncula lege Excobar. *vol. 4. lib. 29. sect. 2. de 2. præcepto problemate 98.*

CAPUT IV.

De abstinentia à lacticinijs in diebus vetitis.

1. NOmine lacticiniorum veniunt lac cujuscunque animalis, caseus, butyrum, aliaque ex lacte conflata, ova quoque, & alicubi sagimen ex sue, modo, quo diximus *cap. præced. à num. 8.*

2. Jam quæres primò: Quando nam hæc à Fidelibus comedi prohibentur?

Respondeo, de tribus temporibus dubitationem esse posse, primò, de feriis sextis, & sabbatis totius anni, secundò, de diebus jejunii in vigiliis, & quatuor Temporibus, tertiò de diebus Quadragesimæ. Jam de singulis.

Usus lacticiniorum in Ferijs sextis, & sabbatis.

3. IN feriis sextis, & sabbatis totius anni, si tunc non incidit, vel vigilia, vel quatuor Tempora, vel Quadragesima, licitè Fideles lacticiniis utuntur; siquidem nullibi in Sacris Canonibus id prohibetur. Quòdsi alicubi sit legitima, & approbata consuetudo abstinendi ab illis, ea servanda est. Certè in nostro Siciliæ Regno ea non viget; & quamvis in aliquibus pagis, & apud rusticos, vel mulierculas nonnulli religioni sibi vertant, si ea comedant; tamen doctiores de veritate eos instruere, ne peccent ex conscientia erronea, operæ pretium est. Ita docent Doctores, quos mox proferemus, dum dicunt licere edere lacticinia in omnibus diebus extra Quadragesimam.

In Vigilijs, & quatuor Temporibus extra Quadragesimam.

4. NEque in his, quæ sunt instituta ab Ecclesia, est in jure prohibitio comedendi lacticinia, ut testantur Vasq. Villalob. Sanchez, aliique cum Diana *p. 1. tract. 9. res. 41.*

Dico (Institutis ab Ecclesia) quia præscindimus ab obligatione voventium, vel institutorum in religionibus, vel ab impositis à Confessario, de quibus mox *n. 6.*

Major difficultas est, an adsit legitima consuetudo; & tamen idem Vasq. *part. 2. tract. 2. disp. 177. cap. 6. n. 54.* advertit, eam non adesse in Hispanijs, & locis, ubi promulgatur Bulla Cruciatæ; cum enim per hanc comedantur lici-

licitè in his jejuniis lacticinia, & major pars Fidelium eam sumat, illaque comedat, non potest allegari contra lacticiniorum usum consuetudo, quia nequit prudenter cognosci, an sit hæc prohibitio, quando major pars Fidelium per Bullam comedit, & Diana quidem *loc. cit. ref.* 6. notat ejusmodi prohibentem consuetudinem non adesse in nostro Siciliæ Regno. In aliis locis quilibet servet, quod legitimè statutum, seu consuetum est.

5. Juvat etiam legere Pasq. *decis. 69.* ubi contendit probare, nullam adesse obligationem ratione consuetudinis abstinendi à lacticiniis in prædictis diebus, additque *decis. 70.* quamvis hæc consuetudo esset legitimè introducta pro sæcularibus, non tamen illa ligandos fore religiosos, quia cum hi sint in diverso statu, & ordine, habeantque sua propria onera, non tenentur consuetudinibus sæcularium, nisi ex proprio jure, vel voto alias obligarentur. Id quod etiam tenet Leander *n.* 4. *præcepto Eccl. disp.* 3. *q.* 7.

6. Denique sic habet Quintanaduennas *tom. 2. singular. tr. 3. sing. 22.* concedens lacticinia in omnibus diebus, vel jejuniis extra Quadragesimam.

7. Ultimò igitur addo, quòd si in aliquibus Hispaniæ, ac etiam in Diœcesis Granatensis locis introducta est abstinentia ab ovis, & lacticiniis in sextis feriis, aut jejuniis extra Quadragesimam, adhuc hæc consuetudo non obligaret, nec vim legis haberet. Ut. Sanchez *tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 21. num. 2.* probat, quia non esset inducta à maiore parte populi; maior enim illius pars Bullam habet, nec induceretur animo se obligandi ad peccatum, sed ex ignorantia, ac errore. Et quando dubium esset, an obligaret, & an omnibus requisitis inducta esset, melior est conditio possidentis; unde consuetudinem hanc, ita ad hoc obligantem in Hispania, aut alibi, non adesse sentiunt Henriquez, Vasquez, Villalob. Fill. Portella, Joannes Sanchez, Bossius Trullench, quos citat, & sequitur Pasqualigus *dec. 69. num. 2.* Hactenus Quintanaduennas.

Hanc eandem sententiam, quòd extra Quadragesimam liceat semper comedere lacticinia, tenent Salas, Henriquez, Portella, aliique, quos n. 614. citat, & sequitur Verde in defensione, quam pro Caramuele habet contra Borgiam; ubi numero præcedenti meritò reprehendit aliquos Doctores, quos non nominat, qui ausi sunt pronunciare, hanc sententiam esse corruptelæ obnoxiam, & flammis devovendam.

9. Ex prædicta doctrina sequitur, si quis voverit jejunium, vel ipsi jejunium impositum sit à Confessario, vel jejunium à Summo Pontifice assignetur exhibendum ad Jubilæum lucrandum, posse hunc ejusmodi jeiunia exequi comedendo lacticinia: nam, quia constat essentia Jeiunii Ecclesiastici cum lacticiniis, Vovens, Confessarius, Pontifex nisi expresè ad aliud strictiùs obligent; judicantur solùm obligari ad Jeinunium more Ecclesiastico, cuius essentia, ut dictum est, lacticinia non excludit. Ita Diana *loco cit. ref.*

4. & 5. Bardi *Bulla Cruciatæ p. 2. tr. 2. c. 3. sect. 10.*

In Quadragesima.

10. NOn defuerunt olim, qui etiam in Quadragesima lacticinia concedere voluerint inducti ab illis rationibus, quas diximus n. 5. facere pro jeiuniis extra Quadragesimam. Hodie verò hæc sententia prohibita est, eiúsque praxis in virtute Sanctæ Obedientiæ interdicta. Nam inter cæteras propositiones, quas damnavit Decretum SS. Alexandri VII. Anno 1665. & 1666. invenitur hæc *num. 32.*

(*Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*)

Quare si per SS. Pontificem est evidens, quòd hæc consuetudo obliget, nemo de illa dubitare, ampliùs jam poterit.

11. Quæres: hæc prohibitio intelligiturne etiam de Dominicis dictæ Quadragesimæ?

Respondeo, etiam; nam etiam illæ sunt in quadragesima; vox enim quadragesima in jure, & in usu item communi loquendi non significat solùm quadraginta dies Jeiuniorum, sed totum decursum dierum à feria IV. Cinerum usque ad Sabbatum Sanctum inclusivè.

12. Illud hìc non est omittendum, si quis in Quadragesima sine necessitate, vel sine dispensatione (qualis certè est illa, quam concedit Bulla Cruciatæ, de qua mox) comedit lacticinia, peccare quidem mortaliter contra præceptum, jam explicatum à prædicto SS. Alexandro VII. sed tamen sic observare Jejunium Quadragesimæ; siquidem, ut modò dictum est, constat cum lacticiniis Ecclesiasticum Jejunium, ut benè notat Leander *tract. 5. disp. 3. quæst. 14.* secus, qui semel comederet lacticinia in die Jejunii, non obligaretur illo die amplius jeiunare, quod nemo dixit, ut patet in habente prædictam Bullam; qui quamvis comedat lacticinia, tamen jeiunare omninò tenetur. Non sic, qui carnes, vel semel, comedit; nam cùm carnium comestio, ut supra vidimus, destruat Jejunii essentiam, is comedens carnes *factus* jam ineptus ad essentiam Jejunii, illud servare eo die amplius non potest; unde nec tenetur, sed solùm obligabitur ad abstinentiam iteratæ carnium comestionis, ut supra etiam explicatum est satis.

An in jejuniis Quadragesimæ comedi possint biscocti, ex ovis immixtis confecti?

13. QVæstio non est, si valde paucos biscoctos ejusmodi tunc comedas; eo enim casu ex parvitate materiæ à peccato mortali excusaberis: quæ autem sit hæc parvitas materiæ in ovis, & lacticiniis infra, Deo dante, decernemus. Et rursus non est quæstio de pane, quem appellamus Hispanum, vel de similibus biscoctis, in quibus magna pars ovorum, & lacticiniorum invenitur; tunc enim manducarentur ova, & lacticinia in magna quantitate, & consequenter mortaliter peccaretur. Quæstio igitur est, an de biscoctis, in quibus, ut solet fieri, modica ovorum, vel butiri, vel similis

pars,

pari, ut dictum est, immiscetur, possit tunc in magna quantitate sumi.

14. Non posse, contendit Leand. *disp. 5. cit.* quia tunc sumerentur ova, & lacticinia in quantitate notabili; si enim unum ovum conflat, ut fertur, decem biscoctos, qui viginti comederet, sanè duo ova comederet; at quis dicet, comedentem duo ova in Jejunio, ova excludente, non ire contra præceptum de ovis non comedendis?

15. Posse, docet Pasqualigus *dec. 83.* quia tametsi, ait, in tanta quantitate ovorum seorsim sumpta comedere, illa non liceret in dictis diebus; immixta tamen, & dispersa ea quantitas in huiusmodi biscoctis, est ita absorpta in substantia panis, ut non censeatur moraliter comedere ova is, qui panem illum biscoctum comedit.

16. Ego censeo, tunc solùm in magna quantitate hos biscoctos immixtis ovis confectos licitè comedi posse in dictis diebus vetitis, quando in singulis biscoctis adeò est parva ovi, vel butyri substantia, ut ipsa coctione veluti evanescat ovi, vel butyri substantia. Nam secus, quinam negare poterit, multa pauca facere posse unum satis, & ita te verè in stomacho notabilem quantitatem ovorum habere, atq; ab illis commodè nutriri?

Quid concedat Bulla Cruciatæ quoad carnes, & lacticinia in diebus vetitis?

17. VErba prædictæ Bullæ hæc sunt. *Item, ut durante dicto anno intra ipsa Hispaniarum Regna, & non extra, carnibus de consilio utriusque medici temporibus jejuniorum totius anni, etiam Quadragesimalium vesci, ac pro eorum libitu ovis, & lacticiniis. Itaq; qui carnes comederint, servata in cæteris jejunij Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur.*

Excipiuntur ab indulto vescendi ovis & lacticiniis quoad Quadragesimalia jejunia tantùm Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Superiores, vel inferiores Prælati, & qualibet persona regularis, & ex sæcularibus illi, qui in Præsbyteratus ordine constituti sunt, nisi hi fuerint sexagenarij.

Hactenus Clausula Bullæ.

18. Circa hæc inquires quartò: hoc privilegio, tum quoad carnes, tum quoad lacticinia, possúntne habentes Bullam uti extra Regnum Siciliæ, seu extra illa regna Regis Hispaniæ, in quibus promulgatur Bulla?

19. Respondeo. Non posse, quia nimis id clarè patet in Bullæ tenore, ibi (*intra ipsa Hispaniæ Regis Regna, & non extra.*) Quare si tu habens Bullam Panormi, te conferas Neapolim e. gr. ibi hoc privilegio, vescendi prohibitis, frui non potes: potes autem, si eas in quamlibet Siciliæ partem, ut etiamsi adeas in Hispaniam, aliáque Regna Regis Hispaniæ, in quibus Bullæ promulgatio conceditur.

20. Inquires quintò: qua ratione intelligendum sit illud privilegium de comedendis carnibus?

Respondeo. Id explicabitur, respondendo tribus dubitationibus, quæ hac in re fieri possunt.

21. Dubitatur enim primò, quid emolumenti afferat hoc privilegium, quan-

quandoquidem requirat consilium utriusque Medici, id est, Confessarij, & Medici temporalis? Nam vel certus sum, me ob infirmitatem gravem posse comedere carnes, & tunc licitè possum illis vesci sine illius consilio. Quòd si sim incertus, & Medicus solùm corporalis declaret, me carnibus indigere, etiam possum liberè, ut ex se patet; vel sum certus, vel certus reddor à Medico, me non indigere carnibus, & tunc nullo modo illis licitè vesci possum; vel denique sum in dubio, & dubius est Medicus de mea indigentia; & tunc probabile putant nonnulli, ut alibi nos diximus, me posse iis vesci, ne scilicet in periculum certum gravis morbi dilabar, quo periculo stante (ut quando est dubia mea indigentia, periculum semper stat) certè non obligor, ajunt hi, ad abstinendum à carnibus. Quid ergo emolumenti affert Bulla?

22. Respondeo. Emolumentum esse, quia est alia sententia, & quidem communior docens in prædicto dubio esse obediendum præcepto; præceptum enim abstinendi à carnibus dicitur est certum; excusatio autem; ut hìc supponimus, est dubia, unde prævalere debet certitudo præcepti: ideo Pontifex, sequentibus, ne scrupulis sit locus, concedit per Bullam ejusmodi comestionem. Adde & aliud emolumentum, ut habet Ludovicus à Cruce *de Bulla disp.* 1. *cap.* 5. *dub.* 10. nam Pontifex habenti Bullam concedit, ut qui in reliquis formam jejunii servet, hoc est, si semel tantùm plenè comedat, censeatur implere præceptum jejunandi, & sic consequenter jejunii meritum, quod certè est magnum privilegium.

23. Dubitatur secundò, quid intelligatur nomine utriusque Medici?

Respondeo. Quoad primum intelligi quemlibet Confessarium, etiamsi non sit tuus, quia etiam is medicus spiritualis est, & quia in foro conscientiæ omnes Confessarij reputantur, ut unum quid. Ita Gallegus *cap.* 6. *de Bulla dub.* 45. addens, satis esse, si id consilium detur extra confessionem; non enim Bulla Confessionem actualem hic requirit; immò idem docet, satis esse quemlibet Sacerdotem, quamvis non approbatum ab Ordinario ad Confessiones suscipiendas, quia etiam hic potest absolvere à venialibus, & absolutè dici potest Confessarius; quidquid in oppositum dicat Mendo *in appendice Bullæ disp.* 2. *c.* 8.

Quoad secundum difficultas est, utrum sicuti certum est, Doctorem in medicina sufficientem esse, ita quemlibet, nec Doctorem, nec scientiam medicinæ profitentem, sed hominem, ut etiam mulierem in medicandis ægrotis expertum?

Respondeo. Sufficere, quia nomine medici non intelligitur ad litteram, qui doctoratus laureâ est insignitus; nam si est Doctor, sed tamen mihi constaret, esse inexpertum, non sufficeret, esset enim directè contra mentem Pontificis. Intelligitur ergo, qui est peritus, unde rectè de hac re dixit Henriquez *lib.* 6. *cap.* 13. *si modò medicus, aut expertus vir explicet subesse causam.*

24. Du-

24. Dubitatur tertiò, an hoc privilegium valeat non modò pro diebus Jejuniorum (ut loquitur Bulla Latina) verùm etiam pro diebus totius anni, quando non est Jejunium? nempe pro diebus feriæ sextæ, & sabbati (ut habet Bulla Italica.)

Respondeo. Etiam pro diebus totius anni, propter rationem ductam à potestate Commissarii potentis Bullam declarare, qui signatè id in Bulla Italica declarare profitetur. Addè illud Bullæ Latinæ, (*Pro diebus Jejuniorum*) legitimè posse extendi ad dies feriæ sextæ, & sabbati, quia à Sacris Canonibus hi dies vocantur etiam dies Jejunii, licèt non tàm rigorosi, ut sunt quadragesimales.

25. Dubitatur quartò. An dispensatus ad carnes, modò dicto, per Bullam, possit pluries in eodem die carnes comendere?

Respondeo. Esse valdè probabile posse, si Confessarius, & Medicus non restringant licentiam, illas comedendi, id quod universaliter dixi *supra cap. 3. n. 21.*

26. Inquires sextò: pro quibusnam temporibus datur hoc privilegium Bullæ comedendi lacticinia?

27. Respondeo dari primò, pro feriis sextis, & sabbatis cujuscumque hebdomadæ, secundò, pro vigiliis, & quatuor Temporibus, tertiò pro Quadragesima.

Et quidem pro Quadragesima, hoc clarè est privilegium, quia tunc sine Bulla esset à lacticiniis abstinendum: in cæteris autem diebus anni est privilegium pro locis illis, ubi fortè legitima est consuetudo non comedendi tunc lacticinia: immo etiam in alijs locis, ubi est consuetudo tunc comedendi lacticinia, est etiam privilegium; nam per illud sedantur saltem conscientiæ timoratorum.

28. Dubitatur hìc quintò, an qui habet Bullam, possit vesci lacticiniis in jejuniis ex voto, & Pœnitentia Sacramentali, & ex Jubilæo.

29. Respondeo affirmativè, nam si est probabile, ut supra diximus, te illis satisfacere sine Bulla, quando aliud expressum non fuit; multò magis cum illâ; si tamen pati modò aliud expressum non fuit à vovente, à Confessario, à Pontifice: nam si fuit aliud strictiùs expressum, ad illud non se extendit Bulla, quæ solùm dispensat in jure communi.

30. Dubitatur sextò: Minor viginti uno anno, qui non jejunat in die e. g. Quadragesimæ, potestne tunc lacticinia cum Bulla comedere? Idem quæritur de alijs non obligatis ad jejunium.

Respondeo, posse, quia privilegium hoc, quoad lacticinia, est absolutè concessum, & quidem ad libitum, nec restrictum ad conditionem jejunandi.

Exceptiones ab hoc Privilegio.

31. Inquires septimò: Qua ratione intelligenda est illa exceptio (*excipiuntur Patriarchæ, &c.*)

32. Respondeo sic intelligendam esse, ut primò, Prælati omnes. Secundò, quævis persona Regularis. Tertiò, omnes Præsbyteri Sæculares, nisi hi

bi fuerint sexagenarij, non possint cum hac Bulla vesci lacticiniis in diebus Quadragesimalibus.

Dico (in diebus Quadragesimalibus) nam certè possunt in sextis feriis, & sabbatis, in jejuniis vigiliarum, & quatuor Temporum, quæ non incidunt in Quadragesimam. Ratio est, quia Bulla solùm Quadragesimæ jejunia excipit.

Jam verò aliquid delibemus de singulis prædictis Classibus.

33. Quoad Prælatos scito, eos esse primò, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos. Secundò, alios Prælatos inferiores, ut Abbates, Generales Religionum, Provinciales, Superiores locales, Ordinarios; hi enim omnes sunt Prælati habentes, ut supponimus Jurisdictionem ordinariam, eamque spiritualem. Hi igitur omnes non possunt frui hac Bulla communi pro privilegio vescendi lacticiniis. Consultò dixi (hac Bulla communi) nam per aliam poterunt ii, quos paulò post exponemus.

34. Nota autem inter Episcopos non includi Episcopos solùm electos, sed nondum confirmatos à Pontifice, nam hi verè nondum sunt Episcopi.

35. Sed dubitatur, quid, si sit confirmatus, sed nondum consecratus?

Respondeo, excludi, quia verè tunc acquisivit potestatem Episcopalem exercendi jurisdictionem temporalem, & spiritualem, unde potest censuras ferre, approbare Confessarios, aliquas indulgentias concedere, &c. Dico (*potest*) nam cæterum, ut illam actu exerceat, debet accepisse possessionem Episcopatus; id quod rectè notat Azorius, *part. 2. lib. 3. quæst. 9. ex cap. injuncta de electione in extravagant. communi.*

36. Quoad personas regulares, scito, eos esse illos omnes, qui professionem Religiosam emiserunt per tria vota; Hinc excluduntur ab hoc indulto Religiosi, etiam Laici, etiam Moniales, etiam Conversæ, etiam Scholares, ex votis bienniis Soc. Jesu, quia omnes sunt verè Religiosi. Contra non excluduntur Novitii, vel Tertiariæ (*Moche di Casa*) nec Tertiarii, nec pari Eremitæ, nec Scholares Societat. vel Societatis Jesu, si fuerint legitimè dimissi; quia omnes hi non sunt verè Religiosi, ut notat Trullench. *lib. 1. quæst. 4. dub. 5.* aliique.

37. Dubitatur hic primò, de Religiosis Ordinum Militarium.

Respondeo, hos includi à Bulla quoad hoc privilegium vescendi lacticiniis, nam non solùm Equites S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, aliique similes, de quibus est controversia, an sint Religiosi; verùm etiam Equites Hierosolymitani, quos Militantes appellamus, hoc Privilegium vescendi lacticiniis participant, si Bullam legitimè sumant, ut patet in Summario Bullæ vulgari, quod Fidelibus distribuitur.

38. Dubitatur secundò an Sacerdotes horum Ordinum Militarium includantur in hoc privilegio? Ratio dubitandi est, quia Pontifex paulo post excludit ab hoc privilegio omnes Sacerdotes, unde videtur excludere etiam hos Sacerdotes Militares, & ex alia parte idem Pontifex includit in hoc privilegio omnes Militares; at hi, quam-

vis

vis Sacerdotes, ex Ordine Militari sunt ergo &c.

39. Respondeo certare hac in re Bardi, & Mendo locis citatis; & Bardi quidem illos excludit, quia sunt Sacerdotes; Mendo autem includit, quia sunt Militares. Componamus nos breviter litem, affirmando utramque sententiam esse probabilem, quia utraque expositio probabiliter cadit in verba Pontificis.

40. Quoad Præsbyteros Sæculares, scito, solùm intelligi Sacerdotii gradu fulgentes, hi enim nequeunt hac uti Bulla quoad prædictum Privilegium, comedendi lacticinia in Quadragesima. Quare poterunt ea comedere cum Bulla Clerici Minores, Subdiaconi, ac Diaconi, si Religiosi non sint.

41. Sed circa hoc dubitatur primo. Cum in tenore Bullæ dicatur (*in jejuniis Quadragesimalibus non posse dictos Prælatos, & Regulares, & Sacerdotes, uti hoc privilegio*) dubitatur, inquam, an in diebus Quadragesimæ, in quibus non jejunatur, hoc est in Dominicis, possint hi cum Bulla licitè frui lacticiniis?

Respondeo. Concedit Mendo non solùm cum Bulla, sed etiam sine illa prædictos, immo Fideles omnes posse uti lacticiniis in Dominicis, prædictis. Quod posterius dictum, hoc est, sine Bulla, quam falsum sit, ostendit Diana *part. 10. tract. 11. resol. 46.* præsertim ex eo, quod Sacra Congregatio Sancti Officii, & Congregatio Indicis Romæ mandavit, ut hæc opinio deleretur è quodam libro.

At quod priùs dictum est, id est cum Bulla, puto illud esse probabile; hoc est, cum Bulla posse prædictos omnes Prælatos, & Regulares, & Sacerdotes diebus Dominicis Quadragesimæ vesci lacticiniis. Ita sustinet Trullench, Ludovicus à Cruce, Diana, & Bardi *part. 3. tractat. 33. sect. 7.* eos, aliosque citans. Puto tamen esse aliquo modo etiam probabile, non posse, ut tenet Henriquez, Rodriquez aliique apud eundem.

Ratio quòd sit probabile, cum hac Bulla posse prædictos Prælatos, & Regulares, & Sacerdotes comedere lacticinia in Dominicis Quadragesimæ est, quia Bulla Latina Gregorij XIII. expressè dicit, posse comedi lacticinia cum Bulla in omnibus temporibus, & jejuniis extra Quadragesimalia jejunia tantùm. Sublumo; sed Dominicæ non sunt jejunia Quadragesimalia, tunc enim non jejunatur ergo &c. Ratio verò, quòd si probabile, non posse, est; quia in Bulla vulgari translata ex latino dicitur, prædictos non posse cum Bulla comedere lacticinia quo ad dies Quadragesimales. Subsumo, sed Dominicæ prædictæ, licet non sint jejunia, id est, non sint dies, in quibus jejunatur, sunt tamen dies Quadragesimæ ergo &c.

De sexagenarijs.

42. INquires octavò an prædicti Episcopi, Regulares, Præsbyterique seculares si sint Sexagenarij, possint lacticiniis frui cum hac Bulla communi? Inquires, inquam quinam sunt sexagenarii? An qui jam attigerunt sexage-

simum annum, nec dum compleverunt? An qui jam compleverunt? Clariùs: annus sexagenarius ad hunc effectum debetne esse completus? An satis incompletus, seu inchoatus.

43. Respondeo, ego, quamvis sciam ex Doctoribus citatis aliquos requirere completum, aliquos esse contentos incæpto, puto tamen cum his posterioribus, satis esse incæptum, atque adeò sufficicere, si quis attigerit annum 60. etiam per unum diem. Ita Jo. Sanchez *disp. 54. num. 11.* & Trullench, *lib. 3. in Decalog. cap. 2. dub. 4. num. 3.* non autem me movent rationes, quæ ab aliquibus afferuntur; respondere enim illis, facilè quis potest; sed satis sint ipsa verba Pontificis; non enim Pontifex in nostra Bulla utitur illo modo loquendi (*Concedo hoc privilegium illis, qui sexaginta annos habent*) qui modus loquendi variè in alterutram partem explicari posset, sed dicit (*concedo hoc privilegium illis, qui sunt sexagenarij;*) at qui attigit 60. annos, licet non compleverit, dicitur, & est sexagenarius, ut etiam pari modo dicuntur octogenarii, centenarii etiam ii, qui octoginta, centum attigerunt; sexagenarius enim propriè, & latinè dicitur ille, qui agit sexaginta annos, non verò, qui jam egit, illosque complevit. Hæc est mea ratio. Adde, credibile valdè esse, Pontificem voluisse indulgere prædictis, atque hoc privilegium concedere, quando ex recepta jam consuetudine ij non obligantur ampliùs ad jejunium Ecclesiasticum; sed jam ex probabilissima opinione apud citatos, & apud Leandrum *de Præceptis Ecclesiæ tract. 5. disp. 8. sect. 17.* hi sunt illi, qui solùm attigerunt sexagesimum annum; ergo &c.

De Privilegio edendi lacticinia concesso prædictis Prælatis &c. ab Urbano VIII.

44. URbanus VIII. Episcopis, & Præsbyteris sæcularibus, qui sunt exclusi ab indulto lacticiniorum per Bullam communem, illud concessit iisdem (non verò Religiosis) in hunc tenorem.

Venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis, nec non Præsbyteris Sæcularibus dumtaxat, ut Quadragesimali tempore (hebdomada tamen majore excepta) ovis similiter, ac lacticiniis pro eorum libitu uti, & vesci indulgemus, data eleemosyna per Commissarium Generalem taxanda.

45. Dubitatur autem hic primò quantanam eleemosyna eroganda est pro hac Bulla?

Respondeo, & quidè antea recolendum est, Realem esse unum tarenum nostræ monetæ Siciliæ grana quatuor, & ejusdem grani partem quartam. Hoc igitur posito, Commissarius Generalis sequentem taxam constituit.

Pro Episcopis &c. & Abbatibus vult largiendos esse Reales viginti quatuor.

Pro dignitatibus Canonicalibus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum Reales octo.

Pro illis, qui gaudent portionibus, vel portionum medietatibus, & pro beneficiariis curam habentibus animarum, vel non habentibus, quorum

rum redditus annuus sit trecentorum Reales sex.

Pro habentibus beneficium, Cappellaniam, vel portionem, quorum redditus annuus, non minus sit, quam scutorum ducentorum, Reales quatuor.

Pro Clericis; & Præsbyteris Sæcularibus Reales duos.

46. Dubitatur secundò: Virtute hujus Bullæ, quam quis hìc recipit, utine potest lacticiniis extra Regnum?

Respondeo nequaquam; nam hæc Bulla, cum sit extensio prioris, seu communis Bullæ, intelligitur cum eadem limitatione, qua illa est.

47. Dubitatur tertiò: Quando hìc excipitur hebdomada major, excipiturne Dominica Palmarum?

Respondeo: excipi, unde ex vi hujus parvæ Bullæ non possunt prædicti lacticiniis vesci ea Dominica. Nam cùm quælibet hebdomada constet septem diebus, manifestum est Dominicam includi in hebdomada. Dixi (ex vi hujus parvæ Bullæ) nam quia probabile est cum Bulla communi licitè posse comedi lacticinia à prædictis personis in Dominicis Quadragesimæ, ut supra diximus, ideò qui ex dictis personis illam communem habet, poterit ex vi illius Bullæ ea comedere in dicta Dominica Palmarum. Ita Gallegus *Clausula 6. dub. 53. de Bulla Cruciatæ*, & Trullench *in appendice num.* 12.

48. Dubitatur quartò: De quorum bonorum redditu intelligitur, quando in taxa bonorum annuorum fit mentio?

Respondeo. Bonorum Ecclesiasticorum, hoc est, bonorum, quæ quis habet ab Ecclesia, seu ratione beneficii Ecclesiastici, deductis oneribus, quæ fortè sint in illo beneficio. Quare si quis habeat bona Patrimonialia, vel propriâ industriâ conquisita, quantumvis pinguia, si tamen id, quod habet ratione beneficii, portionis, pensionis, &c. non accedat ad redditum annuum in prædicta taxa definitum, eam maiorem eleemosynam dare pro hac parva Bulla non obligabitur, ut notat Gallegus *ibid. dub. 56.* & Trullech *ibid. n. 13.*

49. Dubitatur quintò: Si Episcopi, Abbates, ut item Dignitates Canonicales, pro quibus non fit mentio quantitatis bonorum Ecclesiasticorum, pauca habeant, hoc est, habeant bona Ecclesiastica non pertingentia ad annuum redditum scutorum trecentorum, obliganturne taxa viginti quatuor, vel octo Realium contribuere pro hac Bulla?

Respondeo. Obligari, quia dum Commissarius taxavit pro his eleemosynam, non respexit ad redditus, sed solùm ad dignitatem. Ita tenet Trullench in expositione hujus Bullæ parvæ *num. 14.* Addit Gallegus *l. cap. cit. Clausula 6. dub. 57.* hos obligari ad prædictam taxam, etiamsi nihil habeant.

50. Dubitatur sextò: Coadjutor, e. g. Canonici, vel cujuscunque beneficiarii venitne nomine Canonici, vel beneficiarii, ita ut debeat dare eleemosynam constitutam pro illis, quorum est Coadjutor?

51. Respondeo. Nequaquam, quia Coadjutor non est verè Canonicus, vel Beneficiarius, habet enim solùm jus ad rem, non in re, ut notat Trullench *loc. cit. num. ult.* Legite id latius apud Gallegum *ibid. dub. 58.* qui id confirmat ex Suario docente Coadjutorem, vivente Proprietario, non esse Canonicum, licet habeat locum in Stallo, & vocem in Capitulo, absente Proprietario.

52. Dubitatur septimò: an qui vult frui indulto huius Bullæ lacticiniorum, debeat etiam sumere Bullam Communem?

Respondeo. Nequaquam, quia, ut notat Bardi *p. 2. de Bulla Cruciatæ tr. 3. cap. 2. sect. 8. n. 131.* id non requirit tenor huius Bullæ. Et meritò; hæc enim non dependet necessariò ab illa communi, sed est nova declaratio, seu potius nova extensio, novúmque privilegium.

53. Dubitatur octavò. Quando dicemus infra in communi Bulla debere scribi nomen eius, qui illam sumit, eámque debere apud se retinere eo modo, quo dicetur in explicatione dictæ Bullæ, idne etiam est necessarium in hac parva?

Respondeo. Non esse simpliciter necessarium, docet Trullench *loco cit. num. 8.* quia id in hac Bulla, nec ab ipsa, nec ab ejus declaratore Commissario requiritur.

CAPUT V.

De unica Jejunij refectione?

1. VNicam plenam refectionem ex cibis non vetitis esse de substantia Jejunii, res est nimis apud Fideles vulgata; sed circa illam plures sese offerunt difficultates enodandæ, quas jam percurro.

2. Inquires primò, an sicuti, qui secundam plenam refectionem assumit, violat substantiam Jejunii, ita qui tertiam, quartam, &c. eodem die assumit? Respondeo, de hoc *supra cap. 3. num. 29.* per occasionem dixi.

Per Potum an violetur Jejunium?

3. INquires secundò: an sicuti cibum modo dicto solùm semel sumere licet, idem dicendum sit de potu?

Respondeo. Non ita: unicam enim refectionem cum vespertino ientaculo præcipit lex Jejunii, non verò unicam, vel determinatas potiones. Quapropter poterit quis sæpe in die Jejunii bibere aquam, vinum, mustum, cervisiam, aquam distillatam ex herbis, vel floribus, qualis est aqua ex rosis, ex buglossa, & cicoria, &c. vel ex eodem vino, quam aquam vitem appellamus. Ratio est, quia hæc sunt verè potus, Potus autem in Jejunio non prohibetur à pia Matre Ecclesia, quia ex eius prohibitione nimis aggravaretur onus jejunandi.

4. Dices, ergo etiámne vinum in die Jeiunii multoties bibam impunè? Quid

Quid si illud bibam ex intentione reficiendi mihi vires?

5. Respondeo. S. Thomam, altósque multos, quos citat, sequitúrque Thomas Hurtadus *in disp. de Cocolata*, putare, jejunium omninò violari, si vinum bibatur ad finem reficiendi vires: sed certè probabilius est, etiam sic jejunium non frangi. Id quod docent multò plures, Navarrus, Vega, uterque Sanchez, Fagundez, Diana, aliique, quos citat, sequitúrque Pasqualigus *decis. 116.* quia cùm non prohibeatur ab Ecclesia potus in Jejunio, nec prohibetur effectus illius, qui est vires reficere, ac nutrire. Nihil autem obstat, quò tu illum vini potum assumas cum expressa intentione vires reficiendi, dummodo assumas illud, quod verè potus est; tunc enim non facis, aliquid in fraudem Jejunii, sed uteris jure tuo.

6. Esse autem verè potum, in eo consistit, ut adhibeatur id, quod inservit ad vehiculum cibi, seu alimenti, ut loquuntur Medici, & verè tale sit, quale sine dubio est vinum; & prædict. n. 3. Adde ex supra dictis, illud esse verum potum, quod communiter, ut potus à Fidelibus existimatur, & usurpatur.

7. Hinc non potest sumi lac, jus, aqua distillata ex gallina e. g. vel ex similibus; nam quamvis hæc materialiter potentur, non sunt tamen potus, sed cibi; nec sapa, acetum, mel, oleum, nec mala medica, cinia, punica, pira, uva, arundines mellitæ, quamvis solùm dictorum fructuum succum deglutias, cæterásque partes ab ore projicias; hæc enim omnia, tum ex sua natura, tum in usurpatione hominum cibi sunt, non potus. An autem hæc in parva quantitate sumi sine mortali possint ex infra dicendis *à num.* 30. colligetur.

8. Hinc contra sumi potest in die Jejunii aqua Sacchato, gelsiminis, aniso, citris, aliisque aromatibus condita, quia hæc, ut hodie usurpantur, potus naturam non transcendunt: Quòd si id negavit Sanchez, *lib. 3. consil. c. 3. dub. 23. n. 3.* ideo fortasse negavit, quia loqui intendebat in eo casu, quo magna quantitas substantialis cibi in ea commisceatur, non verò quando modica ad temperandam aquam, ne sola, noceat, sicuti in nostra ætate est consuetus mos, ejusmodi temperamenta miscendi.

Cocolata.

9. Hinc denique insurgit celebris quæstio de Cocolata. Tota autem controversia definiri posset ex duobus capitibus.

Primum caput est. An ex eo, quòd in confectione Cocolatæ parvitas cibi adhibeatur, inde constet, etiam in Jejunio adhibere, non esse mortale? Secundum est, (abstrahendo à parvitate materiæ) an Cocolata eo modo, quo hodie in Hispania, & Romæ est in usu communi, sit verè potus, & consequenter nullo modo violet Jejunium? Dixi (*eo modo, quo hodie est in communi usu*) nam si multam cibi substantiam e. g. ova, trita biscocta, vel quid simile admisceas, tunc non esse potum, Jejunium-

juniúmque per illam violari, vel indocti non ignorant.

Jam, quoad primum caput, dico, certum esse ex parvitate materiæ posse excusari à mortali; sed de facto, an hodie ea parvitas adsit, nec ne? variant Doctores: Antonius de Leone *in quæst. moral. de Cocolata*, ait, dimidium unciæ Cocolatæ, posse in hac potione misceri tanquam parvitatem materiæ. De unciis Romanis, seu Mercatorii, seu, (ut Siculi loquimur) *alla sottille*, est locutio, ut iterum dicam *num. 31.* Leander autem *tract. 5. disp. 5. de præceptis Eccl. quæst. 5.* concedit aliquid parum Sacchari, ita, ut tota Cocolatæ potio præter aquam possit ascendere ad uncias duas. Pasqualigus *decis. 141.* solùm concedit sine mortali octavam partem unciæ substantiæ Cocolatæ, aut ad summum sextam unciæ partem. Vides igitur præter peccatum veniale timeri quoad primum hoc caput (si tantisper excedas) timeri, in quam, posse mortale? Vides item, solùm semel, præsertim in prædicta sententia Leandri, posse ejusmodi potionem sine mortali in diebus Jejunii assumi? si enim pluries, jam non esset parvitas materiæ. Salvare igitur licitum usum Cocolatæ pro die Jejunij ex primo hoc capite vix possumus.

11. Quoad secundum ergo caput, an scilicet Cocolata sit verus potus, Jejunium non violans, sicuti non violant cæteri veri potus? Dico, esse item diversitatem sententiarum, dicentibus aliis, esse verum potum, aliis omninò negantibus.

Et certè ego ex rationibus intrinsecis puto, cibum eam esse, non potum. Ratio est, quia essentia potus, ut modò insinuavi ex Medicorum sententia, consistit in eo, quòd sit vehiculum cibi, seu alimenti, non verò alimentum; at Cocolata alimentum est, potenter reficiens, maximè nutriens, nec assumitur ad sedandam sitim, ergo, &c.

12. Dixi tamen (*ex rationibus intrinsecis*), nam video timoratos, doctósque viros eâ uti in Jejunio sine scrupulo, addentes, ipsos putare, illam verum esse potum, quia, ut potus ab ipso initio eius inventionis assumptus est, & à consuetudine approbatus, nolo hanc sententiam, ut improbabilem, condemnare. Legite Thomam Hurtadum *part. 2. resolut. moral. tract. 11.* ubi acriter eam defendit; & Lezanam *Consulto 48.* pari conatu condemnantem; quos nihilominus Diana *part. 11. tract. 6. resol. 33.* in concordiam adducere conatur.

Varia de Potu.

13. Hic denique ubi agimus de potu, habe ad complementum tractationis quinque sequentia.

Primò potest quis licitè, quoties in die Jejunii bibit, aliquid cibi sumere in ea quantitate, quam mox n. 17. assignabimus, ne scilicet potus noceat. Cùm enim Ecclesia concedat potum, concedit etiam, quidquid necessarium est, ne potus noceat.

14. Secundò notanter dictum est, (*ne potus noceat*). si enim quis bibere vellet, non ob sitim sedandam, nec, ne potus

potus noceat, sed ut parum illud cibi sumeret, illicitè sumeret.

15. Tertiò hoc parum cibi, quod tum sumi potest, poterit esse cujuscumque generis ciborum Quadragesimalium, sive panis, sive fructus, sive quid simile.

16. Quartò. Quando quis per diem bibit, nec illi nocet potus, nihil cibi sumendo, non potest cibum illum, quamvis parum, sumere; quia is ideò conceditur, ne potus noceat; at nunc supponimus, potum nequaquam nocere: ergo &c. Lege de his Fagundez, Leandrum, Pasqualigum, Azor. Bonacina supra citatos.

17. Quintò quantanam est cibi parvitas, quæ, ne potus noceat, licitè sumi potest?

Dico (ne potus noceat) nam mox *num.* 30. dicetur de parvitate cibi, quæ sumpta in die Jejunii, abstrahendo à potu, non pertingit ad mortale.

Respondeo. Bonacina apud Leandrum *loc. cit. quæst.* 12. concedit duas castaneas, vel duas ficus, vel quid simile: Diana, & Fagundez apud eundem quinque, vel sex amigdalas saccharo confectas, vel quid simile: Ledesma duodecim confectos: Pasqualigus *dec. cit. 119.* quantitatem cibi infra unicam unciam, quia hæc quantitas videtur regulariter necessaria, & sufficiens, ut potui in stomacho commixta nocumentum impediat. Prædictus item Leander *loc. cit.* concedit quantitatem cibi infra dimidiam unicam; quia hæc sola ipsi videtur necessaria ad impediendum potus nocumentum. Profecto hæc Leander *loc. cit.* concedit quantitatem cibi infra dimidiam unciam; quia hæc sola ipsi videtur necessaria ad impediendum potus nocumentum. Profecto hæc Leandri sententia est cæteris præferenda. Semper autem est sermo de unciis Romanis, ut supra notavimus.

Protractio, seu continuatio refectionis an Jejunio officiat?

18. INquires tertiò, prædicta unica refectio plena quantonam tempore durare potest, uti sit unica, Jejunióque non noceat?

Respondeo: Quando quis in sua comestione quacumque ex causa insumit unam, vel alteram horam, servat Jejunium; dum enim continuat eandem refectionem intra dictum tempus, ea erit unica, & rectè unica denominabitur.

19. Sed quid si in aliquo solemni convivio eam quis protraheret in tempus valdè notabile, à meridie e. g. usq; ad vesperas, ut alicubi factum esse, semel audivimus?

Respondeo. Remigius cum Pasqualigo *decis.* 157. dicit; si id contingat in locis, ubi tandiù durare consuevit convivium, servari Jejunium; quia Ecclesia concedit unicam refectionem secundùm patriæ consuetudinem; sed displicet hæc decisio; nam Ecclesia unam refectionem concedit, non plures; illa autem tandiù durans multiplex æquivalenter est. Collige hoc ex eo, quod de illo, qui à meridie ad vesperam continuo comedit, nemo sanæ mentis dicet, eum jejunare, carnem macerare, nutritionem sibi subtrahere, inediam ali-

aliquam sustinere, Christi Domini Jejunium imitari, qui sunt fines ab Ecclesia intenti in præcepto Jejunii.

20. Dices, ex nostra sententia sequitur, quod qui immodicam comestionem sumeret, multumque se cibis infarcinaret, violaret Jejunium; quia ejusmodi refectio adeo liberalis æquivalet pluribus?

Respondeo: Ita sentiunt aliqui apud eundem Pasqualigum *decis. 120.* sed minùs rectè, ut idem cum Bonacina ibidem notat: Ecclesia enim præcipit, ut jejunetur sumendo unam refectionem integram ex cibis tunc concessis, nihil vero præcipit de mensura ciborum. Unica ergo refectio, quamvis superflua, unica refectio est. At una refectio durans per sex, vel plures horas, unica morali modo non est; esto sit physicè per continuationem.

Interruptio refectionis.

21. INquires quartò: Dictum est de protractione comestionis, quid de interruptione? Et quidem *supra cap. 3. à num. 6.* locuti sumus de interruptione; quando carnes in die Jejunii cum peccato comeduntur, in præsentia vero loquimur, quando comeduntur legalia, seu non vetita.

Respondeo: Vel interrumpi potest refectio sine causa, vel ex causa; si sine causa; puto, etiamsi te refeceris ad satietatem; posse te super addere ex cibis non vetitis id, quod tibi libuerit intra unum horæ quadrantem cum dimidio. Ratio est, quia sic videtur judicio morali non distrahi tuam unicam comestionem ad aliam secundam, quæ si longius tempus intercederet, sanè distraheretur ad secundam. Id autem purò verum, etiamsi animo destinaveris nil amplius comedere; quia mutare illum animum, non distrahit tuam unicam refectionem ad aliam, dummodo moralis unitas comestionis constet.

23. At ex causa major aliqua distantia temporis indulgenda est; nam si propter negotium aliquod interrumpat quis suam comestionem, quando nondum plena habita est refectio, huic concederem, posse ad refectionem complendam regredi ad mensam post horam; quia tunc necessitas illa in morali existimatione videtur sufficere ad eam moram concedendam. Ita Tho. Sanchez *lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 14. num. 1.* qui ex hac doctrina colligit, lectorem ad mensam immediatè ante lectionem aliquid comedere posse, ut item famulos, quando Domino comedendi inservire solent. Propter necessitatem enim legendi, vel inserviendi censentur tunc incipere suam refectionem, quam post unam circiter horam perfecturi sunt.

24. Simile quid licet Mercenariis, quid dum ad mensam sedent, vocantur ad vendendas merces; hæc enim propriæ artis, seu muneris proprii necessitas facit, ut illæ semiplenæ refectiones per moram unius horæ, plus, minúsve interruptæ, animo præsertim redeundi, unicam moraliter constituant. Duas horas concedit Joan. Sanchez; sed nimis hoc esse, meritò putat Escobar, *tract. 1. exam. 19. de Jejunio cap. 3.*

25. Hic duo casus facilè possunt occurrere. Primus, Titius non plenè refectus surgit à mensa ad negotium si-

bi

notabiliter necessarium, putans posse brevi ad mensam regredi, sed distractus à prolixitate negotij regredi nequit, nisi post multas horas, vel etiam usque ad vesperas; licebitne huic suam refectionem perficere?

26. Respondeo, cum distinctione; si enim magna causa fuit, cur notabilem partem tamdiù distulerit, licebit illam etiam vespere perficere; id concedente benignitate Ecclesiæ, quæ te non urget ad diem totum sine integra refectione transigendum, quando ex tanta causa eam distulisti; si verò non fuit magna causa, tibi imputetur, quòd propter causam levem non perfectè suo tempore comederis. Idem dic, si ante negotium comederis mediocriter, & (quamvis ex gravi causa) parum refectionis omiseris, tunc enim est perinde, ac si perfectè fueris refectus, parum enim pro nihilo reputatur: quare vesperi solùm ordinarium jentaculum tibi concedetur.

27. Quando autem sit causa gravis, vel levis, & quando refectio sit perfecta, vel imperfecta arbitrio prudentis viri, consideratis viribus personæ, qualitate negotii, temporis distantia, decerni debet; certa enim, & universalis regula dari non potest; nam in quacumque materia, quandonam reputanda illa sit levis, vel gravis, ut excuset à veniali, vel mortali, semper recurrendum est ad judicium, seu arbitrium prudentis viri, omnibus consideratis circumstantiis, ut universaliter docet Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap 4. num. 22.* & Castrop. *tom. 1. tractat. 2. disp. 2. p. 7. n. 2. & 4.*

28. Secundus casus. Cajus ob leve negotium transtulit dictam perfectam refectionem ad vesperas; vespere autem se valdè debilem sentit, peccabitne, si plenè comedat?

Respondeo in hoc casu peccavit Cajus, dum sine notabili causa differecavit suam refectionem cum animo aliam plenæ refectionis partem sumendi subnoctem (nisi forte inculpabilis inadvertentia ipsum excusaverit) sed non peccabit, si serò comedat, quando (ut supponis) ita viribus destituitur, ut vere cibo indigeat.

Qualisnam cibi parvitas ex quadragesimalibus intra diem Jejunij assumpta (præter jentaculum vespertinum) violat, vel non violat Jejunium?

30. INquires quintò: omnisque refectio in die Jejunij assumpta illud violat? an potiùs concedendum sit dari etiam in materia Jejunii parvitatem materiæ.

Respondeo. Dari etiam hic parvitatem materiæ, omnes Theologi affirmant; sed difficultas versatur in decernendo, quantanam illa sit. Breviter ajo, esse jam multorum hodie probabilem sententiam comedentem ex cibis quadragesimalibus duas uncias libræ Romanæ (hoc est, ut siculi loquimur) (*due onze alla sottille*) peccare quidem venialiter, sed non mortaliter, unde nec Jejunium frangeret. Ratio est, quia sic non lædituir gravis finis Jejunij, qui est maceratio corporis, ejúsque modica nutritio; sicut enim modicum quid surripere à proximo, quando illud

modicum non lædit proximum graviter, judicatur parva materia, ita in casu nostro. Soleo etiam ego, sic discurrere: qui duas horas laborat sine necessitate die festivo, excusatur probabiliter à multis Theologis à mortali, quia duæ horæ respectu viginti quatuor horarum diei judicatur tempus modicum: pari ergo modo duæ unciæ cibi Quadragesimalis respectu unciarum viginti quatuor, & fortasse triginta, ad quas ferè solet ascendere integra diei refectio, meritò judicabitur modica comestio. Nostram hanc sententiam docet Turrian. *part. 1. cap. 256. n. 2.*

31. Dixi primò (*peccare quidem venialiter*) nam parvitas materiæ tum hic, tum in similibus excusat quidem à mortali, sed non à veniali, cùm tunc fiat etiam contra præceptum, licet leviter, seu in re levi; à quo tamen veniali, quando adest aliqua rationabilis causa, te etiam liberari, docemus omnes.

Dixi secundò (*ex cibis Quadragesimalibus*) nam ex carne, vel lacticiniis mox subdam *à num. 34*

32. Ex dictis, ut notat Diana *p. 5. tr. 5. res. 11.* sequitur, quòd jejunans possit sine mortali primo mane sumere duas uncias cibi Quadragesimalis, & semel bibere, ac postea hora consueta integram refectionem sub meridiem sumere, consuetúmque ientaculum addere sub noctem. Non evitabit tamen veniale, si rationabilis causa non adsit, ut constat ex dictis.

33. Quæsitum hìc olim fuit, an arundines mellitæ, quæ tam frequenter suguntur in nostro Siciliæ Regno, Jejunium dissolvant? Et dissolvere quidem, si in magna quantitate sugantur, conveniunt nostrates Theologi; est enim ille succus maximè nutritivus, alitque non modicè, cùm sit ipsa saccari mera substantia. Sed illud audivi, P. Bernardinum Picinum, Virum valde pium, & doctum, cùm casus ad conscientiam pertinentes explicaret, Panormi, docuisse, duarum ex his arundinibus trajectum succum esse, contra Jejunium materiæ dumtaxat parvitatem. Ratio esse potest, quia humor sive ex parvis, sive ex magnis cannis hisce in stomachum deglutitus vix ad duas uncias pertingere, ab illo judicatum est.

Nihilominus ego per amicum pharmacopolam curavi, ut expenderetur succus unius arundinis mellitæ communioris magnitudinis, & inventus est ponderare circiter uncias duas Romanas cum dimidia. Quare corrigendum judico id, quòd prædictus P. Bernardinus fertur docuisse, si docuit tamen, & quod ego dixi *lib. 4. Decal. c. 5. §. n. 14.*

Parvitas cibi ex carnibus, vel Lacticiniis.

34. SUbinquires; quænam censenda sit parvitas ex carnibus, vel lacticiniis, quæ in Jejunio assumpta, non pariat mortale peccatum.

Respondeo. Quoad carnes, Antonius de Leone *in q. de Consolata p. 3 n. 8.* ait, parvitatem materiæ in comedendis carnibus diebus vetitis solùm se extendere ad eam quantitatem, quam solent su-

sumere coqui ad prægustandos cibo-rum sapores.

Leander *tract. 5. disp. 2. q. 13.* extendit ad octavam partem unciæ Romanæ, hoc est ad mediam quartam.

Pasqualigus *decis. 42.* extendit ad dimidiam unciam.

Profectò primus nimis rigidè se habet, Tertius nimis benignè; dimidia enim carnis uncia valde reficit, finique Jejunii admodum adversatur; meritò ergo excipienda est Leandri sententia; octava enim unciæ pars non potest graviter nocere fini intento à præcepto Jejunii.

35. Dicebat quidem, se colligere ex sententia Pasqualigi (quam tamen nos modò approbare, nec voluimus, sed nec etiam potuimus) posse in die vetito sine mortali jecur gallinæ comedere integrum, sed perperam colligit. Nam ego expendi ad libram jecur mediocris gallinæ, & inveni crudum ponderare duas uncias, assatum, unam cum dimidia. Ergo unde tanta benignitas colligitur ex Pasqualigo?

36. Dicebat quidem alius Baussembaum in Medulla Theologica, unam, vel duas uncias carnis concedere. Certè infideliter id dicebat; nam hic Author id de cibis legalibus dicit, non de carnibus. Ecce ejus verba *lib. 3. tract. 6. cap 3. dub. 1. n. 3. Probabile satis est, ait Bonacina, si Coquus, aut ægroti Minister parum carnis prægustet, vel ex aliis cibis quartam tantùm partem collationis serotinæ, sive unam, sive duas uncias sumat; hanc enim esse parvitatem materiæ, docet Diana, &c.* Hæc prædictus Author.

37. Dixit denique alius, concedi ab Escobar unam unciam carnis, & hic etiam nimis infideliter adducitur; nam sic is habet in Summa Theologica-mor. *tract. 1. exam. 13. de Jejunio. Num hujusmodi parvitas in esu carnis excuset a lethali? Assero cum Tannero, eam non excusare, quatenus adversari professioni fidei existimatur, qui eo cibo uteretur die Jejunij, aut prohibitionis.* Hæc ille. Vides ergo cum hac scandali consideratione meritò negari ab Escobar quamlibet parvitatem in hac materia; sed si ab hac consideratione abstrahatur, nihil decernit, nec de illa, ut sic, aliquid habet.

38. Quoad ova idem puto; nam hæc multum sunt nutritiva, & à refectione per carnes non valde dissimilia; & ego, modo nuper prædicto, ponderandum curavi ovum mediocris magnitudinis deducto cortice, atque inveni tum crudum, tum assatum, tum frictum, pondus duarum unciarum semper attigisse; unde collegi, quartam partem ovi esse mediam unciam, quam tamen ex carne noluimus modo n. 34. concedere Pasqualigo, & Leander quidem, qui modo eodem n. 34. concessit de carnibus solùm octavam partem unciæ, concedit nunc *in eodem tract. 5. disp. 5. q. 49.* mediam unciam ovorum esse parvitatem materiæ, fortasse, quia aliquid plus nutritionis dari à carnibus, quam ab ovis judicavit.

39. Quoad alia lacticinia, nempe caseum, butyrum, lac concederem parvitatem materiæ in casu, de quo loquimur, Jejunii, esse dimidiam unci-

am plus, minúsve, quia hæc sunt minus nutritiva, quàm carnes & ova.

Pluries prædictam parvitatem sumens eodem die, an violet Jejunium?

40. INquires sextò. Quid de sumente pluries modicam cibi quantitatem præter solitum prandium, ac ientaculum?

41. Respondeo. Sic omninò violari Jejunium, quando scilicet ex multis parvis confletur unum satis notabile; tunc enim omnes illæ modicæ comestiones uniuntur in ordine ad refectionem, & nutritionem notabilem corporis, quo pacto stare Jejunium non potest; sicuti solemus dicere de modicis furtis, quæ quando perveniunt ad notabile damnum proximi, consurgit furtum grave, ac mortale; idémque dicere consuevimus de modicis servitiis factis, sed multoties eodem die festo repetitis. Legite Sanchez *in lib. 1. Decal. c. 4. n. 11.* aliósque citatos à Pasqualigo *decis. 140.*

42. Sanè olim huic nostræ doctrinæ aliquis fortasse sese opponere, sive meritò, sive immeritò potuisset: Verùm hodie SS. Alexander VII. inter cæteras propositiones damnatas, de quibus supra meminimus, hanc damnat, quæ est vigesima nona in ordine.

In die Jejunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

43. Dubitabis hìc: Si quis habeat hunc volitionis actum, immò etiam sic exequatur. Ego volo per omnes dies quadragesimalis Jejunii, semel tamen in die, ultra plenam meridiei refectionem, vespertinúmque ientaculum, aliàs duas uncias ciborum minimè prohibitorum sumere, peccátne mortaliter? Ratio dubitandi est, quia illa omnia modica uniuntur in illo actu voluntatis, & videntur facere unum quid notabile, atque adeò graviter peccaminosum.

44. Respondeo. Hunc non peccare mortaliter; nam solùm proponeret facere, & faceret diversa peccata venialia pro diversis diebus, quibus diebus cum sua particulatis sit addicta obligatio, una nimirum independens ab alia, ut etiam sua propria cujuscunq; diei nutritio; ideò illa modica non uniuntur ad conflandam violationem ullius Jejunii. Ita Thomas Sanchez *loco cit.*

CAPUT VI.

De Vespertino ientaculo permisso in die Jejunij.

De ejus Quantitate.

1. INquires primò. Quandoquidem in Jejunio adhiberi licet refectiunculam, sive cænulam ob sustentationem naturæ, seu ad somnum sequentis noctis conciliandum. Inquires, inquam, in qua quantitate licitè sumi illa possit?

2. Respondeo. Azor apud Pasqualigum *decis. 88.* ait, esse mensuran-

dam

dam juxta singularum regionum consuetudinem.

3. Reginaldus, & Layman, apud eundem, aiunt, posse sumi quartam partem cœnæ, quia id cæteris materiis quarta pars alicujus rei judicatur pars illius parva. Profectò si vera esset hæc mensuratio, qui die festivo laboraret per sex horas, judicaretur laborare per parvam diei integri partem, quod nemo dixit.

4. Graffius apud eundem dicit, posse sumi ex cibis quadragesimalibus quantitatem duarum, aut trium unciarum.

5. Sà apud eundem quantitatem unciarum quatuor.

6. Villalobos, aliique apud eundem extendunt usque ad sex uncias.

7. Hieronymus Perez apud eundem usque ad septem.

8. Fagundez denique apud eundem asserens, hanc opinionem approbatam fuisse à Suario, extendit usque ad uncias octo. Semper autem, loquimur de libra, unciisque Romanis, & ut nostrates loquuntur (*alla sottile*) ut supra item sæpè monuisse, me memini.

9. Ex his sententiis prima, & secunda, cum non determinent mensuram, locum dant scrupulis, & perplexitatibus 3. 4. & 5. rigidam dant determinationem. Sexta ergo, & septima sunt præferendæ; & jam hac nostra ætate usurpatur à timoratis alterutra ex his, easque docent plurimi, Henriquez, Trullench, uterque Sanchez, Diana, Turrianus, aliique apud eundem Pasqualigum *decis.* 91. Ratio autem hujus probabilis sententiæ est, quia tota hæc quantitas meritò habetur pro modica, & ex alia parte est apta ad finem subministrandi aliquo tandem modo adjumentum naturæ, & juxta benignitatem Ecclesiæ temperandi rigorem Jejunii, sed non illud destruendi.

10. Quæres primò, si mihi sufficerent ad prædictum finem duæ, vel tres cibi unciæ, licitè ne septem, vel octo assumere?

Respondeo, posse, saltem sine morali, quia in rebus moralibus debemus sequi, quod per se est secundùm communem existimationem, & usum, non verò, quod est tibi per accidens. Addo, si tu es adeò parvi cibi, ut tibi sufficiant duæ, vel tres unciæ, certè valdè debilis complexionis es, atque adeò etiam meridie parcè comedisti, unde tantò ampliùs vespertina refectione indigebis.

11. Confir. quia quando ferò cibus à te manè assumptus non est digestus, sufficeret fortasse tibi, si solùm semel comederes; & tamen communis est sententia apud Lessium *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. te posse sumere integrum consuetum jentaculum, quia hoc concessit omnibus lex, seu legitima consuetudo, atque adeò etiam tibi per accidens satietate matutina repleto. Ita tenet etiam Azor. *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæst* 4. Joan. Sanchez *disp.* 52. *num.* 6. aliique, & quamvis tunc pecces contra temperantiam, vel tui ipsius charitatem, si tuæ sanitati sic notabiliter noceas; non tamen peccares, saltem graviter, contra Jejunii præceptum.

12. Quæ-

12. Quæres secundò: Si quis dictis uncijs octo adderet unam, vel alteram, quæ, ut supra vidimus, est parvitas materiæ, adderetne sine mortali?

13. Respondeo. Pellizar. *tom. 1. tract. 5. num. 11.* & Diana, *p. 9. tract. 6. resol. 15.* ajunt, addi sine mortali, quia additur, quod modicum est. Pasqualigus *loc. cit.* id negat; quia hoc aperit viam ad introducendam binam plenam refectionem. Ego censeo, si hæc additio fiat bona fide ex eo scilicet, quòd non teneatur homo ad libram mensurare suum jentaculum, unde moraliter credat, id, quod sumit, esse intra uncias octo, cùm tamen sit supra, illum non condemnarem ex eo capite, quòd bona item fide in mentem non venerit suum jentaculum ad subtiliorem trutinam meliùs expendere. At verò addentem scienter illud plus, sanè condemnarem, quia video, sumere intra diem Jejunii duas cibi uncias esse quidem parvitatem materiæ, sed video item easdem sumere de industria cum aliis octo notabiliter excedere quantitatem jentaculi.

14. Quæres tertiò, possumne licitè panem octo unciarum, quem, ut mox dicemus, licitè sumo pro toto meo jentaculo, possumne, inquam coquere in aqua, & totum sumere?

15. Respondeo. Licitè posse, dicit Bossius, Leander, Pasqualigus eos citans *dec. 106.* sed ego sequor omninò Filliucium *tract. 26. p. 2. c. 2. n. 31.* qui omninò negat; siquidem liquor ille, ait, seu aqua fit propter coctionem cum illo pane cibus solidus multarum unciarum, & ita excedens mensuram jentaculi. Ego illam rationem affero, cænula introducta est sub illo modo, ut fit refectiuncula, & non plena refectio, & ad satietatem; at quicunque prædictum panem cum aqua elixatum comedit, plenè, & ad satietatem se reficit; ergo, &c.

Minor mihi certa est, nam quidam meus Paterfamilias, ut rem hanc experiretur, coxit, seu elixavit prædictum octo unciarum panem in sufficienti aqua, & ex hujusmodi coctione adeò magnam pultem conflavit, ut ex illa, satiato jam amico, aliquid supereset. Non ita se habet, si panem prædictum, vel biscoctum infundas in vinum, vel aquam, quod certè aliquantulum imbibet, quia in hoc casu non adest actio ignis coquentis, nec illo satiatur homo; & denique de hoc adest consuetudo Fidelium, quæ non est de pane illo cocto.

16. Illa duo denique hìc sunt meditatione digna. Primò, non esse audiendum quemquam dicentem, quantitatem octo unciarum non debere intelligi quoad fructus valde humidos, ut est una, ficus recentes, quia duodecim unciæ, horum fructuum sunt unciæ octo fructuum siccorum, & illis æquivalent. Non est, inquam, audiendus, quia sic comederet quis integram cibi libram, quod nimis diminueret observantiam Jejunii. Nam ille succus fructuum recentiorum cibus est, quia non est potus, & item directè sumitur, ut cibus, & directè alit, cùm non sit cibi vehiculum, juxta ea, quæ supra diximus de potu.

17. Secundò. Nec est audiendus Layman *lib 4. tract. 8. num. 9.* dicens, nobi-

nobiliores, & qui studiis vacant, posse vespertinam refectionem largiorem sumere, quàm alii, nec Leander, *tr. 1. disp. 4. quæst. 32.* dicens idem de illis, qui difficulter somnum capiunt; ajo enim, solùm tunc posse recipere aliquid ampliùs de dicta refectiuncula, quando necessitas tuæ sanitatis, vel officii id notabiliter exigit, quæ est communis excusatio, de qua suo loco infra, non verò est ex capite nobilitatis, vel officii.

Exceptio pro vigilia Nativitatis Domini.

18. SUperest hìc explicare benignitatem in sumenda largiore cœnula in Vigilia Natalis Domini. Dico enim in hac vigilia ob lætitiam tantæ festivitatis concessam esse largiorem refectiunculam.

Verùm scisciteberis. Quantonam largiorem? Respondeo licere sumere duplo circiter majorem, hoc est, pertingentem ad uncias sexdecim, & quidem propter paritatem rationis ex iisdem obsoniis, quibus in cæteris Jejuniis licitè nos uti possumus. Ita Tom. Sanchez *lib. 3. Consil. dub. 26.* Joa. Sanchez *disp. 52 num. 10.* Fagundez *Præcepto Eccles. 4. num. 19.* Diana item *p. 11. tr. 7. res 12.* qui aliqua benigniora habet de hac Vigilia.

An idem concedatur in Jejuniis aliis lætitiæ, nimirum in Jejuniis Paschatis, Pentecostes &c. dicemus *infra c. 9.*

19. Quod dictum est de hac Vigilia Natalis Domini, intellige cum utroque Sanchez citato, etiamsi incidat in diem sabbati, in quo celebretur Jejunium Quatuor Temporum, quia magis dignum trahit ad se minus dignum. Quare si festum Natalis sit celebrandum prostridie, nempè die lunæ (quia dies sabbati est jam vigilia Nativitatis, quamvis etiam sit Jejunium Quatuor Temporum) hæc prærogativa benignioris jentaculi vigiliæ conceditur.

Atque ex dictis fit, ut si quis voverit jejunare in dicta Vigilia Nativitatis, possit vespere refectiunculam solito majorem modo dicto sumere, quia vovit Jejunium illud, sicuti in ea Vigilia servatur à Fidelibus. Excipe tamen, nisi expressè rigorosum Jejunium promiserit, vel ex professione Religiosa ad idem rigorosum obligetur.

De ejusdem jentaculi qualitate.

20. INquires tertiò: Quodnam genus cibi possumus in prædicta quantitate sumere pro Jejunii jentaculo?

21. Respondeo: Quamvis multi Doctores determinent solùm posse sumi eos cibos, qui usui sunt in secundis mensis, qualia sunt electuaria, bellaria, nuces, olivæ, fructusque cæteri, & per alios solùm piscículi parvuli, & similia; non verò sumi posse cibos quoscunque, quamvis Quadragesimales; nihilominus hodie jam probabilissima sententia est apud Leandrum, & Pasqualigum *loc. cit.* posse ex quocunque cibo quadragesimali. Unde sine scrupulo possunt adhiberi septem, vel octo circiter solius panis unciæ Romanæ, vel solius alterius cibi legalis, vel partim ex pane, partim ex aliis iisdem

cibis; sive hi sint legumina, sive herbæ, sive pisces recentes, quamvis magni, sive pultes ex cremore triticeo, vel ex amigdalis, sive ex piscibus siccatis, vel sale conditis, sive ex aliis similium generum, modò, ut dictum est, non transcendatur debita quantitas. Ratio hujus doctrinæ satis sufficiens illa pro modo vobis sit, quia jam usus Fidelium timoratorum hodie hanc praxim sine scrupulo comprobat.

22. Dictum est (*ex cibis Quadragesimalibus*) nam de lacticiniis, & ovis, quando hæc licitè adhibentur in Jejunio, non est idem D. D. Judicium. Dicamus priùs de lacticiniis, mox de ovis.

23. De lacticiniis, nempè caseo, butyro, lacte &c. negant, posse hæc licitè adhiberi in jentaculo vespertino Sanchez, & Leand. apud Pasqualigum *decis. 114.* Concedit ipse, adducens Turrianum, Laymann, Bossium, aliósque, quam sententiam ego probabilem puto. Ratio est, quia non appareret ratio, unde ea certò prohibeantur jentaculo, posito, quod in tali Jejunio licitè, ut supponimus, ipsa comedantur. Adde, si per Auctores, qui rigidissimè agunt de jentaculo, assumi possunt, quæ adhiberi solent in secundis mensis, sicuti sunt fructus, dulciaria, &c. cur excludi debeat caseus, qui solet in dictis secundis mensis passim ab omnibus adhiberi? An possit licitè sumi integrum jentaculum ex solis lacticiniis; dicam infra *c. ultimo à n. 32.*

Nota eundem Leandrum, quem diximus, esse in negativa sententia; tamen ex alio capite liberat a mortali (non tamen potest à veniali liberare; ut supra vidimus) comedentem aliquid lacticiniorum pro jentaculo, hoc est, ex capite parvitatis materiæ; si enim ait, sumatur solùm media uncia lacticiniorum, parva materia sumetur. Ita ille *tr. 5. disp. 5. q. 49.* citans Dian. Villalobos, Truilench.

24. De ovis quidquid concedat cum Bonacin. Pasqualigus *decis. 113.* negandum omninò est cum Sanchez, Bossio, Leandro, Filliucio, Turriano, aliisque apud eundem. Ratio potissima est, quia ova sunt maximæ substantiæ, validæque nutritionis, atque adeò ex diametro opposita sunt Jejunio; in ut, nisi expressè Ecclesia hæc inter lacticinia numerasset, ritè esset abeis in Jejunio abstinendum, sicut à carnibus; sed Ecclesiæ benignitas id indulsit; & certè in casu nostro de jentaculo vix unquam invenies, qui videns Fidelem ova vespere comedentem, judicet, eum Ecclesiasticè jejunare. Non sic de caseo, aliisque similibus lacticiniis; quæ, ut omnes fatentur, minus sunt nutritiva, & nullo modo in hoc ovis similia; nam propterea viribus destitutis ovorum vitellos propinant medici, non verò alterius generis lacticinia.

25. Memineris autem bis coctorum & placentulas ex immixtis ovis confectas posse sumi in jentaculo illius Jejunii, in quo conceduntur lacticinia. Ratio est, tum quia solet ex coctione quasi evanescere modicum illud ovorum, quod immiscetur, ut supponimus, & supra diximus *cap. 4. à num. 13* tum quia in octo unciis talium bis coctorum satis parva quantitas (ut supponi debet) est;

est: id quod certè à mortali te excusabit.

De Tempore, quo sumenda est vespertina refectio.

16. INquires tertiò: Cum refectiuncula introducta sit, ut fiat sub noctem ad somnum conciliandum, potestne licitè nihilominus transferri in meridiem, vel in aliam horam?

27. Respondeo: Quinque modis posset hæc transpositio fieri. Primò si meridie jentes, & sub vesperas plenè te reficias.

Secundò, Si manè diluculo jentes, & eodem modo plenè cœnes sub vesperas.

Tertiò, si manè diluculo jentes, & mox in meridie plenè comedas, omissa vespere omni refectione.

Quartò, si paulò ante, quàm vespere plenè cœnes, c. g. duabus, vel tribus horis anteà, jentaculum sumas.

Quintò, si paulò post, quàm in meridie plenè te refecisti, sumas jentaculum post duas c. g. vel tres horas. Jam de singulis.

28. Si te primo modo geras etiam sine necessitate, licitè te geres, quia posito, quòd jam introductum sit jentaculum in Jejunio, illud licitum absolutè est; & ex alia parte rigorosis erit sic tuum Jejunium, siquidem toto integro die cum solo jentaculo remanebis. Id quod idem fieri posse in Vigilia Natalis Domini, quando pinguior conceditur refectiuncula, probabile etiam propter eandem rationem est.

29. Si verò te geras secundo modo puto propter tantam temporis anticipationem in sumendo jentaculum, te peccare venialiter, si causa rationabili careas. Venialiter, inquam, quia in re parva mutas ordinem Jejunii; non verò mortaliter, quia in substantia nihil ultra debitum sumis, & simili modo, quem diximus *numer. præcedenti*, manens toto die sine alio cibo, sufficienter, & fortasse plus debito corpus macerabis.

30. Si tertio modo, nec te de mortali condemnare audeo, nec item audeo te sine notabili causa, vel sine dispensatione liberare à mortali. Non hoc secundum, quia hæc videtur nova forma Jejunii, cùm Ecclesia solùm concedat in meridie, & vespere, non verò in meridie, & manè, tanta enim vicinitas non usurpatur à timoratis. Nec primum, hoc est, non te condemnare audeo, quia sic ponitur substantia Jejunii, quæ salvatur cum cœnula, & cœna; & quia quod à manè ad meridiem deest de inedia, supplebitur à meridie usque ad noctem.

31. Si quarto, vel quinto modo, idem dic, quod in modo tertio præcedenti, advertendo, quòd quò magis appropinquat cœna ad cœnulam, tanto difficiliùs concedi debet, quia magis sic recedit à forma Jejunii consueta ab Ecclesia, nisi tam proximè hæ uniantur, ut conflent unam moraliter integram refectionem.

32. Illud occurrere posse, fateor, ut qui summo manè nesciens, vel non advertens esse diem Jejunii, sumat jentaculum, tunc profectò licitè, etiam sine causa, poterit, sive meridie, sive paucis interjectis à meridie horis, ple-

nè comedere ; nam propter illam bonam fidem jentaculum matutinum poterit habere rationem vespertinæ cœnulæ ; siquidem bona fides valde delevit inconveniens ductum à forma jejunandi ; & ex alia parte non est cogendus Fidelis ad severiorem abstinentiam.

33. Petes hìc denique ; si quis ob negotia gravia , vel infirmitatem Jejunare , nequit , nisi jentando mane , sed prandendo vespere , jejunarene tenetur ?

34. Respondeo verbis Quintanaduennas , *tom. 2. singularium tract. 9. sing. 17.* qui sic habet : *Communis sententia est , hunc non teneri hoc modo jejunare. Sic Filliucius tom 2. tract. 27. cap. 6. num. 130 Joann. Sanchez disp. 34. num 13. quibus adde Mendo in Bull. Cruciatæ disp. 13. cap. 1 num 2. Leandrum de Præcept. Eccl. tom. 3. tract. 5. disp. 8. quæst. 30. Verùm teneri hunc ad jejunandum , videtur Doctis Recentioribus , quos consului , quia hæc circumstantia cùm sit compossibilis cum Jejunio , non potest tollere Jejunii obligationem. Sicuti , qui potest cum ovis jejunare , & non potest sine illis , quis dubitet , debere cum illis ? Et sicuti , qui non posset ob negotia recitare horas suo tempore , sed posset , e. g. manè , omnes simul , sanè ad illas obligaretur. Et ratio a priori est ; quia quando remanet essentia præcepti , ut hìc , non tollitur ob ejus accidentalia.* Hactenus ille , & ego.

CAPUT VII.

De hora sumendi plenam refectionem in die Jejunij.

1. IN superiore ætate tempus plenè se reficiendi in Jejunio extra Quadragesimam erat hora nona diei , hoc est , hora tertia post meridiem , ut notat Covarruvias *lib. 4. variar. Capitul. 20. n. 14.* In Quadragesima verò erat sub vesperas , hoc est , hora tertia post nonam. Dividebatur enim totus dies , sive longior , sive brevior in duodecim horas , largiores in æstate , breviores in hyeme. Et primæ tres horæ dicebantur Prima ; sequentes tres horæ dicebantur Tertia ; sequentes tres Nona ; sequentes denique tres , hoc est , tres ultimæ , dicebantur Vesperæ. At hodie ex consuetudine legitima , atque ab universali Ecclesia approbata , est hora Meridiei.

2. Duo autem nota. Primò , horam meridiei esse , quam notat horologium solare ex arte factum , quod solet præcedere per semihoram circiter nostra horologia Italica rotalia benè regulata , ac gubernata. Et quidem mathematicè , & exactè loquendo , præcedit per quadrantem hyeme , per quadrantem cum dimidio vere , & autumno ; per semihoram in æstate , ut anno superiore diximus ex Ricciolio , id calculante , quem etiam refert Pellizzarius *tom. 1. man. tract. 5. cap. 8. num. 105.*

Secundò nota , non prohiberi volenti tardius plenè comedere ; nam poterit in meridie jentare , dilata cœ-

na

usque ad Vesperas juxta dicta *capit. præced.*, nam sic profectò rigorosius jejunabit.

3. His tanquam certis habitis, inquires primò, an si quis anticipet dictam horam meridiei, frangat Jejunium, & peccet?

4. Respondeo. Quòd non frangat Jejunium, certum sit ex omnium sententia, quia sic non est violata substantia Jejunii, quæ consistit in unica plena refectione cum suo vespertino jentaculo ex cibis non vetitis. Id autem ex eo manifestè collige, quia sic anticipans obligatur ad servandum Jejunium, ad quod non obligaretur, si fractum illud Jejunium esset in substantia.

5. At verò, an peccet, dissensio est inter DD. Quare duplex est sententia.

Prima, quam sequuntur ferè viginti septem DD. citati à Pasqualigo *dec. 146.* inter quos recensentur Fagundez, Thom. Sanchez, Reginald. Sylv. aliiq; dicit, peccare mortaliter eum, qui notabiliter anticipat, quia tunc fit contra præceptum, ne comedatur ante Meridiem.

6. Secunda, quam sequuntur ferè triginta citati ab eodem, inter quos numerantur Toletus, Filliucius, Lessius, Medina, Bassæus, Bonacina, aliique: dicit, non peccare mortaliter, quia nullibi reperitur præceptum allatum à prima sententia; ergo non est à nobis asserendum; & ex alia parte inediæ molestiam, quæ non tolerabitur manè, tolerabis intra diem usque ad noctem. Esse tamen veniale, iidem docent, quia tam citò ad prandium accurrere, quando omnes ferè Fideles meridiem expectant, nonnulla deordinatio est, quam sanè absque dubio tollet aliqua causa rationabilis, studij e. gr. itineris, negotii, &c.

7. Nota autem pro sequentibus primam sententiam, posse prædictam plenam refectionem eos facere una hora circiter ante meridiem in hyeme, & duabus in æstate. Ita Bossius *sect. 4. de Jubilæo cap. 18. casu 100.* Ratio est, inquit, quia una hora ante, vel post punctum præcisum meridiei hyemalis, & duæ ante æstivum, quando longior est dies, potest hac in re moraliter haberi pro meridie. Hinc quoniam mendicantes, quique horum privilegia participant, gaudent facultate anticipandi refectionem Jejunii per horam, ideo poterunt bi prandere duabus horis hyeme, ait Bossius, & tribus æstate ante meridiem solaris horologij, nam alteram dat moralitas meridiei, reliquam Pontificis concessio.

8. Et quia multi probabiliter concedunt, comedere semihora ante statutum, vel concessum tempus, etiam sine causa, non esse notabilem culpam, quia parum pro nihilo reputatur; idcirco hyeme poterunt duabus horis cum dimidia, æstate tribus cum dimidia ante solarem meridiem mensæ accumbere. Et quidem ex causa studii, itineris, negotii, &c. etiam sine veniali. Atque hæc quantum jejunantibus faveant etiam in opinione illa rigorosa, jam vides.

9. *Quæres*, an in Quadragesima liceat obligatis ad Horas Canonicas

comedere ante recitationem Horarum Vespertinarum? Ratio dubitandi est, quia in rubricis præscribitur, eo tempore vesperas esse recitandas ante comestionem.

Respondeo. Meritò id rubricæ præscribunt, quia comestio in diebus Jejunii Quadragesimæ, ut modò num. 1. diximus, olim usque ad vesperas differebatur, nam propterea vocabatur cæna, non prandium. Verùm quia ex una parte hæc rubrica, sive pro recitantibus in Choro, sive extra Chorum, non est præceptiva, sed directiva, atque adeò non obligans cum tanto rigore; & ex alia parte hodie comestio jam ex usu legitimo fit in meridie; ideò licebit, Vesperas post comestionem recitare, maximè extra Chorum, nam in Choro congruum est, servare morem suæ Ecclesiæ. Immò fertur, sapientissimus Cardinalis Bellarminus dicere solitus fuisse; quandoquidem in nostra ætate à sua hora dejecta est comestio, non esse conveniens, ut vespertina recitatio dejiciatur à sua.

CAPUT VIII.

Qua hora incipit, desinitque in die Jejunij obligatio jejunandi.

1. IN hac materia Jejunij dies intelligitur à media nocte unius diei inclusivè usque ad mediam noctem sequentis diei exclusivè: itaque si sit jejunandum die c. g. sabbati, incipit obligatio à media nocte post diem Veneris, & desinit à media nocte ante diem Dominicam.

2. Inquires autem primò. Cùm media nox, sicut & meridies sumi possit mathematicè, & sumi etiam possit moraliter, ex quo computo incipiam, vel finiam Jejunii mei tempus; media enim nox mathematicè est ipsum punctum, & momentum mediæ noctis, media verò nox moraliter sumpta, ita est ipsum punctum mediæ noctis, ut tamen accipiatur morali, seu humano modo, hoc est, sine tanta subtilitate, & rigore computi, sed sicuti communiter omnes accipiunt. Et solent quidem communiter accipere in hac materia Jejunii media hora plus, minúsve ante, vel post præcisum punctum prædictum mathematicum mediæ noctis. Dico (*in hoc casu Jejunij*) ubi ex Fidelium existimatione, & usu rigorosius est præceptum, quando loquimur de media nocte, quàm quod dixit Bossius in illo alio casu de meridie *d. c. præcep. num. 7.*

3. His ergo positis, inquiris, quomodo accipienda est media nox in Ecclesiastici Jejunii materia? Nam pro Jejunio naturali ad Evchariſtiam sumendam, latè diximus anno superiore.

Respondeo: Si quis sciat, vel facilè ex horologiis, seu aliunde scire potest punctum noctis mediæ mathematicum, secundum illum debet se gerere, nec post illud, ne per minutum quidem, in casu proposito, potest carnes comedere. Ratio est, quia supposita scientia de mediæ noctis momento, vel facilitate morali eam habendi, non possum etiam hu-

humano modo, & moraliter non censere, illud tempus hujusmodi momenti consequens pertinere ad diem sequentem addictum Jejunio, ac proinde non possum non cognoscere, præceptum Jejunii jam urgere. Si ergo præceptum urget, atque est in possessione obligatio Jejunii, non verò mea libertas comedendi, fieri non potest, ut à jejunando sim liber. Res hæc est metienda, sicut in numero peccatorum proferendo in confessione; si enim nesciam præcisum numerum, sat est, dicere, toties peccavi plus, minúsve, nec obligor, nisi moralem diligentiam adhibere ad numerum sciendum. At si sciam, vel facilè recordari possim, me determinatè ter, e. g. peccasse, & non ampliùs, debeo fateri, me peccasse mathematicè ter, seu ter determinatè. Idem dicitur in casu nostro.

4. Hinc postrema nocte Baccanalium, illucescente feria IV. Cinerum, si sciam, vel facilè scire possim momentum mediæ noctis, à cæna abstinere debeo omninò, quia falsum est, quòd possideat (ut quidam non rectè judicavit) cœnandi libertas; possidet enim clarè Jejunii Quadragesimalis obligatio. Vide, quæ dicam mox *num. 9.* Idem dic de nocte diei Jovis, illucescente feria sexta, quoad carnes comedendas, cum par sit ratio. Quòd si prædictum momentum nesciam, nec per moralem diligentiam scire possim, tunc enimverò ad moralem mediam noctem tutò confugiam.

Dubius de media nocte.

5. Quæres primò, si omnibus expensis, variisque horologiis auditis, immò aliquando auditis nullis, ut si fortè rure commorer, sum negativè dubius, an data sit media nox; possúmne licitè comedere carnes, primò, nocte præcedente ad diem e. gr. Dominicum, secundò, nocte præcedente ad diem feriæ sextæ? Dubius, dico, si enim habeas probabilitatem, quam facit quodcunque horologium benè regulatum, nec communiter fallens, posse te cum illa probabilitate conformare, alibi dictum est universaliter.

Respondeo. Communem jam hodie doctrinam esse, in primo casu non posse licitè, posse in secundo. Ratio est, quia in primo possidet dies sabbati, in quo clara & certa est obligatio abstinendi à carnibus. Dubium autem est, an ingressus sit dies Dominicus, ergo prævalet lex abstinendi. Contra verò in secundo casu, possidet certò dies Jovis. Dubium autem est, an advenerit obligatio feriæ sextæ, ergo prævalet libertas comedendi. Legite DD. citatos à Bossio *in q. mor p. 2 de conscientia dubia tit. 1. n. 1701.*

7. Illud recole, cùm horologium solare signet horas ante meridiem circiter semihoram, quam signet horologium rotale Italicum, modo supradicto, *cap præced num. 2.* ideò quando horologium hoc rotale dat signum mediæ noctis, vera media nox (quam facit certè sol, non dictum horologium) jam invenitur præcessisse per mediam circi-

circiter horam ; unde qui comedit, quando horologium rotale dat signum mediæ noctis, verè comedit media hora post mediam noctem, si rigorosè, & mathematicè sit res mensuranda, non verò ita, si moraliter, & humano modo, juxta modò dicta *n. 3. & 4.*

8. Quæres secundò : si ego cœnans cum carnibus serò diei Jovis e. gr. vel serò ultimi diei Baccanalium, audiam signum mediæ noctis, obligabórne statim cessare ab illis comedendis ? Et quidem quæri potest, si comedam cibos quoscunque, & die sequenti incidit dies Jejunij.

9. Respondeo cum distinctione. Vel tibi rationabiliter persuades, signum illud esse certum, hoc est, certò indicans mediam ipsam noctem ; vel dubitas de certitudine ex eo, quia ejusmodi sive horologia, sive campanæ etiam regulatissima, semper per quadrantem plus minus à veritate aberrant, ut notat Caramuel *in p. tom. Theologiæ Fund. à num. 205.* Si primum, debes omninò cessare, quia secus comederes tempore pertinente ad diem sequentem. Si secundum, recurrit doctrina modò allata *n. 6.* tunc enim eris dubius de media nocte.

CAPUT IX.

De Diebus, in quibus est jejunandum.

1. INquires : quinam sunt anni dies, in quibus Fideles jejunare obligantur ?

Respondeo. Certum est, esse sequentes primò, omnes ferias Quadragesimæ, item quatuor tempora, item aliquas vigilias infra annum ; denique omnes ferias sextas, & sabbati quoad abstinentiam à carnibus. Jam seperatim dicamus de singulis.

Quadragesima.

2. OMnibus ferialibus diebus Quadragesimæ est Ecclesiasticè jejunandum, hoc est, à feria quarta Cinerum usque ad Sabbatum Sanctum inclusivè. Excipe Mediolanenses, qui ex suo legitimo ritu non jejunant illis quatuor diebus, qui præcedunt Dominicam primam Quadragesimæ, quæ tamen Jejunia compensant jejunando in tribus Rogationum.

3. Dixi (*ferialibus diebus*) nam in Dominicis non jejunatur, sed solum abstinetur à carnibus & lacticiniis, ut supra dictum est.

4. Dixi item (*usque ad Sabbatum Sanctum inclusivè*) nam quamvis illud Sabbatum sit dies lætitiæ, & exultationis ; unde videtur, tunc non esse jejunandum, vel saltem videtur, posse sumi ientaculum largius more privilegij Natalis propter illud S. Thomæ *2. 2. q. 147. art. 5. ad tertium* docentis, Jejunium exultationis non cadere sub præceptum, sed esse ex instinctu Spiritus Sancti, nam propterea, ait, ab Ecclesia non esse institutum Jejunium toto tempore paschali ; nihilominus neutrum licet in dicto die Sabbati Sancti ; idque sive ex consuetudine, sive ex sensu Fidelium, sive ex legitima Ecclesiæ traditione, virtualiter, seu implicitè à Fidelibus

delibus habita, & observata : fatemur enim de hac re, non esse jus scriptum, ut advertit Georgius Gobat *de Jubilæo c. 28. n.* 108.

5. Quæres, qui fortè habet hunc actum : ego nolo jejunare per totam Quadragesimam, & de facto non jejunat, quot peccata committit numero distincta, singula Confessori aperienda?

6. Respondeo. Si de unico actu interno voluntatis agas, probabile esse, unum numero peccatum à te committi, quia supponitur, esse dumtaxat unus moraliter actus, esto, terminetur ad plura numero objecta. Quare tunc satis erit, si te accusare apud Confessarium : semel elicui actum, seu semel nolui per totam Quadragesimam jejunare; ut in simili casu dictum est de eo, qui semel unico volitionis actu proposuit multa eiusdem rationis perjuria committere.

Si verò agas de executione, qua de facto non jejunes, tot peccata numero committis, quot dies sunt in Quadragesima quia pro singulis diebus præcipitur Jejunium, & in executione talis inobservantiæ non est invenire unum quid, in quo moraliter uniantur singulorum Jejuniorum omissiones. Lege de Lugo, *de Pœnitent. disp. 16. à num.* 559. & Leandrum *de cens. disput. 7. quæst. 44.*

Quatuor Tempora.

7. Feria quarta, sexta, & sabbato quatuor Temporum adest semper obligatio jejunandi. Scio, Jejunium quatuor Temporum, quod incidit infra Octavam Pentecostes, non esse de jure scripto, atque esse Jejunium lætitiæ; unde videatur esse sine obligatione, vel saltem cum jentaculo pinguiore; tamen idem hic dicendum, quod modò diximus *numer.* 3. de Sabbato Sancto. Lege Fagundez, *Præcept. 4. Eccles. lib. 1. cap. 6.*

Vigiliæ.

8. Obligantur etiam Fideles jejunare in Vigiliis Natalis Domini, Assumptionis SS. Virginis, Pentecostes, Apostolorum, omnium Sanctorum, Sancti Laurentii, & S. Joanni Baptistæ. Excipe ex Apostolis Vigiliam Sancti Philippi, & Jacobi, tunc enim non jejunatur, quia incidit intra tempus Paschale, quando Ecclesia *in capitulo Scire dist. 13.* non vult Jejunia præcipere toto tempore Paschali.

9. Quæres : Estne probabilis sententia Leandri, & Pasqualigi, *decis. 43.* eum citantis, qui liberalitatem jentaculi concessam in Vigilia Natalis Domini, de qua diximus supra, extendunt ad Vigiliam Pentecostes, ob eam rationem, quòd sit Jejunium exultationis? Quid de aliis, qui propter eandem rationem idem extenderunt ad Vigiliam S. Laurentii, Sancti Joannis Baptistæ, & omnium Sanctorum?

10. Respondeo : Hos Auctores nullo modo esse in hoc audiendos; & certè, si non ob aliam similem rationem dictam *num.* 3. illa nobis satis, superque est, quia nullus ex timoratis Fidelibus id exequi audet.

De Voto Jejunandi in aliquo die festivo, vel Dominica.

§ 1. Hic tria sunt addenda. Additio prima. Si festum Jejunio pridiano colendum incidat in diem lunæ, tunc erit jejunandum, non quidem die Dominico, sed sabbato præcedente, ut præcipitur *Capitulo ex parte de observantia jejuniorum.* Unde rectè colligit Pasqualigus, quod si quis Jejunaret die Dominico, aut ante Sabbatum, non satisfaceret præcepto Jejunii, quia *in dicto capitulo ex parte* statuitur, ut in hoc casu die Sabbati jejunetur, atque adeò illi diei præceptum Jejunii affigitur.

12. Hinc etiam fit, ut si quis voverit jejunare in Vigilia alicujus festi; incidatque festum in diem lunæ, cùm semper votum (nisi quid expressius voveatur) more Jejunii Ecclesiastici emitti intelligatur; fit inquam, ut Jejunare teneatur die sabbati.

13. Quid, si ego voverim (ut in aliquibus locis Fideles usurpant) Jejunare per totam annum in eo die, in quem incidit aliquod festum e.g. Sanctissimæ Virginis Annunciatæ, incidat autem in die Dominico, túnene jejunabo?

Respondeo: Mihi videri certum, non esse Jejunandum die Dominico, sed in alio die hebdomadæ, à me eligendo, & congruum esse eligere, vel diem sequentem, vel antecedentem proximiorem, hoc est, vel diem lunæ, vel diem sabbati. Nec puto, pro hac commutatione necessariam esse dispentationem, quia satis dispensat Ecclesiæ universalis consuetudo, per quam non jejunatur die Dominico. Idque puto etiam de abstinentia à carnibus, vel lacticiniis; si nimirum quis voverit se ab his abstinere per totum annum in die, quo incidit dictum festum; hìc enim congruum est, ut abstineat die lunæ, vel præcedentis sabbati, & libera sit comestio diei Dominicæ, quam liberam Ecclesiæ mos in signum lætitiæ Resurrectionis Domini esse vult.

Dixi modò (*vel in præcedente*) sed certè, re melius considerata, puto, eligendum esse diem sequentem, hoc est, diem lunæ. Ratio est, quia si in antecedentem commutes, hoc est, in diem sabbati, minùs te mortificas, nam in illo die sabbati, jam ex præcepto Ecclesiæ debes abstinere à carnibus.

14. *Quæres*: Si quis expresse voveret Jeiunare die Dominico; vel sive ex voto, sive ex devotione ieiunare, peccarétne?

Respondeo: Prohibitionem Jeiunandi hoc die factam esse olim ab Ecclesia (ut habet Pasqualigus *decis. 171.*) in detestationem quorumdam hæreticorum, qui ex variis erroribus ducti docebant, tunc esse Jeiunandum: & præsertim in detestationem eorum, qui negantes Domini Resurrectionem, diebus Dominicis in contemptum illius ieiunabant, ut notat Fagundez, *Præcpt. Eccles. 4. lib. 1. cap. 5. num 2.* Quare, qui ex aliquo errore, vel superstitione ieiunaret, peccaret graviter, quia sic protestaretur aliquem ex illis erroribus, & contemneret in re gravi morem Ecclesiæ. Atque de hoc loquitur S. Augustinus *Epist. 86. ad Casulanum*, eo tem-

tempore, quo vigebant illi hæreticorum errores, dum sic scribit: *Quisquis diem Dominicum cum Jejunio decernendum putaverit, non parvo scandalo erit Ecclesiæ: in his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi DEI, vel institutа majorum pro lege tenenda sunt.*

Verùm si id quis faceret ob quandam singularitatem, solùm peccare venialiter, docet Sanchez *l. 2. summæ, cap. 3. num.* 13.

Si autem faceret verò ob devotionem, & exercitium virtutis, non esset reprehendendus, immò esset commendandus; modò non faceret consultò in die Dominico, ut dies est Dominicus; quia sic faceret contra Ecclesiæ consuetudinem.

De Vigilia incidente in festum Corporis Christi.

15. ADditio secunda: quando Vigilia S. Joann. Baptistæ incidit in festum Corporis Christi, ieiunandum est feria quarta pridie scilicet talis festi, quia ita præcepit Urbanus VIII, *13. Octobr. 1638.* & merito, ne tanta festivitas, & lætitia misceatur cum mœstitia Jeiunii. Hinc, qui tunc ieiunaret ipso die Corporis Christi, non satisfaceret præcepto de Jejunando in tali Vigilia. An tunc cùm translatione Jeiunii debeat etiam transferri officium dicam *infra cap. 11. à num. 16.*

De violante Jejunium ex voto & Præcepto.

16. ADditio tertia: An qui violat Jeiunium, quando præcipitur duplici præcepto, duplex peccatum committat? si e. g. Vigilia S. Matthiæ incidat in diem Quadragesimæ, qui tunc non jejunat, duplicine numero peccato peccat?

Respondeo: Dupliciter peccare tenet cum aliis Conինch, *disp. 7. de Sacr. dub. 9.* quia violatio cujuscunque præcepti peccatum est.

Semel peccare tenet cum multis Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 15. num. 6.* unde in confessione satis est dicere, semel præceptum Jejunii non observavi. Ratio est, quia peccata non multiplicantur numero ex sola multiplicatione præceptorum, quia supponimus, unum esse Jejunium violatum, quod unico actu frangitur, sed nec multiplicantur specie ex multiplicatione præceptorum, quia tunc specie multiplicantur in uno; eodemque actu, hoc est, tunc unus actus continet multas malitias diversas specie, quando actus est contra multas virtutes; at prædicta violatio Jejunii est solùm contra unam virtutem temperantiæ, ex cujus motivo emanant illa duo præcepta, ut supponimus; ergo, &c. Per hoc autem non negamus peccatum hoc ex duplici præcepto violato habere majorem gravitatem; sed quia hæc major gravitas est solùm circumstantia aggravans, quam non esse necesse explicare in confessione, est valdè probabile, ideò hanc, de qua loquimur, explicare non oportebit.

17. Ex doctrina autem data vides discrimen valdè notabile inter casum prædictum, & votum; nam si quis vovisset e. g. Jejunare in dicta Vigilia S. Matthiæ, quæ fortè incideret in diem

Quadrageſimæ, & tunc non Jejunaret, illa violatio duas ſpecie diverſas malitias haberet, utráſque Confeſſario manifeſtandas, quia tunc jejunans peccaſſet contra Eccleſiæ legem, jubentem Jejunium ex motivo virtutis temperantiæ, & item peccaſſet contra proprium votum, quod eſt veluti lex, quam ſibi vovens imponit, quæque eſt ex alio motivo, nempè ex virtute Religionis.

Pari modo, quia Religioſus e. g. Ordinis Minorum S. Franciſci tenetur Jejunare ex præcepto Regulæ die Veneris cujuſcumque hebdomadæ, ſi hic dies ſimul concurrat cum Vigilia, & Religioſus non Jejunet, duplici ſpecie malitia peccat, nempè contra obedientiam propter violatum præceptum Regulæ, & contra Religionem propter violatum votum contra promiſſionem factam DEO. Lege Leandrum, *in Præcept. Eccleſ. diſput. 9. quæſt. 5.* alioſque ab eodem citatos.

De Jejunij voto facto ab anteceſſoribus.

DE hoc vide ſupra *in tract. 1. cap. 7. à num. 23.*

De Jejunio impoſito à Confeſſario.

18. QUæres hìc denique, quid de Jejunio injuncto à Confeſſario? Reſpondeo, quamvis expediat, ut in pœnitentiam Confeſſarius injungat illud opus, ad quod aliàs pœnitens non tenetur; immò ſi nihil addat explicando mentem ſuam Confeſſarius, ſemper intelligatur de opere aliàs non debito, ut ſi dicat: Jejuna ſemel in ſequenti hebdomada, intelligitur de alio Jejunio præter illud, quod fortè ratione alicujus vigiliæ incidit in prædictam hebdomadam; tamen quia poteſt Confeſſarius injungere pro Pœnitentia illud opus, ad quod aliàs tenetur pœnitens, ideò rectè quæris, an tunc ſi pœnitens illud opus negligat, peccet duplici ſpecie peccato; ut ſi dicat Confeſſarius: Jejuna cras, quando erit vigilia, vel dies Quadrageſimæ, vel quatuor Temporum.

Reſpondeo: Duplici peccato ſpecie diverſo peccare, altero contra obligationem ortam ex Eccleſiæ præcepto, altero contra obligationem ortam ex Sacramento Pœnitentiæ. Quare de utraque expreſsè debebit deinde pœnitens ſe accuſare in confeſſione. Ut docet Vaſquez, aliique apud de Lugo *diſp. 25. de Pœnit. ſect. 5. n. 67.*

Rogationes, & dies adventus.

19. IN diebus Rogationum, & in Adventu non eſt obligatio Jejunandi, ut praxis Fidelium ſatis oſtendit. Excipe pro Rogationibus ritum Eccleſiæ Mediolan. cujus meminimus *num. 1.* & excipe pro Adventu eos Religioſos, qui ex propria Regula ad ſervandum Jejunium eo tempore obligantur.

Feria ſexta, & Sabbato.

20. IN diebus feriæ ſextæ, & ſabbati eſt non obligatio jejunandi, ſed ſolùm abſtinendi ab edendis carnibus; nam (quidquid olim uſurpatum fuerit) certè hodie ſic ſervatur in Eccleſia Occidentali, hoc eſt, Latina: (nam in Orientali Græci loco ſabbati ſervant ſuam

stinentiam die Mercurij. Præceptum autem de hac nostra abstinentia in die sabbati, sic imponit Gregorius VIII. *in c. Quia dies de consecr. dist. 5.*

Quia dies, inquit, Sabbati apud Patres Sanctos nostros in abstinentia celebris est habitus; Nos eorundem authoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumque se Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die (nisi majore festivitate interveniente, vel infirmitate impediente) abstineat.

21. Ex hoc tamen textu ne duo inferas: primò, hoc non esse præceptum sub mortali, quia textus dicit (*admonemus*) quod verbum potius indicat consilium, quàm præceptum. Secundò, posse in omnibus sabbatis, in quibus incidit aliqua major solemnitas, comedi carnes, quia textus habet (*nisi majore festivitate interveniente*) ne, inquam, hæc inferas. Non primum, quia in textu additur (*qui se Christiana Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die abstineat.*) Quoniam ergo tuus esus carnium in tali die ostendit, te nolle esse participem Christianæ Religionis, peccabis certè graviter, ut rectè notat Pasqualigus *decis. 176. num. 3.* Non secundum, quia praxis Ecclesiæ id solùm ad Natalem Domini restrinxit, ut per similem occasionem supra notatum est.

22. Quæres: Si quis vovit generaliter omnibus diebus Sabbati (vel etiam Veneris) jejunare; si tunc incidat festum Natalis Domini, potéstne licite carnes comedere, & votum non servare.

23. Respondeo. Posse, si tamen excipias illos, qui vel ex observantia sua Regulari, vel ex voto suo particulari expresè voverunt in tali die jejunare, etiamsi in illum inciderit festum Natalis Domini. Ratio hujus exceptionis est, quia sic expresè te ligasti, vel ex vi illius voti, vel ex vi ipsius Regularis observantiæ à te assumptæ. Ratio responsionis est, tum quia ut habet Molina *tom. 2. disp. 272. num. 3.* non est verisimile, quòd qui cum illa generalitate vovit, voluerit includere diem tantæ solemnitatis, & recedere à more Ecclesiæ, tum quia, ut habet Fagund. *præcep 4. lib. 1. cap. 6. num. 6.* in ea generalitate non constat de intentione voventis; ergo votum non alio modo obligabit, nisi juxta dictum Ecclesiæ morem.

CAPUT X.

De Excusatis à jejunandi obligatione.

1. DIximus supra cap. 2. de iis, qui non obligantur præcepto Jejunij; nunc de illis dicendum, qui, tametsi obligentur, propter aliquam tamen causam excusantur?

Senes.

2. INquires ergo primò: An senectus excuset a Jejunando, & ab abstinentia carnium in diebus vetitis?

3. Respondeo, quòd sola senectus non det veniam comedendi carnes in diebus vetitis, esse certum; idemque dicendum de lacticiniis. His enim se-

nibus, ut notant Azor, Navar allati à Quintanad. *tom 2. tract. 3. sing. 4.* solùm ratione ætatis ea conceduntur, quæ requirit talis ætas ad sui sustentationem; at ad hanc sufficit, pluries cibum legalem sumere. Quòd si seni noceant cibi hi Quadragesimales, tunc profectò excusabitur ab illorum abstinentia. Verùm id non erit ratione ætatis, sed infirmitatis, de qua mox dicendum erit.

4. At verò, quòd ipsa mera senectus excuset ab obligatione semel tantùm plenè comedendi, est ferè certum, quia omnes Doctores id concedunt, & quidem meritò; quia ipsa mera senectus reputatur infirmitas, quæ indiget frequentiore cibo, & ex alia parte hujus indigentiæ satis consulitur per cibos quadragesimales.

5. Difficultas ergo hic illa est, decernere quoto anno dicetur quis jam senectutem ingressus esse, unde non obligetur ad Jejunia?

Dico jam hodie ex communi sensu DD. (nam in jure nihil expressum est) eum esse senem quoad excusationem à jejunando, qui annos habet sexaginta, quia tunc vires hominis notabiliter sunt cadentes, quamvis externè quis appareat vegetior, seu fortior, ut testatur Galenus *de sanitate tuenda*; licet autem aliqui DD. requirant annum sexagesimum completum, tamen alij cum Joanne Sanchez, & Trullench, *lib. 3. in Decal. cap. 2. disp. 4. num. 3.* meritò dicunt, sufficere, ut ejusmodi annos quis attigerit, tametsi non compleverit, quia adhuc tunc putatur ætas valde cadens. Vide, quæ diximus *sup. cap. 4. num 38. & 39.*

6. Quæres primò. Quod dictum est de sexagenario quoad Jejunia Ecclesiastica, idémne sentiendum de Jejuniis ex voto? Si quis e. g. voverit jejunare per totam suam vitam die Sabbati, obligatúrne ad ejusmodi votum Jejunii post ætatem 60. annorum?

Respondeo. Probabile esse, excusari, etiamsi addiderit (in perpetuum) vota enim jejunandi non præsumuntur (quando tamen contrarium quis non intenderit) emitti, nisi ad modum Legis Ecclesiasticæ.

7. Sed quid, si quis voverit sic *volo jejunare per totam vitam meam, etiam in senectute post annos sexaginta*

Respondeo. Tunc per se, & ratione voti obligabitur; quia votum se extendit juxta intentionem voventis.

Dico (*ex vi voti*) nam si deinde in ea ætate adeò sit debilis, ut illi notabiliter noceat Jejunium, ex alio capite excusabitur, nempe ex infirmitate, ut modò in simili dictum est.

8. Quæres secundò: éstne probabile, fœminas non obligari ad Ecclesiastica Jejunia, quando attingunt annum quinquagesimum?

Respondeo. Mihi non videri probabile, quia non invenio jus, nec rationes, hanc Indulgentiam solidè confirmantes. Ita Fagundez *4. Eccl. præcept. lib. 1. cap. 8. num. 11.* & Layman *lib. 4. c. 1. n. 3.* Quod enim dicunt aliqui, fœminas facilius senescere, sicuti citius pubescunt, non convincit, quia ex alia parte à Jejunio, ut omnibus est compertum, non perinde ac homines, hoc est, non multum macerantur. Non nego tamen, si qua tunc

ita

ita sit debilior, ut multum molestiæ suis viribus inferat Jejunium, posse Jejunium negligere: verùm id non erit ex ætate, sed ex infirmitate.

9. Post hæc scripta incidi in Bertrandum Loth, qui *tract. 19. q. 3. art. 4.* conatur probare, esse probabile, fœminas excusari post quinquaginta annos. Scio etiam, aliquos excusare illas saltem post annos quinquaginta quinque; sed non est recedendum à nostra sententia propter rationem à nobis allatam, quæ solvi difficulter potest.

Infirmi quoad ipsum Jejunium.

10. INquires secundò: an, & quæ infirmitas excuset à jejunando? Respondeo. Notabiliter infirmos, & valetudinarios sine dubio ex omnium DD. consens cum Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 14.* excusari, etiamsi antea in infirmitatem inciderint propria culpa.

11. Idem dic de eo, qui ita ob debilem stomachum friget, ut unicam plenam refectionem, quanta scilicet ad plenam nutritionem est necessaria, sumere non possint; is enim cogitur sumere duplicem, non plenam, atque adeò legitimè Jejunium violabit.

12. Idem de eo infirmo, cui fortè Jejunium conduceret ad sanitatem; nam, esto, peccet contra temperantiam, vel sui charitatem, non jejunando; tamen, quia est notabiliter infirmus, non peccat contra præceptum Ecclesiæ, quæ omnes infirmos eximit à Jejunio.

13. Idem de eo, qui noctu dormire per notabile tempus, vel calefieri notabiliter non potest, tenet Fagundez & Joan. Sanchez, aliique apud Quintanaduennas *tom. 2. tract. 9 sect. 17.* qui Fagundez & Sanchez non obligant hunc jentare in meridie, & plenè se reficere serò, ut sic commodè dormiat; sed Quintanaduennas obligat, cui nos consensimus *sup. cap. 6. num. 34.*

13. Addidi autem illud (*notabiliter, vel notabile*) quia notandum est, non quodlibet leve valetudinis detrimentum, qualis est e. gr. extemporaneus, & brevis, remissúsque dolor capitis, vel quid simile, sed verè grave, licet fatear, propter Ecclesiæ benignitatem non necessariò gravissimum debere esse illud, quod à præcepto jejunandi liberum hominem reddat. Insuper non est expectandum ipsum actuale detrimentum; sufficit enim timor rationabilis de damno per jejunium inferendo; timor, inquam, non levis, sed mali notabilis.

15. Et quidem communiter conscientia ipsius jejunantis sufficiet, qua bona fide, sive ex experientia præterita, sive ex probabili ratione putet, sibi graviter nociturum Jejunium, vel damnum sibi eventurum. Magis autem in particulari habe hanc expeditissimam regulam.

Illa infirmitas, seu illud damnum salutis notabile est, quod operationes ordinarias cuiuslibet personæ impedit; ita ut, qui consueto suo modo operandi eas continuare commodè cum Jejunio nequeat, graviter ab illo offendi censendus sit.

16. Hinc si Scholasticus ex Jejunio capite dolere soleat, vel quomodocunque

docunque cum difficultate ſtudeat; ſi mulier ex debilitate Jejunii ſervitia domûs incommodè operetur; ſi virquilibet ſuum officium, artémque jejunando difficulter exerceat, & ſimiles, ex hoc capite damni à jejunando legitimè excuſabuntur.

17. Nutrientes, prægnantes, huc reducuntur; propter ſalutem enim, ſive infantis, ſive ſuam à Jejunio communiter excuſantur. Nec excuſantur modò à Jejunio, ſed etiam tenentur comuniter, ait Leander *diſp. 5. de Jejunio q. 76.* non jejunare; quia pro nutrimento fœtus, & ſuo non ſufficit una comeſtio: carnes autem tunc ſolùm comedere iis nutrientibus & prægnantibus conceditur, quando ſic complexio, & neceſſitas earum, vel infantium expoſcit; ſed de hoc dicemus infra, *ubi mox num. 24.* Quintanaduennas ex placito cujuſdam Medici aliquantò benigniùs loquitur.

Quod de his dictum eſt, puto etiam de fœmina, antequam concipiat, ſi à Medicis judicentur Jejunia matris nocitura proli ſuſcipiendæ, quia multum grave eſt, fœminam conjugatam, prolem probabiliter in utero concipiendam, fovere non poſſe, & ſicuti alia remedia, ſic etiam convenientia alimenta, debebit ponere, ne fœtus fortè concipiendus elangueſcat.

18. Quæres primò. Si ego maximam difficultatem ſentiam in jejunando, poſsúmne mihi perſuadere, hanc eſſe infirmitatem, méque à jejunio deobligare? Dico (*maximam*) nam ſcio, moleſtiam aliquam in Jejunio reſidere, nec propter hanc poſſe, me excuſari. Ago igitur ſolùm de difficultate magna, & extraordinaria.

19. Reſpondeo. Si difficultas oritur ex malo habitu tuo, tuáque gulositate, etiamſi ſit magna, obligaris eam vincere, & jejunare ex Filliuc. *tract. 27. p. 2. c. 6. quæſt. 1. num. 115.* omnes enim tenemur malos habitus, quamvis inveteratos extirpare. At ſi difficultas oritur ex prava corporis diſpoſitione, quia e. g. ſtomachi notabilem, atque extraordinariam debilitatem ſentias, vel inſolitam laſſitudinem, & ſimilia, excuſaberis à Jejunio, etiamſi ejuſmodi debilitas orta fuerit ex malo habitu, nimis olim comedendi, quia, tunc ejuſmodi incommoda reducuntur ad corporis infirmitatem.

29. Quæres ſecundò. An in die Jejunii licitè quis ſumat aliquid electuarii, vel ſaccaro conditum, vel quid ſimile, ut ſanitatem, vel recuperet, vel conſervet?

Reſpondeo. Ut recuperes notabilem ſalutem amiſſam, ne ſit dubium, quòd poſſis tantum ſumere, quantum proportionaliter ad ſalutem recuperandam judicatur neceſſarium; quia Eccleſia, ut dictum eſt, non præcipit Jejunium cum tanto tuę ſalutis detrimento. At, ut præſervet, vel conſervet, diſtinguendum eſt: ſi enim de propinquo prudenter timetur ægritudo, poteſt; quia id etiam præſumitur concedi à benignitate Eccleſiæ. Verum ſi ægritudo non timeatur de propinquo, licet concedat Paſqualigus *dec. 113. loco cit. q. 12.* quia ſic non ſumeretur id per modum medicinæ, quæ ſupponit vel malum actuale, vel ſaltem de propinquo.

pinquo. Adde, hoc modo nimiam dari ferè omnibus licentiam, Jejunia negligendi; omnes enim de remoto timent ægritudinem.

Infirmi quoad carnes comedendas.

23. INquires tertiò. Quænam infirmitas concedit usum carnium in diebus prohibitis?

Respondeo, certum esse, ei, cui ex periti judicio nocent graviter cibi legales, licitum esse adhibere carnes.

Animadvertit autem Quintanaduennas, *tom. 2 sing. tract. 9. sing. 1. cum Joan. la Cruz, Trullench, Joan. Sanchez*, illum, qui expertus sibi nocivum jam esse in Quadragesima, vel diebus prohibitis, carnes non comedere, non teneri futuris Quadragesimis à carnibus abstinere, nisi maximè dubitetur, causam nocumenti cessasse. Addit ibidem sic idem Qintanaduennas: Illis etiam, de quibus prudenter timetur, aut probabiliter dubitatur, an carnibus non utendo, grave, aut considerabile damnum perpessuri sint, esus carnium concedi potest, quia in dubio à me benignior pars, aut interpretatio est tenenda; & quia in dubio melior est conditio possidentis, cùm in homine certior, & antiquior sit possessio, & jus non solùm ad conservandam vitam, sed etiam ad eam non exponendam periculo amittendi, quamvis adsit possessio præcepti abstinendi à carnibus, melior est illius, quàm istius conditio; præsertim quia cùm idem jus habeatur ad vitandum damnum salutis, quàm ad illud vitandum, de quo probabiliter dubitatur, ergo si ad illud conceditur esus carnium etiam ad istud. Hactenus Quintanaduennas afferens pro hac sententia utrumque Sanchez, Sylvestrum, Trullench, Henriquez.

22. Singulos autem morbos in particulari recensere, quibus concedi potest carnium usus, ad medicos potius pertinet, quàm ad Theologos. Nihilominus proferam hìc nonnulla ex ijs, quæ prædictus Quintanaduennas affert *loc. cit. sing. 1.* ex insigni medico, ut ipse ait, Petro de Peramoto, qui *in libr. de piscium insalubritate* sic habet *pag. 1.*

23. *Qui licèt ad præsens sani sint, per successivam tamen alterationem morbis aliquibus corripi certis temporibus solent, Epylepsia scilicet distillationibus, podagra, renum calculo, aut aliquo febrium genere, iis talem victum convenit præscribere, qualis cum morbo, ad quem sunt proclives, infestantur, præscriberetur.*

Et inferiùs: *Malè autem sanis, & iis, qui ipsis sunt viciniores, esus carnium intrepidè est concedendus. Quibus annumerandi sunt pueri, qui primum septennium non sunt transgressi, & senes, qui sexagesimum suæ ætatis annum excesserunt.* Verùm de his senibus vide, mox quæ dicam *n. 25.*

24. *Uterum item gerentes quæ rusticæ, & validæ non sunt, & insuper, quæ pueros nobiles lactant nutrices. Religiosi insuper, & alij, qui cùm boni viri sint, valde de se conqueruntur, quidam enim sunt, qui conqueruntur de vertigine; dormire nequeunt alij; plurimi verò ad opera, & officia sibi injun-*

eta debiles, ac parum aptè reddantur, quæ omnia carnium esu corrigi experimur. Hæc ex Peramoto Quintanaduennas.

His rectè addit Leander, *disp. 5. de Jejunio quæst. 57.* Prægnantibus debere dari carnes, si eas vehementer appetant, quia aliàs esset periculum abortus, ut notat Azorius, Bonacina, Trullench.

25. Pergit deinde sic Quintanaduennas, limitando meritò dictum Peramoti. In quibus non placet, sexagenarijs esum carnium concedere, cùm ratione ætatis non eximantur à negativo præcepto carnes, immò & lacticinia non edendi in diebus prohibitis, sed solùm à Jejunio. Conceditur autem sexagenarijs esus carnium, aliquam causam habentibus, licet esset levior, quàm illa, ob quam concederetur alijs ante hanc ætatem.

26. Et paulò post. At verò, ait, omnibus præfatis major causa debet adesse, ut per annum diebus prohibitis carnes edant, quàm in Quadragesima, cùm in hac per quadraginta dies continuos piscibus vesci, majus nocumentum haberi, aut timeri possit, quàm haberetur, aut timeretur in horum ciborum comestione per unum, aut duos dies in qualibet hebdomada. Hæc ille.

Infirmi quoad lacticinia.

27. INquires quartò: quid de infirmis quoad lacticinia?

Respondeo: Verbis ejusdem Quintanaduennas *loc. cit. num. 5.* Omnibus, ait, qui aliquod damnum mediocre actuale, vel habituale patiuntur, vel pati, sunt experti, vel pati timent in valetudine, concedi possunt lacticinia, & ova etiam sine dispensatione, licet hoc damnum, vel timor, aut dubium illius, sit gradus aliquantulum inferioris illo, quem necessarium esse diximus pro comedendis carnibus. Quæ doctrina præcipuè locum tenet in Hispania, tum ob consuetudinem, tum ob privilegium Bullæ, quod, ubi viget, facultatem hanc faciliorem reddit. Addit primò paulò post, satis esse quemcunque capitis dolorem, licèt levem quamcunque inflammationem gutturum, aut oculorum ad comedenda lacticinia diebus vetitis: Addit *2 singul. 5.* Omnibus etiam ferè, quia sua officia, & occupationes suas non æquè bene piscium esu exercere, aut his attendere valent; unde omnibus Canonicatoribus frequenter, bis e. g. in hebdomada Quadragesimæ prædicantibus. Omnibus Magistris Philosopiæ, & Grammaticæ, qui saltem duas lectiones unius horæ habent quotidie manè, vespere, ac similibus. Addit tertiò, Omnibus item, qui sedulò ad studia, sive scholastica, sive moralia, sive politica incumbunt, ut sunt Magistri plures, præsertim Religionum, & eorum Religiosi scholastici (de his expressè docti Juniores, & inter eos doctissimus Pater Idelphonsus Rodericus in materia de Jejunio.) Addit quartò. Illis item ea concederem, qui frequenter confessionibus adsunt, & Choro nimis prolixo, ut sunt Chartusiani, & S. Hieronymi Religiosi. Idem Advocatis, & jurisperitis, & studio incumbentibus. Idem sentit Diana de procuratoribus (vi-

(videlicet, ad lites.) De his omnibus ratio est, quia piscium esus præsertim continuus communiter lædit eos, qui ad exercitia mentis incumbunt.

28. Dixi tamen (*ferè omnibus*) quia aliqui ex numeratis ita robustæ naturæ, stomachi, & capitis esse poterunt, ut salubriter se jam diù habeant frequenti piscium esu, & ijs ova, & lacticinia, sunt deneganda, si non adsit Bullæ Cruciatæ Privilegium. Hactenus ex *Quintanaduennas*.

Meminerit autem, comedentes lacticinia, & ova debere servare Jejunium; quia, ut in superioribus dictum est, stat essentia Jejunii cum lacticiniis, quæ non stat cum carnibus.

Laborantes.

29. INquires quintò: an, qui exercent artes, vel officia laboriosa, eximantur à Jejunio?

Respondeo, sanè eximi, quando ea ejusmodi sunt, ut cum illis ferè Jejunium, valdè difficile sit; quia exercitium, quod fit cum notabili labore, consumit spiritus, affligit notabiliter corpus, illudque debile reddit; id quod piam Ecclesiam velle, non est præsumendum. Et ita explicuit Eugenius IV. relatus *in compendio privilegiorum Fratrum Minorum. Ver. Jejunium n. 2.* & tenent omnes DD. apud Pasqualig. *decis. 290.*

30. At qua ratione sciam artem, vel officium tanto labore fieri, ut pertingat ad me liberandum à Jejunio?

Respondeo, esse illud officium, & artem, quæ exercentur cum magna agitatione, seu motu manuum, & brachiorum, vel etiam pedum, ita ut motus fiat cum impetu.

31. Hinc ergo fit, ut Agricolæ, Ferrarij, Fabri lignarij, Cæmentarij, Fossores, Fullones, Lapidicinæ, Bajuli, Pistores, Textores, Molitores per seipsos, Coriarij, Remigantes, Mercenarij portantes suarum mercium capsas per urbem, Argentarij, Aurificésve malleo, vel simili gravi instrumento per laborem utentes excusentur.

32. Verùm hìc nota, laborem debere esse notabilem, nec per paucas horas, sed per notabile tempus, secus non militabit ratio consumendi spiritus, &c. Nam si quis Molitor e. g. parvo labore aquæ vi frumentum molat, vel Textrix leves victas texat, vel fullo duo, vel tria indusia lavet, non dicetur laboriosè agere.

33. Scriptores verò, Notarij, Pictores, filium ex lino, vel lana nentes, Sartores, Lectores cujuscunque scientiæ, Confessarij, Medici, Chirurgi, Barbitonsores, quia non exercent officia, vel artes, per se laboriosas, non excusantur ex hoc capite à Jejunio.

Dico (*ex hoc capite*) nam si quis hæc, vel similia ex officio suo exercens, ita sit debilis, ut suum officium alijs leve, ipsi sit notabiliter laboriosum, à Jejunio per accidens, hoc est, ratione suæ complexionis excusabitur. Hinc Scriptor e. g. obligatur ad Jejunandum, quia scribendi officium levis est laboris, fortasse modicè edens faciliùs scribet, quàm cibo refectus; tamen si cui Notario ita laboriosa succedat scriptio, ut sine duplici refectione suum munus obire nequeat, excusabitur certè per

accidens ratione suæ complexionis. Idem dic de cæteris similibus.

34. Hæc sunt certa, sed adhuc dubitabis primò: An Artifex robustus, e. g. Arator, qui cum labore potest optimè sustinere Jejunium, an, inquam, à Jejunio eximatur?

35. Respondeo eximi. Ita Fagundez, *Præcept. Eccles. 4 lib. 1. cap. 8. num.* 15. Ratio est, quia ex se omnes Artifices laboriosæ artis excusantur: quare excusabitur & hic. Atque hujus rationis ulterior ratio est, quia laboriosis artibus vacantes frequenti indigent refectione, ne in debilitatem incidant, quando minùs putant. Et quidem idem Fagundez illud addit *num. 16.* Artifices, vel similes laborantes, si fortè à suis laboriosis exercitijs vacent uno, vel altero die, non obligari regulariter ad Jejunia; quia, ne deficiant illis vires, legitimè possunt vel eas servare ad sequentia opera, vel easdem reficere pro operibus antecedentibus. At si multis vacent diebus, obligantur Jejunio, quia excusatio neque à præcedenti, neque à præsenti, neque à consequenti labore peti potest?

36. Dubitabis secundò quid, si ejusmodi Artifex Ferrarius e. g. sit dives, neque illo labore indigeat, potéstne nihilominus laborare, & non jejunare?

37. Respondeo, posse ex probabili sententia, quam sequuntur Sanchez, Bonac. Trullench, aliique cum Leandro *de Præcept. Eccles. tract. 5 disp. 8. quæst. 62.* Ratio est, tum quia ex declaratione Eugenii IV. modò relata expresè eximuntur exercentes artes laboriosas, nulla facta exceptione pro divitibus; tum quia sicuti cæteræ leges respiciunt, quod est frequentiùs; ita lex de obligatione Jejunii respicit Artifices laboriosos, qui communiter ex arte victum quærunt, & sic comprehendit omnes, etiam illos, qui per accidens divites sunt. Et sicuti eadem lex de Jejunio liberat omnes infirmos à prædicto Jejunio, esto, quòd infirmus aliquis fortassè cum Jejunio melius se habeat, ita in casu nostro.

38. Dubitabis tertiò, si quis artem, seu vivendi modum laboriosum non est ex sua conditione sortitus, potéstne ex sua voluntate laboriosum opus aliquo die assumere, & consequenter eo die non Jejunare?

39. Respondeo, si id faciat ex aliqua rationabili causa, ut quis e. g. cupiens homine, qui templum ad festum celebrandum ornaret, sanè posse. Idem erit si pietatis gratia iter pedestre arripiat ad sacram Imaginem invisendam; si flagellis usque ad sanguinem se ex amore Christi Domini Passionis se notabiliter cædat; si ad serviendum infirmis totum diem, etiam cum proprio lucro notabiliter laborando ex motivo misericordiæ, vel charitatis, consumat; ipsa enim pietas satis rationabilem causam dat in prædictis. Idem judico, si quando aliquod grave commodum laborando acquiram, vel incommodum à me grave repellam; tantæ enim gravitati indulgere putatur Ecclesia. Ita Lessius *lib 4. de Just. cap. 2. num. 43.* At si sine causa, ut si quis pedester ad venandum e. gr. solùm ob voluptatem se conferat, vel pila ludat; mul-

multò magis si cum peccato, ut si ad adulterandum, vel ad furandum dictum pedestre iter arripiat, cum id sit ponere irrationabiliter directum impedimentum exequutioni præcepti; dum præceptum urget, illicitè contra præceptum jejunandi fiet. Quare non esse excusandum censeo hominem nobilem, & divitem, qui vellet laborare, & sic non Jejunare in illo die Jejunii, etiamsi laboraret non ob finem non Jejunandi, sed propter suam delectationem; censeo, inquam, non esse excusandum, quia hunc non excusat ars, seu officium proprium, quo privare neminem intendit Ecclesia, neque necessitas neque pietatis virtus. Unde ergo excusationem exposcet?

40. At Trullench, *libr* 4. *in Decal. cap.* 2, *disp.* 3 *num.* 10. cum Medina, Ledesma, & Verricelli, *de Missio. tit.* 9. *quæst.* 159. *citante Dianam*, dicit: præceptum Jejunii non obligare ab abstinendo ab honestis actionibus, nam propter hanc eandem rationem idem Trullench, excusat eum, qui semel, aut iterum pilæ ludum assumit, licet prævideat, non posse deinde, propter laborem ludendi, Jejunare.

41. Respondeo negando, præceptum non obligare ab abstinendo ab honestis actionibus sine causa assumptis; siquidem, dum urget præceptum, vel est in proximo, obligor non apponere impedimentm ad præcepti illius exequutionem, quia secus possem die Dominico dormire, quæ certè est actio honesta, & sic excusari ab auditione sacri. Quare negandum omninò est, quòd tunc liceat pilâ ludere, nec semel, nec sæpè (quia semper est par ratio) & sic non jejunare. Unde etiam infero, te non posse licitè sumere medicamentum, cum quo jejunare non potes in die Jejunii, vel cum quo audire sacrum non vales in die festivo, si nulla causa urget, & facilè potes in sequentem diem illud assumere, vel ante prædictum diem Jejunii tibi de illo providere. Lege Castropal. *tom.* 1. *disp. de leg. p.* 21. Merollam *tom.* 1. *disp.* 4. *de leg. cap.* 3. *dub.* 37. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 15.

42. Admitto nihilominus tanquam certum, si (quamvis cum peccato) te ita defatigasti, ut non valeas Jejunium pati; peccasse te quidem, dum impedimentum Jejunio appoluisti, at poteris deinde sine novo peccato comedere, quia tunc verè incapax es macerationis Jejunii.

43. Hûc incidit illa quæstio, an, & quo peccato quis peccat, si noxios cibos comedat, unde sequatur, eum incidere in infirmitatem, qua impediatur postea ab observatione Jejunii?

44. Respondeo. Tres hîc casus distinguendos esse. Primus: *Ego cibos noxios comedo, vel nimis comedo; id est, excessivè, prævidens, me gravem infirmitatem contracturum, nihil tamen advertendo de Jejunio, peccóne?* Dico, te peccare quidem contra temperantiam, & contra propriam charitatem, graviter, vel leviter juxta damnum, quod tibi infers; non verò contra præceptum Jejunii, quia in hoc casu nulla ratione advertis ad præceptum Jejunii.

45. Secundus casus est. Si prædictos cibos comedas cum prævisione tum futuræ infirmitatis, tum futuræ impotentiæ, qua non jejunabis. Ad hunc dico, tunc peccari quidem modo dicto in casu præcedente, sed regulariter non peccari contra præceptum Jejunii, quia præceptum jejunandi est, ut in die præcepto jejunem, non verò ut in diebus ante præceptum me aptum reddam ad illud; hoc enim esset nimis onerosum Fidelibus. Quòd si illi noxiæ comestioni conjungitur impotentia jejunandi, id per accidens est, tibi illam impotentiam non intendenti; neque enim ad comestionem sequitur tanquam ex causa negatio Jejunii; nam hæc Jejunii negatio sequitur ad ipsam impotentiam ortam ex comestione. Quare negatio Jejunii est quid remotum respectu comestionis, ad quæ remota removenda non obligat præceptum.

Dixi tamen (*regulariter*) quia ita solet esse, ut infirmitas ex cibis noxiis non timeatur futura eodem die; si enim in aliquo raro casu prævideretur infirmitas futura in eodem die Jejunii, vel tempore illi diei proximo, peccaretur sanè contra præceptum Jejunii ex illo principio paulò ante à me allato, quia nimirum quodcunque præceptum de aliqua re obligat, ne, quando præceptum urget, vel est in proximo, ponatur impedimentum observationis illius: sicuti, ut ibidem dixi, præceptum de audiendo sacro die Dominico obligat ad non ponendum eodem die, vel proximè ad illum, somnum e. g. quo posito, ego illud audire non possum.

46. Tertius casus est. Si prævideas infirmitatem, prævideásque, te fore, eâ contracta, impotentem ad jejunandum, & insuper intendas consultò noxia comedere, ut sic factus jam impotens, non obligeris jejunare. Et ad hunc casum dico, te illa comedendo peccare contra præceptum Jejunii, ultra peccatum contra temperantiam, vel propriam charitatem, etiamsi id facias multis diebus antea, intendásque multis item ante diebus, quàm veniat dies Jejunii. Ratio est, quia sic haberes actum voluntatis, te subtrahendi à præcepto Ecclesiæ, dum præceptum urgebit. Non sic ille, qui exit de Territorio, ubi adest præceptum Jejunii, & transit eodem, vel præcedentibus diebus ad locum, ubi non adest: vel ille, qui tentat obtinere legitimam dispensationem à præcepto; nam & ille se transferens ad eum locum, & hic dispensatus, sanè post transitum, vel post dispensationem à nullo præcepto urgetur, illud enim à se veluti excussit legitimè. At in hoc, de quo loquimur, etiam contracta jam infirmitate, remanet, ut in cæteris Fidelibus præceptum. Id quod etiam dico de ludente pila, vel eunte ad venandum, déque similibus assumentibus ejusmodi voluntarias actiones sine causa; unde intendat fieri impotens pro illo, vel sequentibus diebus ad Jejunium. Is enim, quia per infirmitatem, vel debilitatem non excutit à se præceptum, sed solùm excusatur ab illius observantia (valde enim diversa sunt, non habere præceptum, & excusari à præcepto, cui quis verè subjicitur, ut communiter docetur in

tract.

tract. de legibus, & nos diximus *supra cap. 2. num. 2.*) quia, inquam, à lege præceptum non extulit, sequitur eum delinquere, quia facit illum actum, illamque operationem exequitur, dum est sub præcepto; & dum facit hunc actum: volo noxia manducare, vel pilá ludere, ut sic excuser à Jejunio, ponit voluntarium impedimentum, ut illud præceptum, cui subditur, non observet. Et licet, quando est infirmus, non peccet non jejunando, quia ab impotentia excusatur, peccavit tamen, quando ad dictum finem non jejunandi impedimentum voluntariè admisit. Lege Thomam Sanchez *in consil. lib. 5. c. 1. dub. 7.* Joann. Sanchez *disp. 14. n. 20.* & Leandrum *tract. 5. de Jejunio disp. 2. quæst. 158 & disp. 9. quæst. 1.* Sed materiæ necessitas diutiùs nos coëgit in hoc casu immorari. Redeamus jam ad dubitationes de officiis laboriosis.

47. Dubitabis ergo quartò de Sutoribus, Concionatoribus, de iter facientibus, an scilicet hi excusentur propter suum laborem à Jejuniorum observantia?

48. Respondeo, quoad primum. Sutores, qui ii sunt, qui calceos consuunt, ego nequaquam excuso, sicuti *sup. n. 33.* non excusavi Sartores, quia non videtur ars sutoria, sicuti nec sartoria admodum laboriosa. At Lessius *lib. 4. c. 2. dub. 6. n. 43.* cum aliis excusat Sutores, non verò Sartores, quia tractare corium cum manibus, brachiis, pedibus, ut ii faciunt, superat (ait Lessius) laborem Sartoris. Ego id eorum conscientiis, qui suum laborem rectè callent, remitto.

49. Quoad secundum de Concionatoribus distinguendum puto. Si per totam Quadragesimam quotidie, vel etiam ter, vel quater in hebdomada consuetam Concionem unius horæ plus, minus habeant ad populum, affirmativè; hoc est, excusari à Jejunio est respondendum; tametsi voluntariè, & cum spe lucri, seu eleemosynæ (est enim opus per seipsum) concionentur. Legite Dianam *p. 1. tract. 9. resol. 10.* Si semel, aut bis in hebdomada, negativè est respondendum. Ratio utriusque est, quia frequens illa dicendi exercitatio juncta cum necessario mentis labore, labor videtur non contemnendus, qualis certè in raris concionibus non apparet. Quòd si quis adeò sit, vel fiat debilis ob unam, vel alteram concionem, tunc poterit à Jejunio excusari. Verùm id non est per se, sed per accidens, ratione talis personæ. Id, quod extendit Sanchez *lib. 5. consil. cap. 5. dub. 13. num. 16.* etiam ad diem præcedentem concioni, si debilitas judicio prudentis idem requirere videatur.

50. Quoad tertium, de iter facientibus est distinguendum. Nam iter faciens pedester per totum diem, vel majorem diei partem; ut faciunt Cursores, seu Tabellarij, litteras ex una civitate ad aliam portantes, excusandi sunt, quia verè hoc laboriosum est officium, non patiens Jejunium; at iter agens equestris, vel lectica, vel navi, per se non excusatur, quia contra is labor compatitur cum Jejunio.

Dico (*per se*) si enim ratione complexionis infirmæ, vel ob gravem nau-

seam

ſeam in navigio, vel quid ſimile aliquid illi accidat, quo notabile damnum patiatur ob Jejunium, nemo negabit, eſſe tunc illum excuſandum. Qui autem navigans gravem nauſeam patitur, & fortaſſe cibos etiam evomit, videtur indigere carnibus, ut ſtomacho vehementer laboranti ſuccurrat. In quo tamen caſu, & ſimilibus certa regula dari non poteſt; ſed periti, vel conſilium, vel conſcientia ipſiuſmet nauſeantis adhibenda pro regula eſt.

51. Nota denique, nonnulla ex prædictis confirmari, immò & probari ex Decret. SS. Alex. VII. cujus ſupra meminimus, qui in hac materia Jejunii præter propoſitiones, quas attuli *cap. 4. num. 9. & cap. 5. num. 42.* has alias damnat, quæ ſunt 30. & 31.

30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Jejunio.*

31. *Excuſantur abſolutè à præcepto Jejunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

Hæ propoſitiones ſunt damnatæ, ſaltem tanquam ſcandaloſæ, & ſub peccato mortali prohibitæ, ne quis illas in praxim deducat.

52. Dubitabis quintò de Muſicis, ſeu Cantoribus.

Reſpondeo. Ad hanc dubitationem ſic reſpondet Joann. Sanchez *diſp. 44. n. 18. Cantatores*, inquit, *conducti ad canendum, ſive ſalarium ob id habentes, poſſunt non ſervare Jejunium, ſi ad canendum redderentur inhabiles. Addit, eos poſſe in Quadrageſima veſci ovis cauſa vocis conſervandæ; non enim cauſa Jejunij aſtrictus eſt aliquis diminuè ſuum exequi munus.* Hæc ille, quæ certè probabilia ſunt, ſi adſit illa cautio, quæ admodum eſt notanda (*ſi ad canendum redderentur inhabiles.*) Legatur etiam Diana *p. 1. tr. 9. reſol. 11.* qui ait: *Id urgentius procedere in Cantoribus canentibus in Camera ad Principis cujuſcumque ſolatium.* Hæc ille, & quidem probabiliter propter tandem rationem à nobis dictam, quia ſcilicet Eccleſia non intendit obligare ad Jejunia cum tanto diſpendio, quo quis ſua officia, ſuasque profeſſiones ratione Jejunii exequi non valeat, ſicuti de hoc Principis cantore ſupponimus. Nam cæterum, ſi ſupponas, id fieri propter ſolam voluntariam delectationem, ſanè non eſſet apta excuſatio, ſiquidem recurreret doctrina, quam *ſupr. n. 38. & ſeqq.* attulimus.

53. Dices: ergo vera eſſet conſequentia, quam inducit Caramuel *in Theol. Fund. Fundamento 53. §. 26.* allatus à Diana *p. 11 tract. 1. reſol. 4.* his verbis: *Muſici*, ait: *à Jejunio excuſantur: at omnes Religioſi, qui Chorum habent, ſunt Muſici, nec ſunt in Mundo Muſici, qui plus cantent, quam hi Religioſi, ergo hi excuſantur à Jejunio.* Hæc Caramuel.

Reſpondeo eo modo, quo rectè reſpondet idem Diana, *loco cit.* negando conſequentiam, & afferendo diſparitatem; nam Muſici excuſantur propter ſalarium, quod amitterent, & ne diminutè exerceant munus ſuum, ad quod

quod tenentur, & ne reddantur inhabiles ad canendum cum periculo damni notabilis propter vocis amissionem; sed Religiosi satisfaciunt muneri suo canendo in Choro, sive cum voce sonora, sive cum rauca, nec timent (ut timent musici) esse dimittendos à servitio Ecclesiarum, vel Principum cum suo notabili damno, sed semper securi sunt, sive bonam, sive malam vocem habeant, quòd invenient mensam paratam cum solitis cibis. Adde, musicos, qui canunt figuratè, non solùm laborare corpore, sed etiam mente, siquidem egent maxima attentione ad notas musicales, & ad mensuram temporis, quam dat Cappellæ Magister, cum contra Religiosi absque labore canant in Choro, canunt enim eodem semper modo consueto, & sono vocis facili.

54. Si quæras. Religiosus ex addictis Choro, si cum Jejunio valdè notabiliter elangueseeret in canendo, dicto consueto modo (id ita supponatur) quid potiùs eligere obligaretur, choro satisfacere, non Jejunando; an Chorum relinquere, & Jejunare?

Respondeo: Hoc posterius eligere omninò debere. Ratio manifesta est, quia obligatio satisfaciendi Choro est communitatis, quæ semper suos Choristas habet pro satisfactione Chori; at obligatio Jejunandi est personalis pro unoquoque Religioso; qui, si non potest cantare in Choro injejunus, satisfacere obligabitur Jejunus horarum Canonicarum obligationi privatim.

55. Dubitatur sextò: An opinio illa sit probabilis, quæ docet, omnes artifices, sive artem laboriosam exerceant, sive non laboriosam, sed solùm ex eo, quòd sint artifices, eximi à præcepto Jejunij?

Respondeo, non esse probabilem. Quare non est audiendus Leander *disp. 8. de Jejunio quæst. 69.* putans, eos omnes eximi, & afferrens pro ratione, quia Eugenius IV. exemit omnes artifices, seu opifices, suas artes exercentes: non est, inquam, audiendus; quia Eugenius non omnes artifices, sed artifices laboriosas artes exercentes à præcepto jejunandi liberat. Et sanè miror (ut etiam miratur Pasqualigus *decis. 37.*) quod Leander *in prædicta quæst. 69.* non apposuerit illud verbum (*laboriosas*) cum ipsemet paulò ante, nempè *quæst. 60.* attulerit declarationem Eugenii, illud verbum apponentis. Hæc sunt Eugenii verba, ut Leander ipse rescribit ex compendio privilegiorum Fratrum Minorum.

Idem Eugenius declaravit, quòd artifices laboriosas artes exercentes; & rustici, sive divites sint, sive pauperes, non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis.

Hæc Eugenius, cum quo DD. omnes, & SS. Alex. VII. modò *num.* 51. relatus: ubi tamen nota, quòd, cum dicit (*& Rustici*) intelligit, ut colligitur ex contextu de rusticis, qui laboribus vacant, secus nimis absonum esset, dicere, omnes rusticos etiam per annum otiantes à tam notabili præcepto Ecclesiæ liberari.

Confirmatur primò nostra responsio, quia si esset probabilis sententia prædicta Leandri, omnes artifices, etiam

tiam cujuscumque levissimæ artis, etiam quando per longum tempus nihil laboris assumunt, à præcepto Jejunandi essent immunes; quia jam sunt artifices: quod inconveniens manifestè ostendit, non fuisse mentem Pontificis tam irrationabilem, qualem Leander affirmat.

Confirmat secundò, quia idem Leander *ibid. quæst. 30.* volens excusare Barbitonsores à Jejunio non recurrit ad dictam declarationem Eugenii; fortassè enim vidit, inde excusationem hanc deduci non posse; sed recurrit ad laborem talis artis, sic dicens: an Barbitonsores ad præceptum Ecclesiasticum Jejunii teneantur? Respondeo affirmant teneri omnes Doctores pro prima sententia nuper allati, sed probabiliter dico, non teneri, dummodò per totum integrum diem suam exerceant artem; secus, si per aliquam tantùm partem diei.

Paupertas.

56. INquires sextò: An pauperes excusentur à Jejunio?

Respondeo: Quòd, qui adeò pauper est, ut non habeat, unde plenam refectionem faciat, non obligatur ad Jejunium, certum esse, quia tantam inediam Ecclesia non jubet. Quæri igitur solùm hìc debet primò, an obligetur ad Jejunium, qui solùm panem habet? Secundò an, qui panem, & vinum habet dumtaxat? Tertiò an qui panem, vinumque habet, & simul aliquod obsonium ex levibus, vel olivas e. g. vel nuces, vel parvulum siccatum piscículum? Quartò, an qui hæc habet simul, hoc est, cum pane, & vino habet olivas, nuces, legumina, &c.

Dico jam primum, & secundum, hoc est, eum, qui solum panem; vel solùm panem, & vinum habet à me non obstringi ad Jejunium, quia sic nimis illud onerosum esset, & laboriosum, ad quod benignitas Ecclesiæ non præsumitur suos fideles obligare.

De tertio, hoc est, de eo, qui panem, vinum, & leve unicum obsonium habet, ego distinguerem; si enim is habet panem, vinum, unumque obsonium ex levibus dictis, ipsum obligarem, si ratò id contingat: e. g. semel, aut iterum, non verò sæpè. Ratio est, quia si sæpè, nimis maceratur, atque extra modum corpus, quæ certè nimia macératio non habet locum, si id ratò contingat, præsertim in homine rustico, firmæque sanitatis.

De quarto, hoc est, de eo, qui habet panem, vinum, & multa levia obsonia, dico, me non audere illi dare facultatem non Jejunandi (quidquid nonnemo in contrarium sentiat, sic autem sentit Verricelli *de Missionib. tract. 4. quæst. 94. §. 23. dub. 11.* citans Palqualigum, etiamsi solitus sit comedere) quia sufficiens haberi alimentum à multis cibis vilioribus potest, quod ab uno, vel altero meliore potuisset. Et sanè, si etiam in civitate magna Jejunia communium personarum perscruteris, invenies solis hisce levibus obsoniis suas esse mensas instructas.

57. Quæres primò. Quid, si quis haberet solùm panem, & simul carnes, nec aliud illi suppeteret obsonium, ut si esset rure à civitate distante, haberet ca-

tamen carnes ex venatu, poteritne carnes cum pane comedere, & sic Jejunium non observare?

58. Respondeo: Huic dubitationi sic respondet Pasqualigus *decis. 49. Arbitror*, ait, *quòd si etiam per unicum tantùm diem careret quis aliis cibis concessis, posset loco ipsorum vesci carnibus cum solo pane, quia lex prohibens carnes non intendit tantam macerationem, ad eóque admodum extraordinariam; quare lex Jejunij sic nimis esset onerosa, si solo pane contentus esse tunc quis deberet.*

Eidem dubitationi Sanchez *libr. 5. const. c. 1. dub. 19. num 7.* sic respondet. *Tandem nota multò majorem necessitatem requiri, ut fas sit in diebus prohibitis vesci carnibus; unde si nullus alius esset cibus, nisi panis, non liceret carnibus vesci, nisi per plures dies duraret inedia, ut in longa navigatione, vel atroci bello, ubi deest victus.*

Denique eidem dubitationi Leander, *tract. 5. de Jejunio disp. 2. quæst. 19.* cum præmisisset, sententiam Pasqualigi, ut est ab ipso absolutè prolata, esse nimis laxam. Respondet sic. *Vel persona cui dictus casus contingeret, est nimis delicata, assuetáque epulari splendide, ut sunt Magnates, & Principes; vel est persona robusta, & enutrita vilibus escis, ut sunt Pastores, & Rustici; si sis ex prioribus, potes amplecti sententiam Pasqualigi; si ex posterioribus, nequaquam: quia prioribus nimis extraordinarium esset sic jejunare, etiam per unum diem; at posterioribus, utpote assuetis sæpissime ad solum panem comedendum, non videtur esse licitum negligere tantum præceptum de abstinentia à carnibus in diebus vetitis.* Hæc Leander, cujus sententiam amplectendam puto, quam etiam sequitur Diana, *par. 10. tract. 14 res. 59.*

Si quis non haberet, nisi panem, & aliquid lacticinij, simili modo discurrendum est de hoc, ac de eo, qui solùm habet carnes cum pane, sed adhibenda illa monitio toties dicta, ut scilicet etiam servet Jejunium, quod stat cum lacticinijs, non verò cum carnibus.

59. Quæres secundò: An hic teneatur dicta lacticinia assumere, ut sic jejunet, an potiùs licitè posset esse contentus suo solo pane, & multoties illum in die comedere, & Jejunium observare?

60. Respondeo cum Thom. Sanchez *lib. 2. const. cap. 1. dub. 32.* qui sic docet. Licet probabile sit, non teneri; at probabilius est, teneri. Ratio est, quia hoc præceptum Jejunii est principale, & ita, si non potest aliter servari, nisi comedendo ova, tenetur, ut possit illud servare. Sicut ille, qui non potest jejunare, nisi anticipando tempus, & horam prandij consuetam tenetur jejunare, illam anticipando, ut supra dixi. Sic docti Junjores. Hactenus Sanchez.

61. Quæres tertiò: Probabilísne judicanda est doctrina Laym. *lib 3. tr 8. cap. 3. num. 3.* & Tanneri, *tom. 3. disp. 3. quæst 3 num. 108.* quam etiam approbat Gobat, *de ebrietate cap. 23. num. 234.* qui excusant illos pauperes à peccato, qui die Cinerum assumunt reliquias carnium donatas à dicitoribus, rationémque reddunt, quia in tanta co-

pia egenorum non est mens Ecclesiæ, ut eæ carnes proficiantur carnibus.

62. Respondeo. Si egenus aliud non habeat, nisi solùm panem, tolerari potest hæc sententia, sed juxta explicationes modò allatas: at secus, pace tantorum virorum, non est probabilis, nec tuta ejusmodi sententia. Siquidem deperditio illarum reliquiarum, quantacumque sit, non potest prævalere, ita ut negligantur duo præcepta tam gravia, id est, jejunandi, & abstinendi à carnibus.

63. Huc pertinet illa opinio Leandri, Henriquez, Sanchez aliorumque apud Pasqualigum, *decis.* 82. qui dicunt, posse pauperes mendicos comedere in Quadragesima lacticinia: quamvis Bulla Cruciatæ careant, quando in locis, ubi est usus Bullæ, divites, qui comedunt lacticinia, dant lacticiniorum reliquias prædictis ostiatim mendicantibus. Et prædicti quidem DD. reducunt id ad privilegium paupertatis, vel ad parvitatem materiæ. Ipse autem Pasqualigus reducit ad necessitatem, quia non habent aliud, quo sustententur.

64. Sed profectò tanta licentia non est concedenda; quia ubinam legitur hoc paupertatis privilegium? Si autem id reducas ad parvitatem materiæ, nihil novi dicis, quia hæc, si verè sit materiæ parvitas, conceditur sine mortali omnibus Fidelibus: Si denique confugis ad necessitatem, redit communis doctrina modò allata de eo, qui non habet nisi solùm panem.

65. Quæres quartò. Qui habet, unde vivat, non verò unde restituat, vel unde alat propriam familiam, potéstne primò is, qui arte, vel officio laborioso caret voluntariè tamen laborare, & consequenter non jejunare, ut pretio ex opere laborioso conquisito solvat, quod debet, vel quo familiam sustentet? Potéstne secundò, de victu sibi detrahere, & consequenter propter parvitatem sui victus non jejunare, ut nimirum sic pecuniam accumulans, suis creditoribus, ac familiæ satisfaciat?

66. Respondeo: Utrumque licitè posse; quia restitutio est obligatio justitiæ, & sustentatio familiæ est (juxta naturali) obligatio charitatis; quæ duæ obligationes prævalent præcepto Ecclesiæ Jejunii, quòd certè non est impositum ab Ecclesia cum tanto rigore.

66. Instas: Si potest, obligatúrne? Respondeo, ad finem restituendi, puto, non obligari; poterit enim debitor sibi persuadere, creditorem nolle esse tam severum, ut obstringat debitorem ad conquirendam pecuniam medio tam extraordinario, quale est contra suam professionem serviliter laborare: ut etiam, universaliter loquendo, non obligaretur quis laborare propter dictum finem die festivo, in quo omnibus conceditur quies ad vacandum DEO. At vero ad finem substentandi familiam sanè obligari, censeo; quando tanta necessitas premit, ut sine illo labore, etiam festivo, notabile damnum ejus familia patiatur; tunc enim necessitas illam alendi urget patrem familias, maximè propter magnam obligationem charitatis, quam erga

erga illam habet; quæ obligatio, cùm sit de jure naturæ, prævalet obligationi ex præcepto Jejunii, quæ est de jure Ecclesiastico.

Ratio Conjugij.

68. INquires septimò: Conjux eximiturne aliquando à Jejunio propter solá rationem ipsam conjugii?

69. Respondeo sanè aliquando eximi; & primo quidem in eo casu, quo non posset alteri conjugi reddere debitum, si jeiunaret. Ratio ejusmodi exemptionis est, quia Jus Justitiæ, quod habet conjux in corpus alterius coniugis prævalet præcepto Ecclesiæ, nolentis cum tanto rigore Jejunium; immò peccaret tunc coniux jeiunando, quia faceret contra dictum Jus.

Liberatur secundo, si eadem uxor ita prohibeatur à viro jeiunare, ut si jeiunet, rixæ oriantur, & notabiles discordiæ; quamvis enim peccet tunc vir, si id sine sufficienti causa faciat, uxor tamen, si obediat, non delinquet, propter rationem numero præcedenti dictam. Aliqua minutiora de hac excusatione, ducta ex ratione conjugii, vide apud Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 3. n. 10.*

70. Eximitur tertiò. Uxor Catholica, si prohibeatur à viro hæretico jeiunare, idque non in contemptum Ecclesiæ, vel præcepti jeiunandi, sed ob alias causas, puta, ob incommodum parandi cibos Quadragesimales, ob dispendium eosdem emendi, vel quid simile. Ita Azor 1. *p. lib. 7. c. 18. q. 7.* aliique. Ratio est ferè eadem, ac modò dicta.

De Latina uxore Viri Græci.

71. EX hac ultima doctrina resolvitur illa dubitatio, quæ insurgere solet de fœmina Latina, quæ fit uxor mariti Græci, suo ritu Græco viventis; an scilicet illa possit ex hac ratione coniugii cum Græco Jeiunia indicta à Latino ritu negligere, ut etiam carnes comedere die Sabbati, cùm Græci eas tunc comedant, licet ab eisdem abstineant die Mercurii?

72. Ad hanc dubitationem sic respondet Verricelli *de Missionibus tit. 3. q 83.* Quando, inquit, sine gravi incommodo potest uxor Latina suum ritum servare, tunc non potest sequi ritum sui viri; ut patet ex constitutione Clem. VIII. & paulò post. Quando autem absque gravissimis molestiis, & jurgiis nequit uxor Latinum suum ritum servare, tunc poterit servare ritum Græcum. Debet autem esse molestia multùm gravis arbitrio prudentis. Ita responsum est à Theologis deputatis in Congregatione habita Romæ coram Eminentiss. Card. de Cremona die 7. Julii 1639. Probatur primò, quia lex Ecclesiastica non obligat cum gravi damno juxta communem Doctorum sententiam, nam lex humana debet esse moraliter possibilis, & humanæ fragilitati accommodata. Ita Major, Navarrus, Suarez, Layman, Felinus. Probatur secundò, nam diversitas ritus præsertim servatur in observatione Jejunii, atque festorum, sed ab his præceptis excusatur uxor, contradicente viro, ac graviter indignante (semper intellige remoto con-

temptu, vel gravi scandalo.) Ita Abbas, Navarrus, Lessius, Sà, Suarez, Fagundez; & quoad auditionem Missæ docent Toletus, Azor, Fagundez. Hactenus Verricelli.

De Græco Latinè Jejunante.

73. Quandoquidem autem facta hîc est mentio de Græcorum Jeiuniis, non erit inutile inquirere, an Græcus, Græco ritu vivens, possit licitè servare Jeiunia Latinorum, & negligere sua.

Antequam respondeam, sunt recolendæ aliquot dispositiones Clem. VIII. circa hoc argumentum; is enim *in constit.* quæ incipit *SS. Dominus noster*, *data die 3. Augusti 1595.* quæ continet instructionem super aliquibus ritibus Græcorum pro Episcopis Latinis, in quorum Diœcesibus Græci, vel Albanenses, Græco ritu viventes, degunt; Is, inquam, postquam dixisset de totali ritu Græcorum (*Latina uxor non sequatur ritum mariti Græci*) sic habet circa finem de peculiari ritu Jejuniorum.

Tolerandus est apud Græcos usus carnium die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, & inter eos tantùm.

Item tolerandum est, ut ad Jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima (excepto uno Sabbato Sancto) ex antiqua traditione non teneatur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

Item in Jejuniis biduanis, vel triduanis, vel alias Diœcesanis, vel in Jubilæis à Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus in alium diem pro plebibus Græcis ab ipsis diœcesanis Apostolica Authoritate SS. Domini nostri Clementis VIII. permittitur commutari.

Item si ipsi Græci ad observantiam Jejuniorum, & Vigiliarum Latinæ Ecclesiæ induci possent, optimum esset; sed non cogantur, cùm ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria sexta jejunent. Hactenus Pontifex.

74. Ex cujus ultimis verbis habetur jam responsum ad propositam numero precedente quæstionem.

Sequitur enim ex his primò. Græcum Græco ritu viventem, posse licitè sui ritus Jejunia negligere, & servare Jejunia Ecclesiæ Romanæ; non enim Pontifex aliquid rationabile expoceret, si vellet, ejusmodi Græcos utriusque Ecclesiæ Jejunia servare.

Sequitur secundò. Loquutionem esse de omnibus Jejuniis, tum hebdomadariis quibuscunque, tum de annuis, quia Pontifex optat, ut Græci, quoad Jejunia, sint omninò conformes cum Latinis.

Sequitur tertiò. Id Græcum facere posse sine mutatione ritus quoad alias suas observationes. Patet sequela, quia si ita non esset, Pontifex nihil concederet Græco, ut Græco, sed solùm vellet, ut Græcus mutaret suum ritum, & amplecteretur ritum Latinorum. Et iterum confirmatur dicta sequela, nam in prædictis verbis Pontificis apparet, ipsum loqui dumtaxat de observatione Jejuniorum, non verò de ritu quoad alia.

Confirmatur item, quia Pontifex vult, ut ipsi Græci suaviter inducantur ad Jejunia Latinorum observanda. Ipsi Græci,

Græci, inquit, quæ locutio arctat, sermonem esse de ipsis Græcis, dum sunt in ritu Græco.

Confirmatur denique, quia illud (*non cogantur*) manifestè ostendit, locutionem esse de Græco persistente in proprio ritu; nam si locutio esset de Græco transeunte ad ritum Latinum, sanè cogi tunc deberet ad latina jeiunia, non hortari duntaxat.

75. Quæres. Ex hac voluntate Pontificis possumúsne tutò colligere, aliquem Græcum posse primò, toto suæ vitæ tempore, Latinorum Jeiunia licitè amplecti, & Græcorum omninò negligere?

Secundò: possémne ejusmodi Græcus, ita se gerere, ut per aliquod tempus, seu per aliquot annos Jeiunia Latina servet, sed postea ad Græca cum libertate redeat, & rursus ad Latina, vel vicissim Græca pro sua commoditate, & voluntate reverti?

Respondeo. Primum omninò licitè posse, id enim Summus Pontifex exoptat; sic enim ipse vellet, ut omnes Christiani eundem ritum observarent quoad Jeiunia, & utinam etiam quoad alias observationes, amplectentibus scilicet omnibus latinos ritus.

Quoad secundum, quamvis animo propendeam ad affirmandum, etiam licitè posse; quia ex una parte id significare videtur Pontifex, dum ipsiusmet Græci voluntati se remittit; & ex alia parte sic suavius adducerentur alij omnes ad ritum latinum amplectendum, quod maximè Pontifex optare videtur; quamvis, inquam, ad id propendeam, me tamen juvat tantisper expectare, donec doctiorum consensus ad idem accedat.

Post hæc scripta incidi *in quæst. 80.* prædicti Verricelli *loco cit.* qui valde favet huic meæ propositioni, immò illam sequitur *num. 3.* quoad Græcos accedentes, vel habitantes inter Latinos ex ea ratione, quòd possint, se conformare ritibus, & legibus loci, sed præter consecrationem in fermentato, nam hanc illis Pius V. & Concil. Florentinum præcipit.

Damnum notabile.

76. INquires octavo. Si ex Jejunio aliquod extrinsecum damnum mihi sequuturum sit, excusabórne, illud non observando? De extrinseco damno hîc loquor, nam de damno intrinseco, quod Jeiunanti fortè contingeret in sua salute, dixi supra eodem hoc *c. 10. n. 10. & seq.*

Respondeo. Sanè quoties damnum aliquod rationabiliter times obventurum, Jeiunii causâ, ad illud non obligaris, quia, ut toties dictum est, te cum tanto dispendio obligare non intendit Ecclesia, nec præcepta humana obligant cum tanto damno.

77. Hinc primò remiges in triremibus infidelium non obligantur ad Jejunium, non solùm quando laborant per notabilem partem diei, vel quando non habent, unde plenam refectionem faciant, quæ sunt excusationes universales ductæ ex officio laborioso, & ex carentia victus, modo supra dicto; verùm etiam, quando à ministris triremium timent grave damnum, excepto semper Religionis contemptu.

Hinc

Hinc secundò servi, & operarii conducti ad laborandum, possunt laboribus insistere, unde Jejunium non servent, quia ipsis laborandi negligentia pareret notabile damnum; sed de his, & eorum dominis dicemus mox *c.* 12. *de cooperantibus ad fractionem Jejunij.*

Hinc contra tertiò, sola ratio hospitij non dat tibi veniam frangendi Jejunium, quia in hac potissimum ætate nostra tam culta facilè hospes (nisi sit inhumanus, & barbarus) poterit sibi persuadere, Jeiunium à te, non ex alio capite hospiti offensivo, sed solùm ex obligatione tibi imposita servari; neque enim ex sola tua abstinentia offendi solet hospes, si humaniter cætera hospitis jura custodias.

78. Dices: Legimus, aliquos SS. Patres, ut hospites ex itinere pedestri defatigatos ad cibum allicerent, Jejunium, etiam obligans eos, fregisse.

Respondeo primò. Illos non fregisse Jeiunium obligans ex præcepto Ecclesiæ, sed ex regula, non obligante, nisi ex consilio. Audi S. Benedictum *in sua Regula 53. Jejunium*, inquit: *à Priore frangatur propter hospitem, nisi fortè præcipuus sit dies Jejunii, qui non possit violari.* Super quæ verba sic habet Caramuel *tom.* 1. *Theol. Regul. n. 1634. litt. F. Jejunia regularia*, inquit, *observare non tenentur, qui assistunt peregrinis; severè autem debent observari Ecclesiastica.* Hæc ille, loquens de Benedictinis Cisterciensibus, nam alij Religiosi consulant, ait, rigorem suæ Regulæ.

Respondeo secundò. Si tamen tu intendas, eos in illa occasione violasse Jeiunium indictum ab Ecclesia; tunc dico, illos alia ratione excusari non posse, nisi à bona fide, qua ex ignorantia inculpabili putabant, id licitè fieri posse.

79. Occasione bonæ fidei nota, multos non rarò excusari, quia sincerè procedentes putant, se non posse sustinere Jeiunium sine notabili damno. Atque de his sic docet Sà, *Verbo Jejunium, n. 14. qui se putat, justam causam habere non jejunandi, non peccat mortaliter, non jejunando.* Hæc Sà. Immò nec peccare venialiter, si nulla prorsus fraude sic putat, certum sit.

80. Hinc quartò. Si quis existens vel transiens per loca infidelium (de his multa habet Verricelli *de Missionibus fol.* 77.) rationabiliter timeat periculum vitæ, vel amissionis libertatis, vel alicuius gravis mali, si ibi servet Jeiunium, potest illud negligere, immò & carnibus vesci. Adverte tamen, tunc non debere esse Religionis contemptum, ut in similibus casibus semper supponendum est.

De famulis, & ancillis Catholicis inservientibus hæreticis vide multa latè discussa à Gobat, *de ebrietate c. 33. à n. 92.* & certè tandem concludes, ob notabile damnum excusari, modo quo hactenus dictum est, citra Religionis contemptum.

81. Dubitabis hîc, an præscindendo à dictis periculis, Catholici habitantes in terris hæreticorum teneantur jeiunare in diebus, quibus præcipitur ab Ecclesia Jeiunium; & certè eadem dubitatio procedere potest de aliis Ecclesiæ præceptis, e. gr. de audiendo sacro, &c.

82. Hanc

82. Hanc dubitandi rationem sic proponit Caramuel *in Theol Fundam. 19. q. 2.* quando de facto major populi pars legem non servat, poterunt alii sine scrupulo, se majori parti conformare; & sic excusabuntur ab observatione talis legis, quia tunc supponitur, hujusmodi lex non esse utilis Reip. ut habet Diana *p. 7. tr. 11. resol. 23.* & passim DD. Ergo Catholici, qui inter hæreticos agunt, non tenebuntur ad Jejunia præcepta ab Ecclesia, immò nec dies festivos servare; siquidem has leges in illis hæreticorum civitatibus major populi pars non observat. Sic Caramuel: dicit tamen, se hac in re dubitare.

83. Ad hanc dubitationem Diana volens suam doctrinam datam dicta *resol. 23.* ab hoc inconvenienti liberare, si respondet *p. 11. tract. 1. resol. 5.* Affero, inquit, doctrinam, quam docui, esse veram; Sed non rectè ex illa Caramuel suam illationem infert; nam lex Pontificia non pendet ab acceptatione populi, per se, & absolutè loquendo, ut alibi à nobis fusè probatum est; & licèt, hoc non obstante, præsumantur Principes laici, vel Ecclesiastici leges concedere, & promulgare sub tacita conditione, si à populo acceptèntur, quia hoc videtur pertinere ad suave regimen populorum, & magis conforme benignitati Legislatorum juxta illud Gratiani §. *Leges capit. 3. distinct 4. Leges instituuntur, cùm promulgantur; affirmantur, cum moribus utentium approbantur.* Et juxta illud, *in lege de quibus, digestis, de legibus. Leges nulla alia ex causa nos tenent, nisi quia indicio populi receptæ sunt*; tamen hæc opinio non est applicabilis casui nostro: nam est intelligenda de legibus, quæ in dies emanant à Pontificibus; at non de præceptis Ecclesiæ olim ab ipsa promulgatis, & à toto populo Christiano usu receptis. Hæc Diana.

84. Qui præsertim in hac posteriore doctrina non videtur plenè satisfacere; nam hanc distinctionem negabit Caramuel; hoc enim ipsum debet probari, quòd nimirum ea doctrina intelligenda sit de legibus, quæ in dies emanant, & non de olim promulgatis toti populo Christiano; cùm enim eadem sit ratio de utrisque, intelligenda est illa exceptio de acceptatione majoris partis populi.

85. Alio igitur modo respondet Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 13. num. 8.* Non videtur esse, ait, mens Ecclesiæ, aliquem obligare ad Jejunandum in loco, ubi Fideles alij non jejunant; nam valdè expedit Ecclesiæ, ejus mores uniformiter à Fidelibus observari. Loquor autem solùm de Ecclesijs, & diœcesibus Catholicorum; nam alia ratio est, si peregrinus Catholicus in terras hæreticorum veniat; huic enim arbitror, Jejunia, & festa servanda esse juxta Ecclesiæ consuetudinem, si commodè servare ita possit. Ratio est, quòd in contemptum Ecclesiæ Catholicæ cedere videatur, atque scandali occasionem præbeat, si peregrinus Catholicus, posthabito Ecclesiæ legitimo more, in observationibus Ecclesiasticis se conformet cum consuetudine ab hæreticis pertinaciter retenta. Hæc Layman, qui tamen videbitur alicui, non plenè

etiam satisfacere; quid enim, si quis occultè, & sine scandalo non jejunet, festa non servet &c.

86. Puto ergo sic respondendum. Verum est, quòd leges à Legislatoribus directè, & per se dantur populis, seu personis utentibus ratione: & quidem, esto etiam, quòd dentur cum illa exceptione, per quam benigna Legislatorum voluntas excuset, seu liberet subditos, quando major pars populi legem non servat. Ecclesia igitur dat sua præcepta omnibus Fidelium personis, & ita, ubicumque Fideles inveniuntur, sive inter Hæreticos, sive inter Turcas, vel alios Infideles, secum ferunt obligationem; non enim subduntur præceptis Ecclesiæ universalis ratione loci, sed ratione personarum, & ratione sui Catholici status, seu professionis. Sicuti Religiosus e.g. ex minimis S. Francisci de Paula; quia ratione status, cibis solùm Quadragesimalibus vesci licitè potest; ubicumque invenitur, id servare tenebitur. Jam verò illa exceptio (*si tamen major pars populi legem non servat*) intelligitur, si major pars populi Catholici, & subditi Ecclesiæ non servat; non verò, si non servat populus hæreticus, vel infidelis, immò & hostis Ecclesiæ Capitalis. Quando enim sive Gratianus, sive Imperator dixerunt, *legem moribus utentium approbari*, & quando *Judicio populi recepta fuerit*, intelligunt de moribus utentium ex suis populis sibi subjectis, & amicis, non verò ex hostibus, & non subditis, vel subditis rebellibus. Id quod manifestè patet ex ratione radicali. Unde tunc Legislator suos ab observatione legis eximit. Ratio enim, ut modò innuimus, & videri potest apud DD. citatos à Castropal. *de legibus disp. 1. quæst. 13.* Ratio, inquam est, ut omnes sui subditi conformes sint in more vivendi, tanquam, ut ita dicam, filii plures ejusdem Patris familias; at quis unquam somniabit, Ecclesiam velle, ut sui Fideles conformentur in more vivendi cum hæreticis, subditis quidem, sed rebellibus, cum Turcis, cum infidelibus? Rectè igitur sic respondetur ad argumentum Caramuelis. Quidquid sit de ipsius antecedente allato *num* 82. neganda est omninò consequentia propter manifestam disparitatem jam allatam.

CAPUT XI.

De Dispensatione non Jejunandi.

1. Dispensatio, quæ est alicujus juris relaxatio, aliquando est valida, & licita, aliquando est quidem valida, sed illicita. Valida, & licita est, quando datur ab habente potestatem, & adest causa sufficiens, eam dandi. Quòd si detur ab eo, qui potestatem quidem habet, sed detur sine causa, erit valida, sed illicita. Cùm enim dispensationis potestas sit potestas eximendi subditum ab aliqua lege, quo facto dicitur à Canonistis lex vulnerandi; requiritur, ut adsit causa illam vulnerandi; ne scilicet sine causa legibus, & consequenter bonæ ordinationi Reipub. præjudicetur.

2. Quoniam verò dispensatio aliquando est circa leges latas ab ipso dispen-

spensante; qualis est data à Summo Pontifice circa Jejunia universalis Ecclesiæ, & qualis est data ab Episcopis circa Jejunia ab ipsis in suis diœcesibus imposita, idcò tunc, si non adsit causa dispensandi, erit valida dispensatio, sed illicita. At si sit circa leges latas à superiore, ut esset dispensatio ejusdem jejunii universalis data ab Episcopo, esset & illicita, & invalida; quia, cum ejusmodi dispensandi potestas non conferatur Episcopis, nisi sub conditione justæ causæ, hac deficiente, cessat potestas, & consequenter validitas dispensationis. Quando autem Episcopis, seu inferioribus datur ejusmodi potestas dispensandi in legibus latis à Summo Pontifice, vel ab illorum superiore, latè tractatur *in tract. de legibus.* Satis vobis erit legere Castrop. *tom. 1. tract. 1. de dispens. legis*, & DD. ibi citatos.

3. Et quidem causa justa duplex est, altera ex parte Summi Pontificis, vel Superioris, altera ex parte ejus, qui dispensationem à Superiore postulat. Ex parte hujus postulantis causa debet esse excusans, seu aliquo tandem modo impeditiva observationis legis. Ex parte Pontificis, vel Superioris in suis legibus non est improbabile, sufficientem esse quamcumque causam, etiam si ea non sit impeditiva observationis legis. Quare sufficit, si Pontifex Summus e.g. ab aliqua sibi benè visa ratione moveatur; ita ut solùm, quia vult, se benignum alicui benemerito ostendere, sufficiat aliquando ad dispensandum. Hujus rei ratio est, quia similes dispensationes concessæ pro personis particularibus non lædunt bonum commune, nec sunt in alicujus præjudicium, nec bonum ordinem Reip. turbant; convenit enim aliquando, Principem se benignè exhibere circa subditos. Cùm ergo hæ dispensationes sint circa leges humanas ab ipso Pontifice, seu Superiore dependentes, non est, unde tunc committatur ne levis quidem culpa. Proportionali modo esse discurrendum de dispensationibus concessis ab Episcopis circa leges solo jure diœcesano latas (non autem universali) paritas rationis ostendit. Atque ex his fit, peti posse dispensationem ex nulla causa à Summo Pontifice, & ab Episcopis in eorum proprio jure sine ulla culpa. Legite Sanchez *l. 8. de matrim. disp. 18. num. 9.*

Quis dispensare potest in Jejunijs?

4. His summatim expositis, inquires primò quisnam potest dispensare in Jejuniis Ecclesiasticis?

5. Respondeo, quòd possit Summus Pontifex, nimis esse manifestum. Si verò loquamur de Prælatis Papa inferioribus, qui sunt Episcopi, ut item Prælati Regularium, quales sunt Rectores, Præpositi, Priores, Guardiani, & similes, quando habent totale regimen Monasterii, seu Conventus; & item quidam Abbates gaudentes Episcoporum jurisdictione; dico, eos non solùm posse dispensare suos subditos in Jejuniis proprii juris, ut modò dictum est, verùm etiam, posse aliquando cum suis subditis dispensare in Jejuniis lege universali institutis. Ratio est, quia Prælatus inferior potest dispensare in

lege Superioris, quando non est recursus ad Superiorem, casusque dispensandi est frequens, qualis certè est hic de Jejunio. Intellige semper, dummodò pro dispensatione in his legibus universalibus existat causa, se tenens ex parte subditi, ut mox *à num. 9.* latiùs explicabimus. Et ratio, cur in dispensatione legis Superioris facta ab inferiore, requiratur causa, est, quia id solùm conceditur, ut subditorum necessitatibus subveniatur. Si ergo nulla est necessitas, nulla erit potestas in inferiore circa legem superiorum.

6. Inter hos potentes dispensare dicto modo in Jejuniis universalibus connumera Parochum, etiam præsente Episcopo. Et ratio, præter præscriptam consuetudinem, est, quia secus nimis gravarentur Fideles, immò & Episcopi, si ii essent pro ejusmodi minutis frequentibus dispensationibus semper adeundi.

7. Præterea quilibet ex dictis, immò & ex Delegatis ab ipsis (cum enim hæc sit potestas ordinaria, possunt illam prædicti aliis delegare) eo modo, quo cum subditis suis dispensare potest, poterit etiam secum ipso immediatè, vel mediatè dispensare committendo scilicet suo Confessario, ut dispenset. Hujus rei ratio est, quia non debet, esse pejoris conditionis ipso Superior, quàm sint sui subditi; & ex alia parte potestas hæc dispensandi in Jejuniis non est ipsis limitata ad alios tantùm.

Dices. Nemo est bonus Judex in causa propria: quare, quando quis potest dispensare in lege Superioris, non debet censeri ipsi concessum, quod etiam possit dispensare seipsum. Et ratio illa videtur esse, quòd qui debet dispensare, oportet recognoscere causam, ob quam dispensatio sit concedenda; atqui ipsemet Superior, si recognoscere potest eam causam, esset suiipsius Judex; ergo, &c.

Respondeo. Neminem posse esse Judicem in causa propria, nec propriam posse causam recognoscere, quando proceditur judiciali modo; tunc enim, cùm sit administranda justitia, requiritur distinctio personarum; non verò quando proceditur modo directivo; siquidem quisque potest se ipsum dirigere, ut accidit in casu nostro.

8. Contra verò, Confessarius, Medicus, vel quilibet vir prudens, ut etiam Abbatissa dispensare in Jejuniis non valent, & solùm poterunt, quatenus sunt periti declarare, causam adesse ad non jejunandum. Ratio est, quia ad dispensandum requiritur jurisdictio spiritualis, quâ hi carent; ad declarandum verò sufficit peritia. De his lege Joann. Sanchez *disp 54. num 36.* Thom. Sanch. *ib 8. de Matrim. disp. 9. num. 27. & in consil. l. 5. cap. 1. dub. 1. num. 27.*

Quæres. Si quis Medicus irrationabiliter concederet alicui potestatem comedendi carnes, quot peccata committeret?

Respondeo. Duplex, specialiter in confessione explicandum. Ratio est, quia facit contra duplex præceptum, nempe contra præceptum abstinendi à carnibus, & contra præceptum jejunandi ex diversis moraliter motivis. Nec obstat, quòd hic peccet solùm contra

tra temperantiam; non obstat, inquam, quia sunt diversi modi temperantiæ, ac diversæ mensuræ, atque adeò diversa erunt peccata contra illas, sicuti fornicatio, & pollutio voluntaria sunt contra virtutem castitatis; sed tamen sunt diversa peccata, specialiter Confessario manifestanda. Ita Sanchez *lib. 4. in Decal. c. 11. n.* 13. & Leander *in Præcept. Eccl. lib. 5. disp. 9. q. 26.*

10. Dices: Sed cur non ponitur, esse duplex specie peccatum, superfluè comedere carnes, & superfluè comedere pisces, utrumque extra Jejunium; utitem superfluum comedere, & superfluum bibere?

Respondeo. Quia in morali æstimatione hæc non apparent simpliciter diversa; nam non apparent satis diversa (supposito præsertim duplici diverso præcepto) non abstinere à carnibus, & non abstinere à pluribus legalium ciborum refectionibus: & nisi id dicamus, difficile est, afferre idoneam disparitatem, quam nos Theologis speculativis examinandam relinquimus.

Quæ causa requiratur, & sit sufficiens ad dispensandum?

11. INquires secundò. Quænam sit causa excusans, se tenens ex parte subditi in hac materia Jejunii ad hunc effectum, ut illi validè, & licitè concedatur dispensatio sive comedendi carnes, sive non jejunandi.

Respondeo. Satis esse unam ex illis causis excusantibus, hactenus explicatis *in cap.* 10. licèt non sit opus, ut totaliter, sed aliquo tamen modo excusent. Ita Sanchez *in consil. loco cit. dub. 6.* Breviter, satis erit ex eodem, si dubium sit, an dicta causa sufficiat ad excusandum absolutè subditum à Jejunio, vel an sufficiat superiori pro expedienda dispensatione, an verò non sufficiat? Ratio hujus dicti est, quia si causa est magna, & gravis, non indigemus dispensatione; si nulla, non potest (juxta prædicta) licitè dari. Ergo, ut aliquid operari possit potestas dispensandi, satis erit, si causa non sit adeò gravis, vel si causa sit dubia, semper autem, quæ sit ex parte petentis dispensationem, ut *n.* 3. insinuavimus.

12. Quando Superiores advertunt, causam esse minùs sufficientem ad absolutam dispensationem, miscent aliquam commutationem, putà, orationem, eleemotynam, &c.

Majorem causam requiri in dispensatione ad carnes comedendas, quàm ad frangendum Jejunium cum legalibus cibis, innuimus supra. Nunc verò in proprio loco confirmamus, quia rigorosius est præceptum de abstinentia carnium, quàm de mero Jejunio.

13. *Quid de lacticiniis?* Respondeo, majorem requiri causam ad dispensandum Jejunium, quàm ad edenda lacticinia; quia cum lacticiniis stare Jejunium potest; atque adeo minùs dispensatur in iis solùm manducandis, quàm in violando Jejunio.

Dispensatio Jejuniorum pro toto Populo.

14. CUm hactenus dictum sit de dispensatione Jejunii, quæ concedi homini in particulari solet; inquires secundò, quid de tota civitate,

vel tota Diœcesi ? hoc est, potéstne Episcopus dispensare ob justam utique, & proportionatam causam semper, ut dictum est, se tenentem ex parte dispensatorum, ne in Quadragesima e. g. totus populus obligetur ad Jejunium.

15. Respondeo affirmativè, saltem quando non est facilis recursus ad Pontificem, & causa est gravis, ut tempore pestis fuit Panormi ; tunc enim Archiepiscopus ex consilio Theologorum, & Medicorum, per Edictum publicum dispensavit, ut in Quadragesima illius anni possent comedi carnes ; & certè idem posset contingere tempore periculosi belli, & strictæ obsidionis alicujus civitatis, præsertim pro iis, qui actu præliantur, & similibus. Lege Dianam *p.* 10. *tr.* 4. *res.* 3. ubi de hac re fusè tractat, & affert Venerum concedentem, & Nazarium ferè negantem. Lege item in simili Caramuelem. *tom.* 1. *Theolog. Regularium à num.* 2056.

Translatio Jejunij.

16. INquires tertiò, Quid de translatione ? Respondeo. Episcopus etiam transferre potest Jejunium indictum ab Ecclesia, & multò magis impositum ab Episcopo, seu suo antecessore de uno die in alium ; si, id vel populi necessitas, vel solemnitas festi postulat ; ut certè factum est ab Archiepiscopo (non enim constat, ut aliqui putant, factum esse cum consensu, & expressa licentia Summi Pontificis) Panormi, ubi Jejunium vigiliæ S. Jacobi translatum est in diem præcedentem, quia in illa vigilia incidit festum S. Christinæ Patronæ Principalis Civitatis. Quare idem posset disponere Episcopus, quando vigilia Sancti Matthiæ incideret in feriam secundam, vel tertiam Bacchanalium, & Episcopus adverteret, homines suæ Diœcesis esse proclives ad frangendum ejusmodi Jejunium. Ita Laym. *lib.* 4. *tract.* 8. *c.* 3 *n.* 9. quem sequitur Diana *p.* 3 *tr.* 6. *res.* 66. Ratio autem est, quia ad Episcopum pertinet, adhibere remedia, ne suæ oves facilè peccent ex Trident. *sess.* 21. *c.* 1. *de reformatione.* hæc enim est justissima ratio ejusmodi translationis. Sicuti per totum orbem fuit justa causa, cur Urbanus VIII. transtulerit in diem antecedentem Jejunium vigiliæ S. Joannis Baptistæ, quando hoc incidit in diem festum SS. Corporis Christi, ut diximus *sup. c.* 9.

17. Docet præterea Quintan. *t.* 2. *singul. tract.* 9. *singul.* 19. in casu hujus translationis Jejunii debere etiam transferri officium in diem antecedentem, id est, in diem, qui præcedit festum Corporis Christi, quia connexorum eadem est ratio. Pariqne modo addit *sing.* 20. transferrendum esse officium, si quando simili modo transferatur Vigilia S. Matthiæ. Sed notat, si dies, in quem transfertur Jejunium, sit occupatus festo duplici, aut semiduplici, non esse transferendum officium talis festi.

18. Quid in confirmationem dictorum afferat Gobat *in Alphabeto sacri audiendi à num.* 111. non erit inutile hîc subscribere, quamvis non pauca nos modò docuerimus.

Ja

Is ergo proponit duas quæstiones circa dictam Vigiliam S. Matthiæ. Alteram, an quando festum dicti Apostoli occurrit ipso die Cinerum, possit vigilia, Jejuniúmque antecedens transferri in alium diem, & quem? Alteram, an quando dicta vigilia incidit in diem lunæ, possit item in alterum diem transferri, & quem? Respondet autem, in hunc ferè modum.

19. Ad primam dico in primis, in hujus Germaniæ Episcopatibus *Anno* 1621. *&* *Anno* 1632. quando festum S. Matthiæ incidit in feriam quartam Cinerum nonnulli Episcopi nihil planè mutaverunt (adverte in nostra diœcesi Panormitana nihil fuisse mutatum.) Alii, illique plures transtulerunt jejunium ante Quinquagesimam. Alii festum transtulerunt in feriam quintam post Cineres, & consequenter vigiliæ Jejunium penetrarunt cum Jejunio Cinerum.

20. Dico deinde, mihi placet judicium cujusdam Doctoris Theologi Pragensis, qui litteris ad me datis, approbavit translationem dictæ vigiliæ in diem Cinerum juxta id, quod fecerunt prædicti ultimi Episcopi; sicut enim festum quoad officium transfertur in feriam quintam sic vigilia in diem antecedentem rectè transferetur.

21. Dico præterea. Si alicubi sit facta ejusmodi translatio, est servanda, quia supponendum, in ea diœcesi esse periculum, ne maior pars peccet, non servando Jejunium. Cæterùm ubi facta non est, concedenda non erit, quia plerúmque discordiam pariunt novitates *cap. Cum inter de consuetudine*; & quia non semper aderit periculum prædictum apud majorem partem populi, nam de paucis non est habenda ratio.

22. Dices. Non est præsumendum Summum Pontificem habere tantam rationem dierum Bacchanalium, in quibus nimia vivendi licentia grassatur, ut velit propter illos approbare prædictam vigiliarum mutationem. Ita argumentatur Raynaudus *in Hierarch. Spirit. lib.* 1. *sect.* 3. *punct.* 1. *num.* 35. qui negat hujusmodi potestatem Episcopis. Sed facilè responderi huic rationi potest; non enim præsumimus, ipsum approbare ejusmodi mutationem, ut vivendi illam turpem licentiam approbet, sed ut amoveatur periculum peccatorum, id est, violandi vigilias. Quare sicuti pertinet ad Summum Pontificem toti Ecclesiæ providere, ubi tale periculum appareret, ita ad Episcopum, si in suo Episcopatu illud periculum esse adverteret.

23. Ad secundam quæstionem; quando scilicet vigilia S. Matthiæ incidit in diem lunæ Bacchanalium, dico: ubi apparet dictum periculum, posse vigiliam quoad Jejunium transferri in Sabbatum præcedens; sic enim Urban. VIII. declaravit, quando vigilia S Joa. Baptistæ occurrit in festo Corpor. Christi, eam esse anticipandam. Similiter si Ratisbonenses vigiliam omnium Sanctorum non celebrant ultimo die Octobris utpotè, qui est sacer S. VVolfgango, Patrono diœcesano, sed die antecedenti; cur periculum longè plurimorum peccatorum mortalium, partim ex malitia, partim ex infirmitate ommittendorum,

dorum, non præbeat Episcopo in casu nostro justam causam faciendi illam anticipationem, sicuti fecerunt prædicti Episcopi *n.* 19. relati?

CAPUT XII.

De Cooperantibus cum non Jejunante.

1. NOn est dubium, peccari mortaliter ab eo, qui ministrat cibos vetitos Fideli ad finem, ut hic in die Jejunii non jejunet. Id enim clarè est intendere directè rem mortaliter peccaminosam; sed dubium est, quando ejusmodi ministratio ex tali intentione non fiat.

De Patre, & Domino.

2. INquires ergo primò, an Pater, & Dominus possint filiis, & famuliæ concedere cibos, si animadvertant filios, & servos non jejunaturos in die Jejunii?

Respondeo. Duobus modis hos se habere posse in hac re. Primò, compellendo filios, & servos, ut jejunent, & propterea illis negando cibos. Secundò, admonendo, modestéque increpando, ut jejunent. Ad hoc posterius obligantur Patres, & Domini, quia hi debent curam gerere suorum juxta illud *ad Timoth. c. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem non habet, & est infideli deterior.* Ita Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 20. quæst. 12.* aliique. Ad illud prius nequaquam (ut iidem docent) obligantur, quia ipsi non sunt Prælati, ad quos magis pertinet cura spiritualis suarum ovium.

3. Ideo Domini, & Patres obligantur ministrare suis cibos, quamvis advertant, eos Jejunia debita non observaturos, quia ex una parte est res indifferens ejusmodi ministratio, & ex alia ipsi excusantur ex proprio officio alendi cum debita liberalitate familiam; modò, ut dictum est, pro sua auctoritate moneant, increpentque non observantes.

4. Quæres. Possúntne Domini licitè imperare laboriosas actiones in die Jejunii servis filiisve, immò & operariis, quibus consequenter fiet, ut hi a Jejunii lege liberentur?

5. Respondeo. Si bona fide Domini procedant, imperando labores, qui communiter imperati solent, etiamsi differri valeant, non peccabunt; ut tenet Bonacina *tom 2. disp. ult. de præcept. Eccl. q. 1. p. ult. n. 9.* & Sanchez *in consilio lib. 5. c. 1. dub. 9. n. 2.* quia utuntur jure suo, præcipiendo, quæ possunt, & consueta sunt præcipi; servi autem non peccabunt, quia ex officio laborant, ut supra dictum est; immò propter eandem rationem poterit quis, ut docet Excobar *tr. 1. cap. 13. de Jejunio n. 3.* operarios condocere cum pacto, ut non jejunent, ne aliàs propter cibi defectum minùs laborent.

6. Ne tamen hinc colligas, posse Dominum imperare servis, ut laborent in die festo, quando nulla urget necessitas, nec adest dispensatio, quia tunc laborare in die festo est peccatum; at laborare in die Jejunii non festivo, peccatum

catum non est, esto, inde sequatur, non servari à servo laborante Jejunium: quare ibi immediatè imperaretur à Domino actio peccaminosa, non hìc; & quamvis sequatur inde non observatio Jejunii, excusetur Dominus ex jure suo, & servi ex suo officio, ut dictum est.

7. Denique notandum est, prædictum Patrem familias non posse licitè in die Jejunii parare, vel ministrare carnes, multò minus ad illas comedendas, subditos suos invitare, quia tunc, ut supponimus, peccarent subditi, & invitati comedendo carnes; & ex alia parte sola ratio alendi familiam, vel quid simile, non est proportionata causa ad cooperandum cum illis quoad manducandas carnes, quæ cum tanto rigore universalis vetat Ecclesia.

De filijs, servis, amicis,

8. INquires secundò: Quid de Filiis, Servis, & Amicis in ordine ad Parentes, ad Dominos, & ad Coamicos?

Respondeo: Quoad priores, hoc est, famulos, filiósque, similésque subditos; dico, posse eos, Patribus, vel Dominis frangentibus Jejunium scienter, cibos parare, ac administrare. Ita Azor. *part. 1. l. 7. cap. 31. quæst.* 11. quia hæc ex una parte sunt opera ex se indifferentia; & ex alia filiationis, & famulatus ratio ipsos satis excusat. Nota, quòd sola hæc ratio non sufficit pro carnibus, quando est certum, quòd Pater, & Dominus mortaliter peccant, eas comedendo; nam, ut excusentur in hoc, major causa requiritur, hoc est, notabile damnum periculi gravis, quod prudenter timerent incurrere, si illas non ministrarent.

9. Quoad posteriores, id est, quoad Amicos; dico casum, de quo dubitari potest, in hunc ferè modum figurari. Titius homo prædives expectat hoc sero vespere diei Quadragesimæ Cajum suum perfamiliarem cum suo frequenti comitatu; quare parat liberalem cœnam: dubitat tamen vehementer, multos ex comitatu manè comedisse, atque timet, ne serò iterum comedendo, frangant Jejunium; potestne licitè cœnam præparare, & offerre?

Ad Id dico quatuor. Dico primò cœnam exhibere directa intentione, ut hospites cum violatione Jejunii cœnent, Titium licitè nequaquam posse, quia id esset, velle, eos hìc, & nunc peccare.

Dico secundò posse licitè (cum cautione mox dicenda *in dico 3.*) præparare cibos, non animo, ut hospites, & amici oblata acceptent, & completè cœnent; sed animo, ut signa suæ amicitiæ, liberalitatis appareant; nullo tamen modo potest cogere; nam hæc oblatio apparet merum urbanitatis signum esse, & invitatio ad legitimum jentaculum, quæ est actio ex se indifferens, & ipse excusatur à ratione officii suæ amicitiæ; coactio verò ad plenè cœnandum urgeret amicos ad actionem pravam, hoc est, ad violandum præceptum Ecclesiæ.

Dico tertiò. Quoniam verò res hæc est plena periculi peccandi; ideò Titius, si nec inurbanitatem sibi exprobandam, nec aliud malum timeat, ob-

ligatur ex charitate ostendere, se ex parte sua præparasse quidem cibos, atque offerre; cæterum quisque propriæ conscientiæ consulat in hunc ferè modum dicens: Domini mei, ego officio meo inservio, quilibet autem, quid sibi liceat, consideret.

Dico quartò carnes nullo posse modo à Titio præparari, vel offerri; quia nec ratio amicitiæ, nec ratio hospitis causa sufficiens est ad offerendas, vel præparandas illo die vetito carnes: Lacticinia autem hìc, ubi est communis usus Bullæ Cruciatæ, posset præparare, & offerre, cum simili cautione, quam modò diximus; ut scilicet quisque sumat illud, quod sibi licitum erit.

De Cauponibus, & vendentibus cibos.

10. INquires tertiò; Quomodo se gerere debeant caupones, & vendentes cibos tempore Jejunii cum ementibus non jejunaturis.

Respondeo, ut huic quæstioni faciam satis, plures, variosque casus esse distinguendos.

Primò. Certum sit, quando probabiliter caupo, vel vendens cibos Quadragesimales judicat, ementes non violaturos esse Jejunium posse licitè iis ministrare, parare, immò eosdem invitare ad emendum, quia sic non cooperatur ad ullum peccatum.

11. Secundò. Quid, si dictus caupo, vel vendens cibos Quadragesimales solùm dubitet, an Jejunium ii violaturi sint, comedendo pluries dictos Quadragesimales cibos?

Respondeo, posse etiam licitè, quia nemo præsumendus est malus, nisi contrarium constet; quare tunc non debet caupo, vel vendens putare, illos peccare velle, & consequenter licitè ministrare poterit, & vendere.

12. Tertiò. Quid, si dictus vendens cibos Quadragesimales probabiliter, vel certò sciat, ementes Jejunium violaturos?

Respondeo cum Sanchez *lib. 3. consil. cap. 1. dub. 6.* cum Diana *p. 1. tract. 3. resolut. 38.* etiam tunc satis probabiliter posse licitè. Ratio hujus concessionis illa est, quia scilicet ea ministratio, immò ultronea invitatio non fit à caupone, vel venditore directè alliciendo ad non Jejunandum, atque adeò non fit ad alliciendum ad peccatum, sed ad lucrum expiscandum; idque sciunt, præbéque noscunt ementes, & ex alia parte illa subministrandi, atque invitandi actio opus est ex se indifferens, cum possint illi cibi emi ad licitum usum.

13. Dices. Ejusmodi emptio conjungitur cum peccato transgressionis præcepti Jejunii, ergo conjungitur cum peccato; transgressio enim illa peccatum est. Respondeo, coniungi quidem, sed ex malitia ementium, nam venditores excusantur propter ipsum officium, quod ipsi sine fraude exercent, dum legales cibos, de quibus nunc loquimur, vendunt.

14. Eosdem caupones posse, nolle recipere eos apud suum hospitium, qui vespere cœnaturi non sunt per plenam refectionem modò ex circumstantiis illud nolle non æquivaleat coactioni,

bi, probabilis est sententia; tunc enim non compellunt ad plenam cœnam, sed utuntur jure suo, quo hospites allicians ad divertendum in ipsorum hospitia. Cujus rei conjectura est, quia ii possent, si vellent, solùm plenè de vespere cœnare, non præmittendo plenum, seu pertectum prandium, & sic possent prædicti hospites Jejunium nequaquam violare. Quapropter sensus prædictorum cauponum est ferè hujusmodi: si tu velis apud me divertere, manè à cibo plenæ refectionis abstineas, cœnaturus posteà apud me vespere. Si autem id tibi non placeat, de alio hospitio tibi consule.

15. Quartò. Cum dictum sit de vendentibus cibos legales, emergit dubitatio duplex. Prima, quid sentiendum sit de caupone vendente, ac ministrante lacticinia in diebus vetitis? Secunda, quid de vendente, ac ministrante iisdem diebus carnes?

Respondeo: Hîc ubi promulgatur Bulla Cruciatæ (quantum pertinet ad primam dubitationem propositam) idem esse sentiendum, quod diximus hactenus de venditionibus, & ministrantibus cibos Quadragesimales. Ratio est, quia sensus offerentis semper, ubi ea promulgatur, intelligitur conditionatus, ut scilicet ea lacticinia quis comedat, si licitè potest. Quid, si certò sciatur, accumbens carere Bulla, & tamen sine necessitate, seu sine justa causa ea sit manducaturus? Respondeo Thomas Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 16. num 3.* docet, non posse licitè, quando est dubium, an accumbens fruatur privilegio Bullæ Cruciatæ, quia possessio stat pro præcepto, & excusatio est dubia, ut supponimus.

Hinc ergo sequitur, multò minùs licitè posse, quando est certum, quòd Bullam, vel simile privilegium, vel necessitatem non habeat. Sed profectò, si sit dubium, potest, quia in dubio nemo est judicandus immemor esse suæ salutis. Recole ea, quæ diximus *cap. 10. num. 21.* At si sit certum, quòd non habeat, non poterit, nisi justa, ac proportionata causa urgeat, qualis non est ipsum officium cauponis, ut erat *num. 12.* sufficiens causa pro vendendis cibis legalibus; quia tunc sine causa excusante esses offendiculo ipsi proximo ad illud peccatum, quod facilè removeri posset, quando causa nulla ad ea ministranda te cogit; causa enim nulla judicatur esse illa, quæ sufficiens non est.

Dixi (*ubi promulgatur Bulla Cruciatæ*) nam ubi ea non promulgatur, idem ferè sentiendum est, quòd mox dicemus de carnibus.

16. Quintò. Quid de vendentibus carnes dicto tempore Jejunii, déque cauponibus eas parantibus, vel ministrantibus? Idémque quæritur de lacticiniis in iis regionibus, ubi Bulla Cruciatæ nequaquam promulgatur.

17. Respondeo afferendo ea, quæ habet de hoc argumento Loth *tract 19. q. 1. art. 8. In locis Catholicis*, ait, *grave peccatum est caupones apponere carnes in mensa hospitum suorum in die Jejunii, & graviter puniretur, si quis indifferenter id faceret, quia id censetur quædam tacita professio hæresis, cùm hæ-*

hæretici valde calumnientur præceptum S. Ecclesiæ de abstinentia à carnibus.

Dixi (*indifferenter*) *nam conceditur in aliquo casu particulari ratione evidentis necessitatis, provenientis ex infirmitate, vel si nihil aliud suppeteret, vel si aliquis ex hospitibus, qui videretur fide dignus, diceret, id sibi à superioribus indultum.* Hactenus Loth.

18. Vendentes tamen (licèt non parando, nec ministrando, nec invitando) lacticinia, ut etiam carnes in diebus vetitis, ubi pro lacticiniis non promulgatur Bulla in locis Catholicorum, tunc ego excusarem, quando non indifferenter pro omnibus, sed infirmis, & ægrotantibus venderent; nam cæterum in locis Catholicorum non videtur esse sufficiens causa ipsum officium vendendi res comestibiles; solùm enim hoc officium concedit, posse vendere Quadragesimaliâ, non autem lacticinia, vel carnes, ut dictum est num. 12. Sanè in nostra Diœcesi nemo vendere publicè potest carnes in diebus vetitis, nisi cum licentia Archiepiscopi vel Vicarii. Sed redeo ad Loth, qui sic pergit: *In locis verò hæreticorum, ubi passim solent ab aliis apponi, id licitum esset cuponi Catholico, positis duabus conditionibus (præcisò semper contemptu Religionis.) Prima, si non possit recusare sine notabili suo incommodo, ut si alioquin ab hospitibus esset deferendus ad Magistratum, quia id per se malum non est, sed quid indifferens, ergo suppositâ legitima, & proportionata causa id fieri potest sine peccato: qua ratione excusantur ancillæ Dominorum Hæreticorum, quæ diebus Jejuniorum coquunt carnes, & cœnam parant, quia id sine notabili suo incommodo detrectare non possunt: nam si possent, deberent certè, illos Dominos deserere, & alium Catholicum invenire. Secunda, si campo dictus non apponat carnes, nisi petantur, non enim ingeri possunt non petentibus, quia hoc esset ad illicita invitare, nisi fortè apponat simul carnes, & pisces, relictâ cuique potestate eligendi, ut faciunt plerique Catholici inter Hæreticos.* Hactenus Loth.

CAPUT ULT.

VARIA DE JEJUNIO.

Nonnulla, quæ in superioribus locum, vel non habuerunt, vel inter scribendum exciderunt, hîc assuere, ad hujus tractationis absolutum complementum, non gravabor.

De Jejunio in Pane, & Aqua.

1. INquires primò. Qui vovit jejunare in pane, & aqua; vel cui impositum est pro pœnitentia suorum peccatorum simile Jejunium à Confessario, quantum vini bibendo mortaliter peccabit?

2. Respondeo. Hac in re videtur Castropalaus, nimis laxè esse loquutus *tom. 3. tract. 15. dub. 12. num. 27.* dum docet, votum abstinendi à vino obligare

re sub gravi culpa in ea quantitate, quæ vino temperatè utentibus sufficeret pro una comestione ; quasi abstinere à minore, non obligetur graviter, quia hæc, ait, censenda parvitas materiæ, quæ non parit obligationem mortalem, sed tantummodò venialem. In hoc argumento de Jejunio, quia, ut supra vidimus, obligatio de jeiunando non est tanti rigoris, nimis, inquam, laxè ; Si quis enim quater bibat vinum, aquâ de more regionis dilutum in prandio, temperatè bibet, ergo sequitur ex placito Castrop. quòd is, cui non liceret vinum propter votum, vel pœnitentiam bibere, posset sine gravi culpa illud bibere bis, vel ter. Id certè mihi improbabile videtur. Ego igitur semel, modo, seu more dicto, bibere, non putarem grave, sed pluries, puto esse omninò grave, atque adeò esse peccatum mortale ei, qui tale votum emisit, vel cui talis pœnitentia legitimè fuit impositа. Neque id durum alicui videatur : nam idem Castrop. (nescio, an sibi cohærens) dixerat *ibid. n.* 19. seu supposuerat, semel bibendo vinum, frangi Jejunium promissum in solo pane, & sola aqua.

Non potens jejunare in pane, & aqua, ad quid teneatur?

3. INquires secundò. Si ille, qui in pane, & aqua jejunare vovit, non potest propter aliquam gravem causam ex illis, quas supra latè declaravimus, sic jejunare, obligabitúrne jejunare, cum piscibus, aliísque cibis legalibus, addito vini potu sibi necessario?

4. Respondeo. Obligabitur : immò si nec cum his, vel similibus Quadragesimalibus obsoniis potest, obligabitur cum lacticiniis Jejunium servare. Ratio est, quia accessorium sequitur principale, non verò contra, ut est commune pronunciatum in utroque jure. Cùm igitur ex mente communiter voventium, vel Confessariorum pœnitentiam hanc imponentium (nisi aliud expressè intendatur à vovente, vel explicetur ab imponente) promittatur, vel imponatur principaliter Jejunium, si illud servari aliquo mdo potest, omninò debet.

5. Propter eandem rationem, si cùm voveris Jejunium in pane, & aqua, tu tamen hora consueta alios cibos quadragesimales (certè cum peccato, quia sic tuum votum non servasti) adhibueris, adhuc teneris ad Jejunium, quia jam remanet substantia Jejunii, quæ sic servari à te potest.

6. Quòd si jejunare nullo modo poteris, tunc profectò non te obligo ad abstinendum à prædictis cibis, sive legalibus, sive lacticiniis, immò nec à carnibus, si ejusmodi Jejunium debeat fieri in diebus non vetitis. Id quod docet Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 2. n. 3.* Et ratio est, quia abstinentia ab illis accessoria ad Jejunium erat : quare excusatus à principali, non obligaberis ad accessorium.

7. Dixi autem (nisi aliud expressè intendatur, vel explicetur :) nam si in tuo voto intendas, te velle jejunare præcisè sub hac forma (sine vino, sine piscibus, sine aliis obsoniis, præter panem, & non sub alia ;) vel si idem tibi

explicet Confessarius, dum similem pœnitentiam tibi imponit, certè illâ forma semel, quamvis cum peccato violata, ad aliam ex vi voti, vel pœnitentiæ non obligaris, quia illam vovisti, vel acceptasti, & non aliam.

An toties peccatur, quoties in prædicti voti die bibitur vinum?

8. INquires tertiò. An toties peccem, quoties vinum bibo in die, quo Jejunium in pane, & aqua, vovi, vel acceptavi; idque bibam in notabili quantitate aliqua; nam cæterum pro nihilo parum reputaretur, & solùm tunc peccaretur venialiter, nisi fortè tam paucas guttas vini bibam, ut moraliter ita nihilum reputaretur, ut ne peccatum quidem veniale committerem; id enim jam scio ex doctrina in superioribus non rarò allata. Et sanè hoc, quod inquiris, idem est, ac si quæreres, utrum si vinum biberis, atque adeò quoad hanc circumstantiam votum, vel pœnitentiam violaveris, possis licitè, sine novo peccato, vinum iterum, iterúmque bibere, posito quòd aliud in contrarium non intenderis, vel acceptaveris?

9. Respondeo, hac in re duas esse DD. sententias. Affirmat licitè posse Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 11. n. 41.* quia per abstinentiam vini semel violatam redditur pro illo die impossibilis dicta abstinentia vini. Negat Castrop. *tom. 3. tract. 5 disp. 1. punct. 12. num. 10.* quia intentio, ait, voventis videtur Jejunio abstinentiam vini pro singulis horis totius diei affixisse.

10. Ego assentior Sancio, si sermo sit de voto, vel acceptatione jejunandi in pane, & aqua. Castropalao autem, si sit sermo de voto, vel de acceptatione abstinendi eo die à vino, nam licèt in his duobus votis magna affinitas videatur esse; nihilominus, quia in altero est negatio bibendi vinum, quæ est malignantis naturæ, atque adeò omnia prorsus excludens; in altero est affirmatio bibendi aquam, videtur adesse non spernenda diversitas, quam innuisse satis, superque sit, quamque diligentiùs examinandam Theologis scholasticis relinquimus.

11. Illum scrupulum denique à te amovet Azor. *p. 2. lib. 11. cap. 10* te Sacerdotem ex voto, vel ex pœnitentia Jejunantem in pane, & aqua non agere contra tuum votum, vel pœnitentiam, quamvis in sacro sumas utramque ablutionem, de more sumi solitam. Sicuti neque contra illud agere, si esses laicus, & post communionem vinum sumas in ea quantitate, quæ de more in aliquibus Ecclesiis præberi solet communicantibus.

12. Quæres per hanc occasionem. *Quid*, si quis Sacerdos obligatus Jejunare in pane, & aqua, notabilem vini quantitatem ultra modum consuetum consecraret, illudque assumeret; reúsne esset fracti voti præter peccatum irreverentiæ commissum contra morem Ecclesiæ, tantam quantitatem vini consecrare nunquam usurpantis?

13. Respondeo, hunc Sacerdotem præter peccatum irreverentiæ, esse etiam fracti voti reum. *Sicuti* item, si extra unicam de more plenam in meri-

die

die refectionem, in communi Jeiunio assumeret notabilem quantitatem SS. Corporis in multis consecratis particulis. Ratio responsionis est, quia quamvis substantiam vini, & panis tunc non sumeret, quæ tota in hoc Sacramento abest, tamen assumit talia panis, & vini accidentia, ut mox iis corruptis, ac Christi Domini præsentia remota, mutentur in chylum, nutriántque perfectè; sicuti quilibet communis panis, & commune vinum: id quod est directè contra naturam Jeiunii, petentis macerationem carnis, & modicam nutritionem, quæ omnia latè Theologi passim explicant, & quoad nostram responsionem sic tenet Diana *loco mox citando.*

14. Quæres iterum. Quid de Jejunio naturali? Si quis e. gr. sumeret vini, panisve consecrati aliquam quantitatem, essétne Jejunus, ut sic communicare iterum posset eodem die? Id certè ex concessione Ecclesiæ, ritè, & cum laude facit Sacerdos in secunda, & tertia Missa Natalis Domini, & Parochus, qui duabus Parochiis inservit in casibus alibi explicatis, & in casu dandi Viaticum moribundo ex probabili sententia, si deficiant particulæ præconsecratæ. Sed petitio præsens est de aliis casibus, & absolutè. Quare, si quis e. g. etiam laicus post peractam communionem iterum eodem die communicaret, is peccarétne contra prohibitionem Ecclesiæ, bis communicandi in eodem die, an etiam contra prohibitionem communicandi post cibum assumptum? cum enim SS. Christi Corpus, & Sanguis non contineat substantiam, panis, & vini, atque adeò non sit cibus, nec potus usualis, videtur is post illa assumpta esse omninò Jejunus.

15. Respondeo Fagundez apud Dianam *part. 11. tract. 6. resol. 18.* & propendet ipse Diana, censet, peccare etiam contra prohibitionem communicandi post cibum, quia pro die Natalis Domini, & pro aliis illis casibus est privilegium concessum ab Ecclesia, quod in aliis casibus non adest.

16. Thomas autem Hurtadus, & Amicus apud eundem Dianam censent, non peccare contra Jejunium naturale, quia verè tunc non assumitur substantia cibi, sed SS. Christi Corpus. Nec obstat, inquiunt primò, quòd nutriat, quia non nutrit, ut panis, sed ut Corpus Christi. Nec obstat secundò, quòd sequeretur, eum non frangere Jejunium, qui præter refectionem meridiei assumeret multas particulas consecratas; non obstat, inquiunt, quia multæ particulæ, quamvis consecratæ, nutriunt, atque adeò sunt Jejunio Ecclesiastico contrariæ, cùm id sit contra finem Jejunii Ecclesiastici. At sumptio particularum consecratarum non est contra finem præcepti, quæ est reverentia debita tanto Sacramento, atque adeò non est contra finem Jejunii naturalis.

17. Mihi videtur probabilior sententia Fagundez. Ratio est, quia non potest negari, assumi cum ipso Christi Domini Corpore accidentia, quæ mox mutanda sint in chylum. Ecclesia autem in reverentiam ejusdem Domini vult, ut ipse idem Christus non inveniat sto-

stomachum præoccupatum, in quo scilicet eodem die fuerit materialis, & nutritivus Corporis chylus.

18. Quare parum facit ad intentum adversariorum, quòd particulæ consecratæ non nutriant, ut panis; satis enim pro nobis est, quod nutriatur: præterquam quòd, illud quod adversarii docent, quòd nutriant, ut Christi Corpus, nescio, an ritè dictum sit, quia non est Christi Corpus, quod nutrit, sed accidentia, quæ mutantur in chylum, modo supra dicto. Atque hinc etiam sequitur, quòd, posito quòd, modo explicato, accidentia nutriant, non possit evitari irreverentia, quæ ex instituto Ecclesiæ judicetur fieri Christo Domino, invenienti stomachum, veluti præventum eodem die à præsumptis accidentibus, eorúmque effectu, quo corpus nutriatur.

Jejunium in solo pane, an admittat pastilos ex sola farina?

19. INquires quartò. An peccet is, qui vovit solùm panem comedere, si eodem die voti alia esculenta sumat ex solo frumento, vel sola triticea farina confecta, qualia sunt, quæ ab Italis, vel Vermiculi, vel maccherones appellantur, vel quales essent pultes ex solo cremore frumenti (vulgò ex amido) nullâ aliâ re commixtâ? Ratio dubitandi est, quia sic videtur, & sic non videtur, is substantiam panis assumere.

20. Respondeo peccare. Ratio sumenda est ex intentione communi sic voventium; qui, dum Jejunium in pane, & aqua vovent, solo pane communi, & ordinario se fore contentos promittunt; nisi expressè aliud intendant; atque illa edulia, quamvis ex triticea farina compacta, longè aliud sunt in usu, & existimatione hominum, quàm panis communis; ergo, &c.

21. Illud nihilominus facilè huic concedo, ut possit is panem ordinarium in aqua coquere, & hoc modo coctum comedere, quia sic non se extrahit à communi pane. Quare, sicuti posset panem prædictum communem ad prunas assare, assatóque tunc vesci, quod nemo negat; sic poterit aqua elixare, elixatóque frui.

Quantitas lacticiniorum in vespertino jentaculo.

22. INquires quintò, cum *supra cap. 6. n. 23.* dixerimus, posse probabiliter licitè, in vespertino jentaculo Jejunii assumi, non quidem ova (hæc enim omninò excluſimus *ibid. n. 24.*) sed alia lacticinia, quando scilicet ea possunt comedi manè in plena refectione, remanet difficultas quoad eorum quantitatem, seu mensuram pro dicto jentaculo.

23. Respondeo: & quidem inquiri potest de quantitate parva, de mediocri, de magna.

24. Quoad parvam, id est, illam, quæ constituat in hac re parvitatem materiæ, dixi ibidem, à Leandro alios citante, concedi sine mortali mensuram dimidiæ unciæ plus, minus, id quod ibi satis explicatum est; & confirmari etiam potest ex dictis supra *c. 5. n. 39.* Quare dicta, ibique explicata caſei quantitas poterit licitè adhiberi in jentaculo

taculo illius, qui ex privilegio, vel dispensatione lacticiniis vesci in Jejunio potest.

25. Quoad mediocrem, de qua ego locutus sum *dicto cap. 6. num 23.* sum enim locutus absolutè de caseo, similique lacticinio, eo modo, quo caseus comedi pro obsonio solet communiter in usu humano: qui communis usus non usurpat comedere caseum, vel butyrum, vel quid simile jentaculo, nisi cum pane; dico, quantitatem lacticiniorum, quæ potest permitti in jentaculo Jejunii admittentis sive ex privilegio, sive ex legitima consuetudine dicta lacticinia; dico, inquam, hanc quantitatem mensurari debere ab hoc eodem communi usu: ut scilicet in hac opinione, quæ concedit lacticinia habenti e. g. Bullam, tantum casei e. g. in talis Jejunii jentaculo possit licitè comedi, quantum adhiberi regulariter solet à faciente jentaculum cum proportionato pane. Cùm igitur, qui octo unciarum jentaculum etiam extra Jejunium facere velit, soleat ad summum quartam plus, minus casei partem adhibere, ita ut sex unciis ex pane cum dimidia addat pro obsonio unam unciam cum dimidia ex caseo, sequitur, quòd in vespertino Jejunii prædicti jentaculo, secundùm hanc opinionem possit quis habens Bullam, vel privilegium, comedere uncias septem ex pane, & unam ex caseo plus, minúsve. Hanc mensuram, mediocrem appellavi; intellige semper de uncia Romana, quam mercatoriam aliqui appellant, & nos Siculi unciam (*alla sottile.*)

26. Quoad magnam, de qua ego nec *loco citato*, nec *alibi* loquutus sum, quæ est illa mensura excedens usum casei communem, qualis esset, si quis vellet totas uncias octo concessas pro jentaculo, assumere in caseo, in butyro, in lacte; id, quod nimis esset extraordinarium; quis enim pro jentaculo etiam extra Jejunium sumit octo uncias ex solo caseo, vel butyro? Idémque certè est propter paritatem rationis de sumente majorem partem notabiliter ex caseo, quàm ex pane. De hac igitur quantitate, quam magnam appello; & de qua, ut dico, nunquam locutus sum, assero, mihi videri improbabile, illam licitè sumi posse in Jentaculo Jejunii. Ratio est, quia caseum admittimus, & *loco cit.* ut probabile admisimus in ea quantitate, & eo modo, quo in secundis mensis adhiberi solet; at tunc solùm solet sumi in parva, vel ad summum in prædicta mediocri quantitate, ipso usu, servantibus omnibus, illud medicorum: Caseus est sanus, quem dat avara manus.

27. Scio nihilominus, videri etiam hanc magnam quantitatem concedi à Marco Vidal *in Arca Theologica titul. de Jejunio Inquis.* 1. *n.* 140. qui, dum concedit dicta lacticinia in dicto Jentaculo pro habente privilegium, sic addit. Ratio est, quia isti sunt cibi leves parùm famem sedantes, unde plus fames sedatur sumendo nuces, panem, legumina, & alios ejusmodi cibos, quàm sumendo eandem quantitatem ex dictis lacticiniis. Hæc ille. Quod idem posset confirmari ex doctrina ejusdem Marci *ibid. n.* 123. allata, quòd nimirum in vespertina collatiuncula, quæ fuit

fuit introducta ex consuetudine, non tam sit attendenda qualitas, quàm quantitas.

Scio item, idem intelligi posse ex Pasqualigo, qui *decis. 114.* sine ulla distinctione, vel limitatione concedit eum, qui aliàs licitè comedit manè laeticinia, posse vespere pro jentaculo eadem comedere. Scio, inquam, hæc, sed his acquiescere propter rationem à nobis modò dictam nequaquam possum.

Jejunium servatum in uno loco an repetendum in alio?

28. INquires ultimò. An si servavi Jejunium juris communis in uno loco, obliger aliquando illud servare in alio? Panormi e. gr. jeiunatur die Mercurii e. g. pro festo S. Jacobi, si hoc incidat die Veneris, quia die Jovis est solemnitas S. Christinæ Patronæ; at Montregali jeiunatur die Jovis. Si ego jeiunavi die Mercurii Panormi, sed die Jovis muto domicilium cum animo morandi Montregali, obligórne iterum ibi jeiunare? Idem quæritur de vigilia S. Bartholomæi in iis locis, in quibus vigilia, & festum postponitur; & in Quadragesima in iis locis, in quibus est diversitas Kalendarii?

29. Respondet Pontius *lib. 5. matr. cap 8. in fine*, ait, te obligari, quia jus commune obligat unumquemque in quocunque loco, ubi illud non sit abrogatum; at Montregali e. g. non est abrogata obligatio jeiunandi in dicta die, & idem de Quadragesima, ergo, quamquam illam complesti, adhuc obligaris alibi, ubi non est completa, si ibi figas domicilium.

30. Nihilominus veram sententiam puto eam, quam sequitur Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 23.* Baldell. *tom. 1. lib. 5. disp. 31. n. 4.* aliique cum Verricelli, *de Mission. tit. 3. q. 88 n. 8.* hoc est, te non obligari. Ratio est, quia præceptum jeiunandi, indictum à Jure communi, obligat me semel jeiunare, non autem bis; neque enim Ecclesia præcipit bis satisfacere suo præcepto, sed semel. Semper autem abesse debet scandalum, quod facilè vitabitur, si astantibus dicatur, te jam jeiunasse, & præceptum impleviſſe.

31. Sed quid contra, si nimirum ego, non completa Quadragesima, accedam ad locum, ubi jam est completa, obligórne ibi eam complere; vel vigilia à me non servata accedam ad locum, ubi vigilia jam amplius non servatur?

32. Respondeo. Obligat te Merolla *tom. 2. disp. 4. c. 3. n. 557.* quia præcepta communia, de quibus loquimur, obligant absolutè in quocunque loco quisque sit. Non te obligat Sanchez *l. in dec. c. 12. n. 30.* aliique cum Verricelli *loco cit. n. 19.* quia in tali loco jam cessavit Quadragesimæ, vel vigiliæ præceptum, atque adeò cessavit ejus obligatio, ergo potes, te conformare illi loco, ubi inveniris semper remoto scandalo. Utraque sententia est probabilis: recole, quæ diximus *c. 2. num. 27. & 30.*

* * *

PAR-

PARERGON
AD QUARTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

DISPUTATIO UNICA.

DE PECCATIS CIRCA CIBUM, ET POTUM.

Omnis virtus, atque adeò temperantia in cibo, & potu consistit in medio, séque removet à vitijs, quæ sunt per defectum, vel per excessum. De his igitur suo ordine in sequentem modum breviter agamus.

CAPUT I.

Peccata in cibo, & potu per defectum.

De volente cibum ullum sumere.

1. INquires primò de eo, qui fortè nolit per multos dies, se cibo reficere.

2. Respondeo, hunc peccare juxta gravitatem damni, quod sibi contra charitatem propriam infert, non esse dubitandum, quia homo non est dominus suæ vitæ, suorúmque membrorum, sed DEUS, qui illam concessit. At quæstio est de aliquo, graviter infirmo, cui tanta non rarò sit cibi inappetentia, seu nausea, ut cibum illum sumere constanter respuat. Nam de hoc quæritur, an peccet, nihil volendo comedere.

3. Colligò ex DD. mox citandis, me non obligari cibum sumere, quando valdè laborem in eo assumendo, quia cum tanto labore charitas hominem non obstringit. Hæc enim vita (*ait Joan. Sanchez disp. 46 num. 16. Excusans eum, qui ob vitanda tormenta gravia confitetur delictum; ob quam confessionem est morte plectendus*) hæc, inquam, vita non est digna, ut tanto dolore à me conservetur.

4. Confirmatur, quia infirmus non obligatur sumere extraordinaria, & magnis impensis conquisita medicamenta, cùm satis sit, medicinis uti com-

munibus ; nec obligatur pati sciſſionem alicujus partis corporis, exhibendam cum magno dolore, quia cum tanta difficultate non me urget propria charitas, nec cum tantis tormentis (ut dictum est) vita mihi à DEO datur conservanda, ergo pari modo nec me urgebit in illa gravi (ut supponi debet) nausea, & morali quadam cibi sumendi impotentia.

5. Lege Toletum *de septem peccatis mortalibus cap. 60.* Navarr. *in Sum. cap. 23. num. 128.* Guimenium *in Elencho propos. fol. 60.* Et Victoria quidem *in relectione de temperantia num. 1.* sic habet. Quid, si æger sim, & nequeam potum sumere, nisi magno cum cruciatu?

Respondeo, si animi dejectio tanta est, & appetitivæ virtutis tanta consternatio, ut nonnisi per summum laborem, & quasi cruciatum quendam possis sumere cibum, aut potum, jam reputatur quædam impossibilitas ; & ideò excusatur saltem à mortali, maximè ubi est exigua spes vitæ, aut nulla.

De voto non comedendi Carnes etiam in periculo vitæ.

6. INquires secundò : An, si quis voveret perpetuò abstinere à comestione carnium, etiamsi verè essent necessariæ ad vitam servandam, validè voveret, & licitè?

7. Respondeo, si intelligas pro quacumque circumstantia, ut si e. g. esses in loco, ubi aliud tibi non supperetet, nisi carnes, illásque ni comederes, fame perires ; vel ita infirmitate periculosa laborares, ut nisi illis te reficeres, mortem subires, votum hujusmodi nec validum esset, nec licitum ; quia esset de re mala, & contra præceptum naturale conservandi vitam. Si verò intelligas his, vel similibus periculis seclusis, esset validum, & licitum, quia tunc esset de re bona, nempè de moderata corporis maceratione.

8. Dices : At Carthusiani etiam in periculo mortis laudabiliter sive ex voto, sive ex pia consuetudine abstinent semper à carnibus.

9. At de his pari modo affirmo cum Fagundez, *in Decal. lib. 5. cap. 19. & 20. & cum Azorio, aliisque*, ipsos debere in periculo mortis omninò carnes comedere, si alius aptus cibus abest, ut si essent in deserto, ubi non nisi carnes habere ex venatione possent ; vel si opprimerentur aliqua mortali infirmitate, carnes extremè requirente. Verùm, quia regulariter alii sunt cibi, vel ex vitellis ovorum recentium, vel ex delicatis pisibus, vel ex similibus terræ fructibus confecti, qui carnibus æquipolleant, ideò regulariter cum laude, tum in vita, tum in mortis periculo carnes ob mortificationis amorem à mensa repellunt.

Scio, quosdam cum Joan. Sanchez *disp. 3. num. 7.* probabiliter sentire, etiamsi alii cibi desint in prædicta necessitate, etiam extrema, posse, immò & teneri suum votum servare (si tamen votum est, ut docet Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 2.* nam esse solùm regulam, atque adeò, ad illam non teneri in illo periculo, docet Sanchez *consil. cap. 2. dub. 31.*) teneri, inquam, & posse non conservare vitam ad conservandam religio-

ligiosam disciplinam, publicúmque bonum, ac fervorem suæ Religionis; id quod non est se occidere, ajunt, directè, sed indirectè, ut ipsi latiùs explicant.

Comedere, vel bibere ob solam voluptatem.

10. INquires tertiò: Si quis comedat, vel bibat non ex intentione se alendi, ad quem finem dati nobis sunt à natura cibi, sed solùm ad capiendam voluptatem, peccabitne saltem venialiter, præscindendo semper à nocumento corporali, de quo dicetur *cap. seqq.*

11. Respondeo, secluso dicto nocumento, licere etiam sine veniali edere, vel bibere ob voluptatem, docet Bassæus, *Ver. Gula num. 20.* & Joann. Sanchez *disp. 25. num. 44.* quem refert Diana; *part. 3. tract. 5. resolut. 5. & part. 11. tract 8. resol. 35.* Ratio est, inquiunt, quia non est contra rationem, quòd quis velit appetitum naturalem suis actibus delectari, qui actus non sunt contra rationem rectam, qualis est actus edendi, vel bibendi. Nam secus, olfacere res odoriferas, audire svavem melodiam, respicere floribus, herbisque ornata prata solùm ob delectationem, esset peccatum veniale, quod dicere, nimis esset durum; unde addunt, solùm esse peccatum, quærere illam delectationem in cibis, quando est cum nocumento propriæ salutis.

12. Verùm, ne erremus, distinguendum est. Vel enim loquimur de eo, qui edit, bibitque ob delectationem quidem, non tamen sistendo in ipsa, sed tantùm comitanter, simul eam delectationem ordinando ad sustentationem corporis, vel restaurationem salutis. Talis est ille nauseabundus infirmus, qui, ut possit suæ sanitati consulere, quærit, desiderat, petit ea, quæ cum delectatione sumat, quia, ut communiter fertur, *quod sapit, nutrit*; ut sic scilicet cibum sibi utilem, & necessarium sumat. Si de hoc, inquam, vel simili loquimur, licitè quis in omnium Doctorum sententia delectationem in edendo quærit, quia ad suum finem ordinat ejusmodi delectationem.

13. Vel loquimur de eo, qui solùm delectationem ita eligit, ut nullo modo, neque explicitè, neque implicitè ordinet ad finem, ad quem natura destinavit comestionem, putationemque, hoc, est, non ordinat ad finem alendi corpus, vel instaurandæ salutis, vel illius conservandæ. Et tunc cum Pasqual. *decis. 16.* ajo, peccari venialiter. Ratio potissima est, quia negari non potest, aliquam deordinationem esse, quidpiam agere, non intendendo finem institutum à natura; nam certè rationali homini indignum est relinquere finem principalem, & sistere in medio instituto ad talem finem. Finis autem comestionis est corporis saluti providere per delectationem illam, tanquam per medium; ergo &c. Ita S. Thom. *2. 2. quæst. 148.* Ita etiam S. August. qui *lib. cont. Julianum cap. 14.* sic habet in confirmationem prædictorum; non solùm cibo, sed etiam cibi sapore eget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam li-

bidinem, sed propter tuendam salutem.

14. Ad rationem Joann. Sancii allatam *num.* 11. affert disparitatem Pasqualigus *loc. cit.* quia, inquit, delectatio in cibo, & potu est medium ad sustentationem corporis; at olfacere res odoriferas, audire svavem cantum, aspicere prata viridia, & similia, immediatè sunt instituta ad recreandum animum, & ad illum delectandum. Quare, qui hæc facit ob solam delectationem, fini principali intento à natura inservit, quòd non facit is, qui comedit ob solam delectationem.

15. Ego aliam disparitatem affero cum Pontio *lib. 1. de matrim. cap. 21. num. 6.* ductam à doctrina, quam cum omnibus Theologis tradit *ibid.* ipsemet Joann. Sanchez quòd nimirum omnis excessus in re quomodocumque concessa, est semper culpa, saltem venialis. Affero, inquam, hanc disparitatem. Qui respicit spatiosa prata, vel audit svavem symphoniam &c. solùm ob delectationem, in nullo periculo est, admittendi excessum regulariter; at comedendo, & bibendo ad solam delectationem proh quantum periculum proximè subit admittendi excessum; quare à peccato veniali se liberare non potest.

16. Contra illud, quod Joannes Sanchez addit, peccatum gulæ solùm reperiri in sumptione cibi, vel potus cum nocumento corporis, maximè faciunt duæ rationes. Prima est, quia non esset gula vitium oppositum temperantiæ, sed justitiæ, vel charitati propriæ. Id quod est contra omnes Theologos.

Secunda, quia ex S. Thoma communiter recepto *loc. cit. art. 4.* quinque modis committitur peccatum gulæ, hoc est.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Sed potest peccari his modis sine nocumento corporis, ergo potest esse gulæ vitium sine corporis nocumento, quod negari deberet à Joan. Sanchez.

Quæ hactenus dicta sunt de peccato veniali ejus, qui ob solam delectationem, comedit, solùm ex probabilitate dicta sunt: nam cæterum contrariam sententiam sic firmat Honoratus Faber, *in Apologetico cap. 37.* Graves (ait) Theologi docent, delectationem ex gustu quæsitam æquè culpa carere, ac illam, quæ visu, auditu, odoratu percipitur: & multi docent, hujusmodi delectationes ex se non bonas, nec malas, sed indifferentes esse. Ita sentiunt Bonaventura, Scotus, Ocham, Almain, Major, Gabriel, Joan. Sancius, Cajetanus, cujus verba hìc apponenda mihi videntur: (*Nullum*, ait, *peccatum est in hoc, quòd cibus delectabilis, delectabiliter sumatur, nisi quis sit adeò insipiens, ut putet, omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum.*) Hæc Cajetanus. Peccatum autem est veniale, si delectatio illa sit tantùm per inordinata, e. g. quando comedis ante tempus, vel nimis exquisita, vel plus justo, &c.

De hoc argumento lege Th. Hurtad. *de Congr. fol. 227.*

Di

De Offendente suam salutem abstinentiis.

17. INquires quartò. *Quid sentiendum de eo, qui sumit quidem aliquem cibum, sed non sufficientem ad sui corporis salutem?*

Huic inquisitioni sequentibus dictis resp.

Dico primò nemimem teneri uti cibis delicatioribus in hunc finem, ut vitam longiorem conservet; posset enim contentus esse cibis communibus, & suo statui congruentibus. Ratio est, quia nemo obligatur vitam sibi prolongare extraordinarijs medijs, sed humanis, & ordinarijs, dummodò ea sumat, quæ satis sint ad se sustentandum: secus, nimis onerosa esset hæc vita, si obligaremur quærere delicatiora. Ita Sanchez *libr. 5. consil. cap. 1. dub. 33.* aliique.

18. Dico secundò eum, qui abstinentijs, & Jejunijs se macerat, ad finem, ut citò moriatur, peccare mortaliter. Patet; quia sic est veluti sui interfector, quòd, ut vidimus supra, licitum non est. Quare neque hoc licet, etiamsi intendas, & hoc facias pietatis causa, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Sanchez *ibidem num. 9.* aliique.

19. Dico tertiò idem peccatum committi, si, quamvis non habeas dictum finem, tamen advertis, te tuis abstinentijs notabiliter minuere tuam vitam. Ratio est eadem, quia ex se malum est diminuere sibi vitam, cujus nemo est Dominus, nisi DEUS; unde tunc illæ abstinentiæ non sunt actus virtutis, siquidem virtus est illa, quæ fit secundùm mensuram rationis, quales non sunt prædictæ abstinentiæ.

20. Una exceptio hîc adhibetur à Doctoribus, nimirum non peccari, quando finis est hujusmodi, ut congruum sit pro ipso tali fine vitam minuere; ut si filius indigens pro sua sustentatione uno quotidiano pane, quem solùm habet, illum dividat cum Patre omninò indigente, sanè tunc tanta pietas licitam reddit diminutionem vitæ filii.

Ex hoc tertio dicto sequitur, tibi non licere, etiam intuitu Religionis, e. gr. ut subjicias spiritui carnem, vel ut magis merearis, vitam indiscretis abstinentiis notabiliter diminuere. Patet ex dictis.

21. Dico quartò. *Quando corpori datur id, quòd morali judicio sufficere putatur ad illud sustentandum, salutémque conservandam, omninò licere* Jejunia, & abstinentias assumere ob finem boni spiritualis animæ, licet prævideatur diminutio vitæ. Hoc dictum, est diligenter notandum, & benè intelligendum; conciliat enim ea, quæ hactenus diximus, cum praxi Sanctorum, multas, & graves abstinentias assumentium. Nam si quis dat corpori, ut dicimus in hoc quarto dicto id, quod satis est ad illud conservandum, jam non diminuit vitam suam, quia vitæ dat, quod illi debetur, & sufficit. Esto, quòd illam indirectè aliquando non prolonget, ut prolongaret, si dictis abstinentiis non vacaret. Aliud enim est sustentare vitam, aliud prolongare. Ad prius tenemur, non ad posterius. Lege Angles *in floribus q. 8. de*

de Jejunio Concl. ult. & Sanchez *loc. cit. n.* 11. cum De Lugo *tom. 1. de Justit. disp. 10. à n.* 32.

Rectè igitur Victoria *in relect. de temperantia n.* 9. ait, neminem teneri vivere in loco saluberrimo, sed posse habitare in regione noxia, ratione frigoris, & caloris, & humiditatis. Et Sayrus *in Clavi Regia lib. 3. c. 9. n.* 18. dicit, non teneri quempiam ad locum etiam proximum migrare ob salubriorem aerem, nec bibere vinum, quamvis Medicus dicat, ejus potu vitam ad decennium prolongatum iri. (Excipe tamen, nisi ob bonum publicum sua fortè vita necessaria esset) Et Sanch. *lib. 3. conf. cap. 1. num. 4. & 5.* sic loquitur. Non tenetur quis uti medicinis ad prolongandam vitam, etiam ubi esset periculum probabile mortis, ut quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres, quamvis teneatur quis, dum morbo laborat, consulere Medicos, & uti cibis salutaribus. Intellige, prout cuique secundùm suas facultates datur copia. Quæ omnia dicta, cum sale discretionis sunt intelligenda.

22. Hinc collige primò, sanctos Patres, se multùm macerantes, semper dedisse corpori, quod ipsi sufficeret, si secus fecissent, peccassent; nisi bona fides, vel ignorantia illos excusasset, vel peculiaris Spiritus Sancti instinctus, nobis ignotus, non inspirasset.

23. Collige secundò. Abstinentias, & Jejunia, immò & flagellationem, aliasque similes macerationes in Religionibus approbatis licitas esse; quia in earum approbatione semper imponitur, ut Religiosi sumant, quod necessarium ad sustentationem est. Quod si deinde aliquis indiscretus Religiosus in hoc erret, ipsi error imputatur, non autem Religionis instituto.

24. Collige contra tertiò. Concionatores, Lectores, Magistros, similésque, si se abstinentiis ita macerent, ut ad sua munia exercenda inhabiles evadant, seu evadere, prudentis arbitrio, timeatur, peccare utique non solùm contra seipsos, verùm etiam contra eos, quibus obligantur sive ex charitate, sive ex justitia, sive ex suo Religioso statu, ea officia exhibere; mortaliter, vel venialiter, juxta damnum, quod inferunt.

25. Quæres. Quandonam ejusmodi abstinentiæ, & pœnitentiæ improbandæ sunt, tanquam indiscretæ? Respondeo cum Granato apud Dianam *p. 5. tr. 4. resol. 33.* id arbitrio prudentis definiri debere, spectata valetudine, viribus, ætate, &c. Addit tamen idem Granado: *rem hanc non esse scrupulosè accipiendam præsertim ab his, qui ob divinum obsequium, & ad satisfaciendum Deo pro peccatis cruce pus affligunt: rarò enim, aut nunquam damnandus esset, tanquam mortalis culpæ reus, qui propterea vitam valdè abbreviaret.* Hæc Granado, sed ejus venia delendum est illud (*valdè*) ne demus ansam indiscretis abstinentiis.

CA-

CAPUT II.

Peccata in cibo & potu per excessum.

An humanæ carnes licitè comedantur?

1. INquires primò. Cùm ipsum dictamen naturale, quo animus horret, carnes humanas manducare; ostendat, earum usum esse magnum intemperantiæ excessum, & peccatum mortale, ut latè probat Gobat *de ebrietate c. 28. àn. 175.* Inquires, inquam, an saltem in aliqua gravi necessitate, in qua omnes alii cibi desint, liceat comedere prædictas carnes hominis, jam aliàs occisi? Dico (*occisi*) nam certum est, non licere tibi, hominem occidere, ut tu etiam in necessitate carnibus illius vescaris.

2. Respondeo. Ejusmodi gravi necessitate existente, ut si quis mortem esset oppeturus ob inediam, nisi eas comederet, eas comedere, non esse peccatum. Ita S. Thomas, Sanchez, Lessius, aliique cum Diana *p. 3. tr. 6. res. 48.* Ratio est, quia in tanta necessitate ipsum idem dictamen naturæ id tibi concedit, ut scilicet à te vita omnibus viis non prohibitis servetur.

Quòd autem id prohibitum tunc non sit, ut item, quòd inde nullum damnum fiat tertio, patet ex eo, quòd nec prohibitio, nec tertii damnum, ne probabiliter quidem, afferri potest.

Quòd si Pasqualigus *de Jejunio decis. 11. & Azor, Fagundez, aliique ab eodem citati*, dicant, esse mortale etiam in necessitate; quia id prohibitum est jure naturæ, siquidem est, ajunt, contra rectam rationem, non sunt audiendi, quia nimis gratis id dicunt; horror enim naturalis comedendi sine necessitate humanas carnes quem modò n. 1. supposuimus, valdè minuitur.

Confirmatur, quia prædicti Doctores ultrò concedunt, posse in medicamentis, quempiam uti humanis carnibus, ut est communis praxis; ergo etiam in casu nostro, cùm tunc eæ carnes sint vitæ medicamentum. Scio, eos conari afferre disparitatem, sed certè solidam nequaquam possunt.

3. Quæres primò: Si in ea necessitate posset quis illis vesci, obligatúrne?

Respondeo: puto, non obligari, ex ea universali ratione, quam supra *c. 1. num. 4. & 5.* innuimus, quia nemo obligatur cum extraordinarijs medicamentis, & consequenter cum tam extraordinario cibo, & valdè insolito, qualis est humana caro, vitam sibi producere extra casum boni publici. Legite Sanchez *lib. 1. in Decal cap. 18. num. 14.*

4. Quæres secundò: Quid de illis senibus, qui bibunt sanguinem ex vena secta adolescentis detractum, ut eorum vigor concilietur, & senectus prorogetur?

Respondeo. Sanè Baldell. *disp. 29. num. 19.* testis est à Marsilio Ficinio, & pluribus alijs Medicis, hunc potum laudari, tamquam singulare pharmacum ad conciliandum vigorem corporis senilis, & ad senectutem prorogandam. At id negant alij cum Lessio, addente Ficinium, & alios Medicos, ejus le-

sequaces, fortè in ratione medica esse deceptos.

Verùm suppositâ veritate talis medicamenti, ajo cum Baldello, & Lessio, ad prædictum finem posse licitè senem hoc uti remedio ex consilio Medici, præsertim si foret Princeps necessarius bono publico. Ratio est, quia hæc dicta utilitas excusat à peccato assumptionem talis remedii ex se, & intrinsecè non mali.

Carnes animalium crudas comedere.

5. INquires secundò: An comedere carnes animalium crudas, sit peccatum? Crudas, inquam, nam de carnibus sole, vel fumo assatis, vel sale maceratis, quærendum non est; quia has non esse crudas, sed coctas nullus ignorat.

6. Respondeo: Esse peccatum grave, vel leve, pro ut grave, vel leve damnum sibi quis, eas sic comedendo, fortè infert, non esse dubium. At præscindendo ab hoc detrimento salutis, dico primò nullum esse peccatum, quando ex rationabili causa sic crudæ comeduntur, si non habeatur commoditas coquendi, vel sic crudæ essent necessariæ ad sanitatem, &c. Dico secundò, præciso omni damno, præcisâque rationabili causa, esse duas sententias. Fagundez *Præcep. Eccl. 4. lib. 1. cap. 2. num. 4.* ait, non esse peccatum mortale. Pasqualigus, *decis. 15* ait, mortale esse; quia est belluinum quid, & barbarum, habétque dissonantiam cum recta ratione; unde, cum sequatur inde gravis jactura humanæ dignitatis, eas sic comedens, ait, non excusatur à mortali. Mihi certè, qui libenter sequor sententiam Fagundez, videtur quidem dissonum, atque ab humanis, rectèque sentientium moribus alienum, eas comedere, unde fortasse aliqua sit venialis deordinatio, sed quòd sit deordinatio gravis, atque adeò peccatum mortale, æternáque Inferni pœna mulctandum, affirmare nec valeo, nec audeo cum Gobat, *loco citat. à num. 129.*

Comedere extraordinaria, cretam, terram, &c.

7. INquires tertiò: An comedere ea, quæ non sunt ordinata ad hominum alimentum, e. g. cretam, terram, ferrum, paleas, carbones, & similia, præscindendo à damno, quod sanitati inferunt (hoc enim gravi, vel levi interveniente, graviter vel leviter peccari, nimis sæpè in simili dictum est; id enim est contra propriam charitatem; nam propterea quantitatem modicam ex illis edere, rarò ex hoc cap. excedit venialem culpam) sed, ut dico, an iis vesci, præscindendo à damno, liceat?

8. Respondet Pasqualig. *decis. 14.* & sic distinguit. Si quis ob infirmitatem, vel quid simile ea concupiscat, quia tunc ob delectabilitatem, quam habent, induunt rationem cibi, non est, ait, peccatum mortale, sed veniale dumtaxat, quia tunc est inordinatus quidam appetitus, sed certè non gravis, sicuti non gravis deordinatio reputatur nimius aliorum ciborum appetitus. At si cesset harum rerum concupiscentia, iis vesci, peccatum mortale est, quia sit gra-

gravis injuria propriæ personæ, contra ordinem præscriptum à natura, quæ alios cibos sufficientes, non autem illa pro hominibus instituit.

9. Sed profectò donec ostendas gravem deordinationem, vel grave aliquod præceptum, hanc peccati gravitatem cognoscere non possum, memor illius doctrinæ toties à me repetitæ S. Thom. *in quodlib. 9. quæst. 7. art. 15. Periculosè determinatur, aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur.* Quare puto in utraque parte distinctionis Pasqualigi, præciso damno, solam inordinationem venialem, atque adeò solùm veniale peccatum inveniri; unde puellas comedentes sæpè terram, cretámque reprehendo quidem de mortali ex periculo gravis damni, non autem ex dicta deordinatione. Ac de his quidem sic habet Quintanaduennas, *tom. 2. singularium tract. 3. singul. num. 7. tr. 7.* Meminerint Confessarii, & adolescentulas moneant, culpam gravem committere, quando edunt calcem, carbonem, figula vasa, seu testea, seu fragmenta, salem, triticum, & similia, quæ non levem salutis jacturam inferre communiter solent, etiamsi paulatim deglutiantur, aut ipsæ dicant, sibi minimè nocere: & in has severissimos se ostendant, absolutionem nonnumquam differendo. Hæc Quintanaduennas satis rigidè; nam si parum, aut ratò illarum rerum edant, non videntur admodum suæ saluti nocere.

De febricante volente bibere.

10. INquires quartò: An, si quis e.g. febri laborat, sitímque gravem patiatur, possit licitè bibere?

11. Respondeo, verbis Caram. *in Theol. Reg. tom. 1. num 45.* qui sic habet. Petrus laborat febri, vult aquam in accessu bibere; petis, an peccet? Volo doceri; quid ex isto aquæ haustu sequetur? Si solùm sequetur, quòd febris sit molestior, & laboriosior, non peccat venialiter, quia ipse est dominus suæ commoditatis, & ut potest, disciplina, & Jejunio, se commoditate privare propter DEUM, etiam posset haustu illo aquæ, si ex haustu illo nihil præter incommoditatem sequeretur.

Posset ex illo haustu sequi, quòd febris duret per plures horas; & tunc item peto, an ista febris evidenter futura sit causa directa, ut ipse omittat aliquam obligationem, cui aliàs teneretur satisfacere (puta, si ille ægrotus haberet mediocrem salutem, nempè sufficientem, ut post discessum febris teneretur, aut legere suas horas, aut in die festo audire sacrum, & propter istum haustum evidenter sciret, se reddi incapacem, ut illi obligationi respondeat;) tunc obligationis omissio illa, voluntaria consenda est, & juxta istius omissionis, aut levitatem, aut gravitatem est illa intemperantia judicanda.

Potest tandem ex illo haustu sequi evidens mortis periculum, & tunc ille peccat mortaliter. Hactenus Caramuel.

12. Sed dubitabis adhuc, an, si hujusmodi æger gravissimam, intolerabilémque sitim pateretur, posset sine peccato bibere, tametsi cum evidenti periculo mortis? Ratio dubitandi oritur ex illa doctrina, quam supra asserebamus in simili *cap. 1. num. 4. & 5.* ubi concessimus, non obligari infirmum molestissimam Medicinam sumere, quia cum tanto labore nequaquam propria charitas obstringit, nec vita nostra est cum tanto excessivo dolore conservanda.

13. Respondeo. Prima facie paritas videtur esse eadem; sed ego introspicio illam disparitatem; nam nolens assumere illa difficillima remedia, se habet solùm negativè, & solùm veluti permissivè dat suæ morti occasionem, at in casu præsenti se habet positivè, & per aquam, quam voluntariè bibit, est causa positivè concurrens ad suam mortem. Sic mihi videtur; sed tamen aliis, me sapientioribus, id decidendum relinquo.

An teneamur abstinere à carnibus, vel vino, ob bonum spirituale?

14. CAsus posset esse hujusmodi. Adeò tu stimulis turpibus afficeris, ut videas, cum esu carnium, viníque potu, vel duplici plena refectione, eos vinci à te non posse, & inquiris, an tenearis ab illis abstinere, & jejunare?

15. Respondet Fernandez apud Dianam *p. 1. tr. 9. res. 30.* non solùm te, tuíque similes teneri ad prædictam abstinentiam, quando id necessarium est ad tuam spiritualem salutem; ut quando urget gravis tentatio, & aliud remedium non supperit; verùm etiam prægnantes teneri, quamvis adsit periculum abortus; siquidem salus propria spiritualis præferenda est saluti corporali aliorum. Homobonus autem apud eundem, & idem Diana *loco cit.* hanc sententiam non admittunt in prægnante, cùm ea possit contra stimulos inhonestos sibi consulere aliis remediis, nempe oratione, Sacramentorum frequentiâ, piis consiliis, aliísque spiritualibus armis: quare non debet tanto detrimento suum fœtum exponere. Hæc illi. Quoniam ergo regulariter quilibet suis gravibus tentationibus posset aliis viis se opponere; & ex alia parte non potest esse certus, quód etiam sic easdem non patiatur, non erit quis obligandus ad deserendum ordinarium, temperatúmque usum vini, carnúmque moderatam refectionem.

Se Cibis ingurgitare.

16 AN sit peccatum mortale, se cibis ingurgitare usque ad vomitum, semper præscindendo à detrimento salutis?

17. Respondeo. Si id fiat ex præscripto Medicorum, nullum esse peccatum, quia tunc est medicina utilis saluti, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 188 a. 6.* omnes docent. At si quis id faciat absque dicta utilitate, Sylvester, *Ver. Gula*, & Angelus, *Ver. Immunditia*, affirmant, esse peccatum mortale. Navarrus verò, Cajetanus, & Diana *p. 5. tr. 13. n. 40.* dicunt, solùm esse veniale, quia peccatum gulæ extra ebrietatem regu-

regulariter est veniale. Hæc sententia est probabilior, ad quam videtur etiam inclinare S. Thomas *loco cit.* ad sec. his verbis: *Licet utile sit post superfluam comestionem illam evomere juxta illud Eccl. c. 22.* (*Si coactus fueris inedendo multum, surge è medio, & vome, & refrigerabit te;*) *tamen vitiosum est, quòd aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi, ac potûs.* Ita S. Thomas. Ecce, quomodo id appellat dumtaxat vitiosum, nec aliam majorem censuram addit.

CAPUT III.

De peccato ex superfluo vini potu.

Hoc est, de ebrietate.

1. NOn est nobis hìc sermo de illo superfluo vini potu, quo quis eo modo satiatur, quo identidem in sacris litteris accipitur nomen ebrietatis, veluti est illud Isaiæ, *cap. 25. Descendat imber, & inebriet terram*, hoc est, *satiet*: sed de eo, qui ita hominem satiat, ut ejus mentem conturbet, impotémque rationis pro aliquo tempore reddat.

An, & quale peccatum sit, se inebriare?

2. INquires igitur primò. An se voluntariè inebriare, sit peccatum mortale? Dico (*voluntariè*) si enim quis nihil prorsus suspicans de futura ebrietate, ex eo quia numquam expertus fuerit, se tanto, vel tanto vini potu usum rationis amitterè; si quis, inquam, bona, quoad hoc, fide, bibat, hunc non peccare peccato ebrietatis, scimus omnes, quia tunc ebrietas eveniret contra, vel præter suam voluntatem. De eo igitur est locutio, qui vel bibit, ut se inebriet, quod est expressè, & directè velle ebrietatem; vel cùm advertat, se inebriandum, attamen à tanto vini potu non se cohibet, quòd est velle ebrietatem indirectè. Hæc autem ebrietas sic definiri solet. Est *voluntarius excessus in potando usque ad violentam usus rationis privationem.* Addit Lessius, *lib. 4. cap. 3. dub. 3.* (idque causa voluptatis.)

3. Respondeo. Communiter Doctores vel docent, vel supponunt, ebrietatem esse peccatum mortale: & quidem meritò; nam, *Nolite errare* (ait S. Paulus 1. *ad Corinth. 6.*) *neque fornicarij, neque idolis servientes neque ebriosi Regnum DEI possidebunt. Et ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicuti prædixi, quoniam, qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.* Lege Baldellum, *lib. 5. de leg. disp 30.* Theoph. Raynaud. *de virtutibus lib. 6. à num. 102.* Lessium, Valentiam, aliósque apud Gobat, *de ebrietate, c. 6. & deinceps.*

4. Sed difficultas est assignare, quænam sit ratio tantæ culpæ? Communiter cum S. Thoma 2. 2. *q. 150. a. 1.* hæc affertur, quia est contra dictamen rectæ rationis, quòd homo sciens, & volens seipsum privet usu rationis; siquidem ratio, & potestas utendi ratione,

ne, est data homini tanquam præcipuum, & proprium ejus bonum, quo se velle privare, non potest non esse graviter contra rectam rationem.

5. Præterea ebrietas impedit, ne quis satisfaciat præceptis divinis, & Ecclesiasticis, ergo est culpa mortalis propter periculum, cui se sæpissimè, ebrietatem volens, exponit.

6. Tertiò, ebrietas facit hominem bestiis similem, aut iis deteriorem. Vide mox *n.* 21.

7. Quartò, causat multos morbos corporales; unde Baldellus, *loco cit. num.* 17. quòd aliquis, ait, per inordinatam vini compotationem in ejusmodi morbos, aut pericula sponte, aut scienter se conjiciat, certum est, quòd non vacat culpa mortali.

8. Quintò, ebrietas corpus incendit, & potenter allicit ad turpia; quare ex hoc ipso est mortale. Unde rectè S. Paulus *ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et Prov. 20. Luxuriosa res est vinum, ac tumultuosa ebrietas.*

9. Ex dictis colligo, non esse ponendum in definitione ebrietatis illud Lessij (idque causa voluptatis) nam etiamsi non voluptatis causa, sed e. g. ob complacentiam amici, te vini aliàs non amatorem, sine voluptate, vino repleas, ebrius eris cum peccato mortali, quia prædictæ rationes contra te militabunt.

10. Quæres. Hæc, quæ dicta sunt, & dicentur deinceps, intelliguntúrne etiam de ebrietate primò inducta à potatione cervisiæ, vel similis? Secundò, pe inducta à suffitu tabachi, à lupulo, à cubatione in loco, ubi ejusdem lupuli est copia, ab ardore vini habito in loco, ubi multa sunt dolia vino generoso plena? Tertiò, quid de inducta à cibis aliquibus, vel fructibus; nam etiam panis ex farina, in qua sunt immixta multa grana milii, vel similium, inebriat, ut etiam unedo, qui est fructus arboris, sic dictus, quia unum, hoc est, paucos oportet ex his comedere; multi siquidem inebriant.

11. Respondeo. Profectò de omnibus supradictis, & similibus (si vera sunt, quæ narrantur) idem intelligendum, quod dicitur de ebrietate ex vino, quia jam sic inducitur ebrietas rationis usum tollens. Ita Dicastillus *lib. 1. de Just. disp. 3. n. 121.*

12. Quoniam verò suffitus, seu fumus tabachi dicitur tollere usum rationis non immediatè, sed inducendo somnum; ideo Lessius *lib. 4. c. 3. n. 19.* excusat à mortali illum, qui hujusmodi suffitum hauriat, etiam causa voluptatis; sed Gobat *de ebrietate c. 23. n. 4.* censet, sive in solo somno, sive in vigilia amittatur per suffitum tabachi proxima potentia ad usum rationis, idque per tempus non brevissimum, censet, inquam, esse mortale, si sumatur voluptatis causa; vacare tamen omni culpa, ait, qui consilio Medicorum hauriunt prædictum fumum tabachi ad cerebrum confortandum, caput exonerandum, pituitam expellendam, tametsi fiat, ut per breve tempus, quasi vertigine acti, non sciant, ubi stent.

13. Contra prædictam doctrinam, quòd ebrietas sit per se culpa mortalis, sunt duæ objectiones.

Pri-

Prima est hæc. *Genes. ubi c. 43.* dicitur de fratribus Joseph, quòd biberunt, & inebriati sunt cum eo; at si ebrietas esset peccatum, Joseph vir justus nec in se illam admisisset, nec permisisset in fratribus, ergo, &c.

Respondeo Facilè ex dictis modò n. 1. Sensus enim est, quòd sint satiati, & exhilarati juxta communem Sacræ Scripturæ locutionem. Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, &c.* & alibi passim.

14. Secunda est hujusmodi. Licitum est, se privare usu rationis per somnum, ergo etiam per potum.

Respondeo. Adesse disparitatem quadruplicem; nam primò, in somno usus rationis naturaliter cessat, idque, ut vires corporis, vel amissæ reparentur, vel debilitatæ refocillentur; at per ebrietatem usus rationis violenter tollitur, idque per causam illicitam, nempe per potum immoderatum.

Secundò. Privatio usus rationis in somno inducitur, mediante quiete sensuum; per ebrietatem verò rationis usus tollitur sensibus vigilantibus, unde ratio, quæ deberet sensus vigilantes gubernare, contra naturalem ordinem dormit.

Tertiò. In somno tollitur usus rationis, sed non potestas propinquа utendi ratione; quare si dormiens excitetur, potest statim ratione uti, & sua negotia peragere. Præterea dormiturus disponere potest sua negotia, & committere, ut tali hora excitetur, & statim habilis est ad functiones suas, quæ omnia nimis ab sunt ab ebrio.

Quartò. In somno non adsunt illi pravi effectus, quos modò à n. 5. diximus esse in ebrio.

Semel se inebriare.

15. INquires secundò: An aliquorum antiqua opinio, qui asserebant, ebrietatem, si non sit assidua, & frequens, non inducere peccatum mortale, sed dumtaxat veniale, sit admittenda?

16. Respondeo: Sanè id meritò; ut mox videbimus, admiserunt aliqui ex ea ratione, quia solùm, quando ea est assidua, impedit notabiliter usum rationis, atque infert homini ea notabilia nocumenta, quæ nuper attulimus; verùm, quando est rara, semel e. gr. vel iterum, non ita.

17. Confirmant, primò alii auctoritate S. Aug. *qui Serm. 4. de Sanctis,* aliquot peccata mortalia enumerans, sic ait. *Et ebrietas* (si assidua sit) *in eorum numero computatur. Et in Sermon. 23. de temp. Si reliqua peccata Christiani non admittant, sola eos, si frequens fuerit, ebrietas & emendatio, ac pœnitentia non subvenerit, in infernum præcipitat.*

18. Confirmant alii secundò ex S. Thom. *qui quæst. 2. de malo, art 8. ad 3.* ait: *Quòd sicuti semel inebriari est peccatum veniale, ita & multoties inebriari, est mortale, per se loquendo. Et quæst. 7. art. 4. ad primum. Ebrietas,* inquit, *non semper est peccatum mortale, sed quando homo assidue inebriatur, videtur, quòd non curet, quòd ratio sua convertatur ad DEUM, & in tali casu ebrietas est peccatum mortale.*

19. Ve-

9. Verùm certa sententia apud Theologos (præter Cajetanum *mox num.* 24. citandum) est, etiam semel te voluntariè inebriari, esse mortale. Prob. 1. Ratione, quia ebrietas tollit, ut supra diximus, violenter bonum rationis, quod & naturaliter, & moraliter est præcipuum bonum hominis rationalis; at hoc bonum violenter tollere, etiam semel, notabile damnum infert homini, ergo non potest non esse notabile damnum, atque adeò peccatum mortale commissum contra se ipsum. Sanè, si quis à te per diem violenter usum rationis tolleret, nonne notabiliter tu offendereris, & certè acerbius, quam si à te tolleret semel brachium e. gr. quamvis supponeretur, mox posse ex intervallo illud tibi deinde restituere: quare pari modo, si illum usum rationis tu per ebrietatem à te voluntariè tollas, tibi notabiliter nocebis in re, cujus tu Dominus non es, sicuti non es Dominus tuæ vitæ, tuorúmque membrorum, quorum grave nocumentum, sine gravi culpa, sponte eligere non vales.

20. Prob. 2. Authoritate sacrarum litterarum, quam attulimus *cap. præc. num. 3.* Nim ibi dicitur, non possidendum Cœli Regnum ab ebriis, atque ab homicidis, & fornicantibus; atqui hi etiam, si semel sint homicidæ, vel fornicantes, non possidebunt Regnum Dei, ergo, &c.

21. Prob. 2. Ex communi sensu SS. Patrum S. Basil. *hom 14 de ebrietate*, ubi bestiis comparat ebrios Sanct. Chrysostomus *hom. 58 in Matth* ubi ait: *Quantò melior asinus ebrio est Idem ibidem. Pecudes*, inquit, *irrationabiles vos estis, qui inebriamini, &c.*

22. Ad probationem antiquorum, respondeo, falsum esse, non inferri notabile damnum per infrequentem ebrietatem, ut *num* 19. probatum est.

23. Ad dictam confirmationem dico, S. Augustinum fortè cum antiquioribus sensisse olim, sed deinde, re meliùs expensa, aliter omnino voluisse, ut constat ex eo, quòd *in Epist. 64.* ebrietatem, dicit, esse fœditatem flagitiosam. *Et serm. 45. de temp.* eam adnumerat cum peccatis, quæ homini intercludunt Regnum Dei. *Et serm. 232.* sic disertè pronunciat: *Quis credit, ebrietatem esse parvum peccatum, si se quis non emendaverit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis sine remedio illum æterna, in æternum, pœna cruciabit.*

24. Ad secundam confirmationem pari modo affero: S. Thomam aliquando sensisse, ebrietatem per se, & ex genere suo esse aliquando peccatum veniale: esse autem mortale per accidens, si sit causa luxuriæ, vel alterius peccati gravis. Cujus sententiæ fuit etiam Cajetanus 2. 2. q. 150 *ar. 2.* Verùm S. Thomas mutavit deinde sententiam; nam *lect. 3. in cap. 13 ad Rom. Considerandum est*, inquit, *quòd ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cùm scilicet homo ex proposito inebriatur, quia videtur præferre delectationem vini integritati rationis. Et 2. 2. quæst. 150. præcitata, art. 3.* sic concludit: *Unde ebrietas, per se loquendo, est peccatum mortale.* Quare miror, Cajetanum, valde S. Thomæ

mæ addictum, aliter dixisse in hoc eodem loco, in quo sic apertè concludit S. Thomas.

Ebrietas imperfecta.

25. QUi sine defectu rationis multo se vino replet, sed sine perfecta ebrietate, atque adeò sine plena privatione rationis; ut aliquando contingit, propter bibendi consuetudinem, vel propter capitis robur, peccátne?

26. Respondeo: Tunc peccare saltem venialiter, ne sit dubium: At peccabit etiam mortaliter, quando per ejusmodi potationem notabiliter lædit suam naturam, eam onerans immoderato potu, vel quia adsint illa pericula, & mali effectus plenæ ebrietatis, quæ capite præcedente *à num. 5.* afferebamus, secus, erit regulariter peccatum veniale, quia sic reducitur res ad parvitatem materiæ.

27. Quid, si quis solùm fiat ex liberali vini potu paulò hilarior?

Respondeo: Videri Dicastillo, *l. 1. de Just. disp. 3. num. 2.* hunc peccare: licet enim testetur, viros graves, & doctos censere, te non peccare, si in gratiam amici petentis, & provocantis, eò usque bibas, donec fias paulò hilarior solito, tamen ipse dissentit ab his, eò quod ad nullam virtutem possit pertinere talis potus: non dicit autem, quodnam hoc peccatum sit.

28. Gobat autem de ebrietate *cap. 18. numer. 42.* consentit cum prædictis viris gravibus in eo casu, quo illa provocatio, & potatio, utilis atque necessaria sit ad exhilarandum animum provocantis, vel provocati, occupatum fortè molesta aliqua melancolia; potest enim id spectare ad necessitatem officij, quo quis amicum amicus colit, vel ad vitam sine gravi tædio transigendam. Hæc illi. Ex quibus colligo, ex se id non judicari, nisi veniale, quando, ut modò dixi, non læditur graviter natura, nec aliud grave malum consequitur.

Se inebriare ad sanitatem recuperandam.

29. INquires tertiò: An quis ex præscripto periti Medici possit sine peccato se inebriare ex eo, quòd aliud remedium non appareat, quo gravem infirmitatem à se excutiat?

30. Respondeo. Prima sententia id negat, cujus ratio est, quia etiam tunc privaretur homo usu rationis, ac potentia proxima, utendi illa, quòd est maximum malum, ut dictum est hominis rationalis. Hanc sententiam sequuntur S. Anton. *part. 2. tit. 6. cap. 3. §. 1.* Angelus, Tabiena, Rossella V. ebrietas.

31. Secunda sententia concedit, atque in aliquo rarissimo casu, quo peritus Medicus id necessarium judicaret, vel ad infirmitatem læthalem evitandam, vel etiam ad gravem morbum expellendum, posse licitè quempiam inebriari.

Ratio est, quia de duobus malis minus eligi licitè potest; atqui minus malum est usu rationis ad tempus privari, quam gravi morbo vexari, vel vitam, & cum ipsa usum rationis, amittere, ergo &c. Sicuti ergo potest

quis velle manum sibi abscindi, ne totum brachium marcescat, vel ne ejus vita depertatur; & sicut Medicus potest licitè propinare fœminæ gravidæ ægrotanti pharmacum ex probabili sententia, quod directè tendat ad expellendos pravos, læthalésque humores fœminæ, si aliud vitæ remedium non adest, quamvis indirectè sequuturus sit abortus fœtus animati, ita in casu nostro, &c. Hanc sententiam probabiliorem judico, quam sustinent Sylvester, Cajetanus, Toletanus, Valent. Lessius aliíque apud Gobat *de ebrietate cap. 18. num. 21.*

32. Duo autem hîc sunt notanda. Primò, casum hunc fortasse nunquam accidere in praxi posse, quia nunquam non aderit aliud remedium. Certè S. Thomas 2. 2. *quæst. 150. art. 2. ad 3.* nec ad vomitum, ait, provocandum requiritur, quòd homo sit totus ebrius, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat, & ideò propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. Vides, quomodò S. Doctor recurrat ad aliud remedium? Sed nos Theologi relinquamus Medicis discutiendum, an tanta necessitas unquam contingere possit?

33. Secundò, notandum est, infirmum non debere, se inebriare ex directa intentione, seu privandi ratione, nec medicum ex eadem intentione, id consulere; hoc enim per se malum est, sed directè per vini haustum debere intendere sanitatem; esto, prævideat consecuturam indirectè rationis conturbationem. Quod idem advertunt Doctores in Medico propinante pharmacum ægrotanti; nam nec ipse Medicus, nec fœmina intendere potest directè abortum fœtus animati; sic enim essent homicidæ, sed directè pravorum humorum expulsionem: esto, deinde præter intentionem sequatur abortus.

34. At licebítne etiam, se inebriare, si agatur de morbo impendenti præcavendo, non autem de morbo curando, seu expellendo?

Respondeo, licere puto cum Gobat *loc. cit. num. 26.* nam recta ratio, inquit, permittit, ut tanto studio coner impendentes morbos excludere, quanto jam præsentes expellere.

35. Quare in subito pestis timore, alijs remedijs æquè commodis deficientibus, magnus haustus vini generosi permittitur à Lessio, *libr. 4. capit. 3. num. 13.* qui idem Lessius asserit, magnam vini copiam prodesse, si quis venenum frigidum, e. g. cicutam bibit, aut sumpsit.

Se inebriare ob metum mortis ab extrinseco allatum.

36. INquires quartò: An sicuti quis licitè se inebriat in eo casu, quo alio modo nequit se à gravi infirmitate liberare, ita in alio casu, quo Tyrannus e. g. te cogat sub metu mortis ad ebrietatem?

37. Respondeo: etiam in hoc casu licere censet Lessius, Baldel. Dicastillus, quos citat, sequiturque Gobat *de ebrietate cap. 18. num. 3.* testatúrque Lessius multos doctos viros Universitatis Lovanienſis, quos consuluit, ita sentire.

Ne-

Nequaquam in hoc casu licere, docet Cajetan. Azor. Bonacin. quos citat, & sequitur Loth., *tract.* 18. *de ebrietate cap.* 11.

38. Ego puto, ut id determinetur, recolendam esse priùs illam quæstionem, an ebrietas, per quam privatur quis usu rationis, sit ita intrinsecè mala, ut nunquam liceat illam ponere: (sicuti fornicatio, quæ quia mala est intrinsecè, ideò ponere illam, nunquam licet;) an potiùs liceat in aliqua circumstantia, in qua exuat omnem malitiam? Sicuti homicidium, quod licet sit absolutè malum, tamen illud in aliqua circumstantia licet: qualis est, ut se quis cum moderamine inculpatæ tutelæ defendat, vel ut Princeps legitimus malefactorem morte condemnet.

39. Et sanè mihi videtur, ebrietas per se esse hujusmodi secundi generis, quod patet, quia ex communissima opinione diximus modò, eam admitti posse, ad gravem infirmitatem expellendam: quod non posset, si esset sicuti fornicatio, vel blasphemia, vel odium DEI, quæ nunquam exuere malitiam queunt. Dixi (per se) nam hîc præscindimus ab omni alio malo effectu, qui ex malitia se inebriantis consequi posset. Id quod semper est advertendum, quoties concedimus ebrietatem.

40. Hoc posito, dico, sententiam magis probabilem esse, quòd, sicuti ad vitandam, quam times ex gravi infirmitate mortem, potum inebriantem assumere tibi licet, ita ad eandem vitandam, quando eam prudenter à Tyranno times. Sicuti (ut habet Lessius) licitè quis abscindit brachium, ne totus homo pereat; non solùm ne pereat ex malo corporis intrinseco, verùm etiam ne pereat ex jussu Tyranni, qui mihi dicat: vel abscinde brachium ea cautela, ut non moriaris, vel te occidam; ita in casu nostro: tunc enim est, quasi dicat mihi Tyrannus: vel per ebrietatem amove à te pro aliquo tempore potentiam utendi ratione, vel te interficiam; hîc enim maximè valet à me eligendum esse minus malum, quàm majus amissionis vitæ. Quæ sanè electio non posset fieri, si privare se ratione per ebrietatem, esset ita malum intrinsece, ut nunquam liberari à malitia posset.

41. Objicies auctoritatem S. Aug. *serm.* 231. qui loquens de ebrietate, sic ait: *Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erit, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

42. Respondeo. Lessius ait, S. Augustinum hîc loqui de eo, qui priùs ab aliquo urgetur ad ebrietatem, sed deinde is volens, se vino propter ejus delectationem replet. Meliùs respondet Gobat, *cap.* 18. *num.* 7. *de ebrietate* S. Augustinum dixisse, esse meliùs, id est, consultiùs, non verò esse præceptum, & per mortem animæ intellexisse ipsam rationis jacturam. Equidem hanc posteriorem magis approbo, quàm explicationem priorem, quæ nimis extorquet Augustini verba. Et confirmo; nam si quis diceret: melius fuit, S. Casimirum noluisse pe- matrimonium virginitatem amittere, quàm illa amissa, vitam servare, rectè di-

diceret, nec indicaret præceptum, sed perfectionis studium commendaret.

43. Quæres. Ad suum honorem servandum, possémne licitè quis invitatus ad convivia e.g. ad multos vini haustus, respondere similibus haustibus, seque inebriare? Sanè in aliquibus regionibus magnum dedecus est, non respondere.

44. Respondeo: Non posse licitè, ut expressè tenet cum Coninch, Gobat, *disp. 82. de ebrietate num. 8.* loquens de periculo irrisionis. Ratio est, quia honor, qui pendet à prava æstimatione stultorum, quales sunt, quia ejusmodi vini potationibus gloriantur, honor non est, atque adeò non est tantum bonum, ut præponi possit amissioni rationis, quæ est solidum, verumque bonum.

Provocare alium ad se in ebriandum.

45. INquires quintò: An liceat alium provocare ad vini haustus, ex quibus advertatur, fore, ut is inebrietur?

Respondeo: Certum esse id peccatum fore mortale, quia si seipsum inebriare est mortalis culpa, erit etiam si álium, juxta illud S. Pauli *ad Rom. 1. Non tantùm, qui malè agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Si solùm fiat paulò hilarior, colligi potest ex supra dictis *n. 25.*

Difficultas ergo solùm hîc est, an aliquando ad vitandum grande aliquod malum, quod nequeat averti, nisi alium inebriando? Exempla proferunt Doctores multæ. Primum. Si magnum malum impendat Reipub. quod averti non possit, nisi inebriando auctorem tanti mali; ut si quis meditetur proditionem Patriæ, condicta aliqua hora, ego autem illum ad convivium invitem, eumque inebriem, & interim transeat proditionis hora. Secundum. Ego comprehensus à grassatoribus deducor ad cauponam, ubi spes mihi magna affulget evadendi, si eos inebriavero. Tertium. Titius hac nocte disponit, suum inimicum è villa redeuntem interficere, ego autem ipsum Titium pridie vespere inebriandum curo, quo pacto Cajus secutus evadat.

46. Dico, esse probabile, licitè posse, quando aliter impediri illa mala nequeunt. Dico item, esse probabile, licitè non posse.

Quòd licitè possit, docet Lessius, *lib. 4. de just. cap. 3. num. 33.* Baldell. *lib. 5. disp. 30. num. 26.* aliique. Ratio est, inquiunt, quia nihil malitiæ continet ad minus malum incitare illum, qui paratus est, facere majus malum, si per inductionem ad minus impediatur malum majus, quòd alio modo impediri non possit, ut esse supponendum nimis sæpè monuimus.

47. Quòd licitè non possit, docet Dicastillus, *disp. 2. de justit. quæst. 3. dub. 11.* Layman, *lib. 3 sect. 4. num. 6.* aliique. Ratio est, inquiunt, quia ad impediendum majus peccatum, non licèt suadere peccatum minus, nisi hoc minus sit pars formaliter, vel virtualiter inclusa in majore, de quo patrando cogitabatur. Sed de hac doctrina nos latè disputavimus alibi, nunc satis sit di-

dicere, utramque sententiam esse probabilem.

Se inebriare modico vino.

48. INquires sextò: Quid dicendum de ijs, qui modico haustu vini statim inebriantur; sunt enim non pauci, qui ex morbo, vel vulnere, vel complexione ita caput habent debile, ut evadant planè ebrij, si vel duo pocula vini bibant.

49. Respondeo, posito quòd hi suam hanc nosse debilitatem supponantur, mortaliter sine dubio peccabunt, si illa modica pocula bibant. Ratio est manifesta, quia adhuc sic usum rationis, proximamque rationis potentiam voluntariè amittunt.

Excipe tamen, nisi gravis aliqua causa eos excuset; nam tunc licitum est his vinum bibere ex Medicorum consilio, quando tamen alio potu non inebriante carent. Licitum etiam erit, si in eadem carentia alterius potus vexentur vehementi siti, vel si ab alio potu aquæ e. g. admodum graviter lædantur, ut docet Excobar *in Theologia Mor. tr. 2. Exam. num. 24.* loquens de iis, qui in mari navigant, & aqua, alióque potu carent. Et ratio est, quia potus vini est à Deo, & à natura institutus ad sitim pellendam, ita ut hîc sit primarius ejus finis. Cùm ergo actiones morales accipiant speciem secundùm id, quòd intenditur, non autem ab eo, quod est præter intentionem, ut in simili habet S. Thomas *2. 2. quæst. 64. art. 7.* ideircò sicuti in pluribus aliis materiis dicunt iidem Theologi, non apparet, cur non etiam usus vini sit per se licitus in prædictis casibus, ubi periculum gravis mali impendet, ut supponi debet, esto, per accidens, & præter intentionem sequatur rationis turbatio.

50. Objicies. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ergo non est bibendum cum periculo ebrietatis, quod est malum, ut eveniat sedatio sitis, quæ est bona.

Respondeo. Quæ, dum fiunt, sunt mala, non licere facere, ut eveniant bona; quale esset e. gr. perjurium ad vitam proximi servandam; at in circumstantia sitis vehementis talis ebrietas non est mala, ut patet ex dictis, semper abstrahendo ab aliquo alio inconvenienti.

Peccata commissa in ebrietate.

51. INquires septimò. Peccata, quæ quis committit, dura est ebrius, imputantúrne ei in illo instanti, quo causam dedit, se inebriando? Homicidium e. gr. quod ebrius, dum est in ebrietate, fortè committit, imputatúrne ipsi, quando heri vespere e. gr. vino se insarcinavit, an sequenti nocte, quando hominem occidit? Idem quæritur de omissione peccaminosa; quandonam peccat ebrius omittendo auditionem sacri die Dominico, eo ne tempore, quo se inebriavit die, e. g. sabbati, an quando illud re ipsa omittit, nempè die Dominico? Hæc quæstio est universalis pro aliis casibus, ut de veneno propinato, de sagitta, seu sclopo inimicum vulnerante, &c. quando scilicet est peccatum? propinando venenum, & sclopum emitten-

do, an quando post dies perimitur inimicus?

52. Respondeo. Tres esse sententias. Prima affirmat, tunc imputari ad culpam, quando apponitur causa, nempe quando in casu nostro se quis voluntariè inebriavit, prævidens, ut semper supponi debet, vel certè dubitans, se occisurum hominem, seu se omissurum sacrum, cùm tamen non abstinuerit à vino, nec ullam diligentiam adhibuerit, ne sequeretur interfectio: nam, si antequam se inebriavit, timens, se patraturum homicidium, fecit se e. g. benè claudi in cubiculo, ne posset exire ad occidendum, vacabit culpa homicidii.

53. Hanc primam sententiam tenet Vasquez *p. 2. q. 71. art. 1.* Lessius *lib. 4. c. 3 dub. 3. n. 29.* aliique.

54. Secunda asserit, imputari ad culpam, quando actu interficit, vel Sacrum omittit. Ita Marsilius, & Altidolensis apud citatos.

55. Tertia asserit, imputari ad culpam utroque tempore, tum scilicet quando apponitur causa, nempe ebrietas, tum quando actu committitur homicidium, vel omittitur sacrum. Ita Sylvester *Ver. Omissio.* Valentia *p. 2. q. 71. art. 5. disp. 6. q. 1. punct. 4.* aliique.

56. Ex his sententiis prima est probabilior. Ratio est, quia culpa non est, nisi quando liberè, & voluntariè actus peccaminosus admittitur. Cùm ergo, dum quis est ebrius, libertate careat, sicuti, & quando dormit, non potest actus eo tempore commissus, vel omissus dici liber, & voluntarius; unde nec formaliter peccaminosus. Dico (*formaliter*) nam caterum ille actus homicidii, vel omissio Sacri denominabuntur quidem peccaminosa extrinsecè, ex eo scilicet quòd dicunt ordinem ad causam liberè positam, atque adeò rectè dici possunt, seu denominari peccata in causa, at non formaliter in seipsis.

57. Illud hîc quoad praxim resolvendum, an in Confessione obligetur pœnitens tum causam, id est, ebrietatem, tum actum subsecutum, e. g. homicidium, explicare? Id quod solet quæri in aliis etiam materiis, ut si quis propinet venenum Petro, qui post aliquos dies moritur, an satis sit, dicere, ac fateri, se dedisse venenum, ut occideret, an debeat item addere, & de facto se occidisse?

58. Circa hæc placet mihi doctrina, quam affert Gobat *de ebrietate cap. 9. à num. 21.* Mala, inquit, in ebrietate commissa non oportet confiteri, cùm neque sint peccata, neque imputentur ad culpam, etsi ebrietas fuerit voluntaria, illáque mala commissa in ebrietate fuerint antea prævisa: nam quamvis Castropalaus *tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 3.* affirmet, esse confitenda; tamen rectius negat De Lugo *tom. 3. in 3. p. disp. 16. num. 440.* cum multis aliis. Ratio est, quia tenemur confiteri sola peccata propriè dicta, ut patet ex Tridentino *sess. 14. toto cap. 5.* ubi ex instituto declarat, quænam sit materia necessaria confessionis, nec aliud ibi dicitur, quàm quòd peccata, & illa, per quæ nos Deum mortaliter offendisse meminerimus, sint confitenda;

da; atqui illa mala, de quibus loquimur, non sunt peccata, quia non sunt libera, nec per ea Deum offendimus: nam planè absurdum est dicere, quòd ebrius tunc mortaliter offendat Deum, cùm hominem interficit, quando omni caret usu rationis, ergo non sunt necessariò confitenda.

59. Et paulò post. *Quare*, inquit, qui homicidium commisit in plena ebrietate, sufficit, per se loquendo, si dicat, *Me voluntariè inebriavi, præviso periculo homicidium committendi*: nec opus est confiteri, quòd infixerit vulnus læthale, ut ostendit allata ratio. Hæc Gobat.

60. Rectè autem dixit (*per se loquendo*) nam prudenter cum Valquez advertit de Lugo *loc. cit.* regulariter expedire, ut effectus ebrietatem consecuti exprimantur: tum quia hoc modo explicatur meliùs malitia actus præcedentis; tum quia meliùs intelligitur status pœnitentis; tum quia debet cognoscere Confessarius, an debeat injungere obligationem aliquid restituendi; tum quia debet videri denique, an illud homicidium e. grat. in ebrietate completum sit casus reservatus, vel excommunicationi obnoxius, &c.

61. Quæres. Se quis, si inebriando, solùm venialiter peccavit ob imperfectam e. g. deliberationem ex oblivione, vel inadvertentia ortam; malum ex ebrietate secutum, e. gr. homicidium, imputabitúrne illi ad culpam mortalem, an ad venialem dumtaxat?

62. Respondeo ad venialem. Ita Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 26.* Ratio est, quia illud malum non est in seipso voluntarium, ut modò dictum est, sed solùm voluntarium in causa, hoc est, in ebrietate, ergo nequit majorem culpam contrahere, quam ipsa sua causa, seu quam ebrietas hîc, & nunc continet, continet autem venialem.

Vendere vinum volenti se inebriare.

63. INquires octavò in hunc modum. Titius caupo, cùm sciat, aliquos inebriari sæpè in sua caupona; nihilominus vinum, quoties, & quantum volunt, vendit, & propinat, licéne id faciet?

64. Respondeo cum Vega *in Responsionib. casuum Bononiens. impressis Anno 1589. fol. mihi 231.* qui hanc quæstionem latè discutit, & illicitè mortaliter id facere resolvit D. Thomas. Ratio principalior est, quia, ut nos etiam modò diximus *num. 44.* non solùm peccat, qui aliquod peccatum committit, verùm etiam illi omnes, qui eidem culpæ consentiunt, vel adjuvando, vel non impediendo, quando hoc posterius, saltem facilè, & sine notabili damno possunt; sed Titius vendendo vinum illis, quos novit in tanta quantitate se inebriare, consentit, juvátque, & non impedit eorum peccatum, cùm facilè possit: ergo peccat.

65. Nec excusatur Titius ex eo, quòd, si ille non vendidisset talibus vinum, emerent alibi, ubi inebriarentur; non excusatur, inquam, nam ne-

neque excusaris tu; qui commodas gladium e. g. homini volenti cum illo occidere suum inimicum, quamvis is, te negante, peteret ab alio, qui commodaret. Et ratio est, quia adhuc cooperaberis peccato illius hominis, siquidem quòd ab alio ipse habiturus sit gladium, non tollit, quin tu defacto commodaveris, cùm facilè negare potuisses.

66. Nec valet, si quis ita objiciat. Opifices, qui calceos, vel sandalia, vel vestes, vel fucos vendunt impudicis mulieribus, non peccant, quamvis sciant cum illis rebus eas esse peccaturas, ergo nec caupo vinum vendens ei, quem scit, se inebriandum. Non valet, inquam, quia opifices illi non inducunt, nec juvant per dictas vestes illas mulieres ad impudicitiam; & ex alia parte excusantur à necessitate exercendi suas artes, ut habet Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 7.* At Titius Tabernarius ipso vino, quod vendit, proximè juvat potatores illos ad ebrietatem; & ex alia parte non excusatur à necessitate suæ artis, seu exercitij, cùm ex suo exercitio solùm habeat jus vendendi vinum modo ordinario ementibus, non verò volentibus se inebriare. Lege Castropalaum *tom. 1. tract. 6. disp. 6. p. 14.* qui ad vendendum vinum scienter se inebrianti, causam majorem aliquam præter ipsum vini merum pretium expostulat, nempe veltimorem, ne multum diminuantur sic emptores, multum, inquam, quia ebrietas est majus malum, quàm solutio Jejunij Ecclesiastici: quare major causa requiritur in vendente vinum se inebriaturo, quàm requiratur in vendente ciborum quadragesimales soluturis Ecclesiasticum Jejunium, ut suo loco nuper est dictum.

67. Quæres. Quomodo igitur se geret Confessarius, si quando ad ejus pedes accedat ejusmodi Tabernarius, quando jam publicè scitur ejus peccatum?

68. Respondeo cum eodem Vega *I. cap.* Vel locutio est, inquit, de absolutione, vel de concessione factæ Communionis. Si de prima, docet, quando verè proponat caupo, se abstinere à dicta cooperatione, & ritè doleat de suo peccato, posse absolvi, nisi secundùm circumstantias personæ per prudentiam Confessarius velit differre aliquantulum absolutionem, donec experiatur, an se caupo emendaverit. Id quod commune est documentum in omni confessione advertendum.

69. Si de secunda, docet, ad Sacram Communionem hunc admitti non debere, donec publicè pœnitentiam agat; aut Confessarius (facta sibi facultate ab ipso pœnitente) publicè denunciet, non modò præteritorum peccatorum, datque concivibus scandali eum pœnitere, & confessum esse; sed etiam omnem de futuro occasionem esse sublatam: ut scilicet, qui pravo Titii cauponis exemplo fuerunt offensi, ejusdem emendatione ædificentur, ne Confessarius particeps sit peccati scandali, &c.

Se

Se inebriare in Ecclesia.

70. INquires ultimò. An sit grave peccatum, vel edere, vel bibere, vel se inebriare in templo?

71. Respondeo. Aliud esse dicendum de potatione, & comestione, modò consueto exhibitis, aliud secundò de inebriatione, aliud tertiò de publico convivio. Quoad primum, si potus, & comestio fiat ex necessitate in Ecclesia, nullum est peccatum; si absque necessitate, est (per se loquendo) veniale dumtaxat, quia id videtur parva irreverentia loci Sacri. Ita S. Thomas *in 1. 6. ad Cornth. 11. lect. 4.* Sà *Ver. Ecclesia.* Layman *lib. 4. tr. 10. c. 7. n. 11.*

72. Quoad secundum, bibere in Ecclesia usque ad ebrietatem, quando id occultè à te fiat, non videtur esse novum peccatum mortale, præter ipsam ebrietatem. Ratio est, quia actus se inebriandi, & potus auferens usum rationis, non videtur tam repugnans cultui sacro, ut per illum in Ecclesia factum occultè à te æstimetur gravis irreverentia Ecclesiæ. Dixi (à te occultè factum) nam instituere compotationem, perinde ac si esses in caupona, ultro, citróque vinum liberaliter propinare usque ad ebrietatem, immò etiam sine ebrietate, aliquid majus irreverentiæ sine dubio sapit: quare consultò, ac seriò has propinationes in Ecclesia facere, erit mortale, quia certè cum tali publicitate in omnium existimatione, Ecclesiæ, irreverentia gravis infertur. Ita Dicastillus *de Pœnit. disp. 9. à n. 654.*

73. Quoad tertium, dico mortale sacrilegium esse, instituere in Ecclesia absque necessitate prophanum convivium, licet in eo non potetur usque ad temulentiam. Ita Dicastillus *loco cit. n. 652.* Ratio est, quia sanè id nimis gravem Ecclesiæ, atque adeò Divino cultui irreverentiam ostendit. Sanè S. Anselmus *in Ep. ad Corinth.* sentit, Ecclesiam Dei contemni, dum in ea carnales cibi irreverenter sumantur. Et rectè quidem addit (*irreverenter:*) nam aliquando consueto modo ex necessitate in templo edere, vel potare, cùm non fiat, nisi necessitate concedente, à S. Anselmo non reprehenditur, sicuti nec nos reprehendimus *n. 71.*

74. Notandum denique velim, aliquanto benignius esse sentiendum, si vini potatio fiat in choro musico elevato à solo; tum quia tunc semper, ut suppono, esset sine publicitate; tum quia licet is locus etiam appellatione Ecclesiæ veniat, ut habet Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 16. n. 33.* tamen in communi hominum existimatione ibi manducare vel bibere non existimatur gravis irreverentia, vel certè non existimatur mortalis.

TRACTATUS V.

DE V. ECCLESIÆ PRÆCEPTO, HOC EST, DE SOLUTIONE DECIMARUM.

CAPUT I.

Quid sit Decima.

1. INquires primò: Quid sit Decima? Respondeo: Esse partem decimam fructuum, quæ debetur Ministris Ecclesiæ. Sciendum enim est, Dominum DEUM tempore legis scriptæ voluisse, ut Levitis, qui erant Ministri in ipsius DEI Templo, ad eorum sustentationem darent omnes alij, qui non erant de Levitica tribu, decimam partem fructuum, quos colligebant ex suis prædijs, & animalibus, quibus carebat Tribus Levitica. Ecclesia ergo ad imitationem illius Temporis voluit, ut Ecclesiastici, qui rebus spiritualibus inserviunt, & Sacramenta populis Fidelibus ministrant, dentur etiam decimæ omnium similium fructuum, quos colligunt dicti Fideles ex suis prædijs, & animalibus, ut sic habeant, unde commodè sustententur Ecclesiastici.

2 An autem voluerit id Ecclesia ex solo suo jure Ecclesiastico; an id præceperit DEUS, ita ut decimæ debitæ ex jure divino, nec solo Ecclesiastico, quæstio est inter Doctores, quam videre poteris apud citatos à Castropalao, *tom. 2. disp. unica de decimis p. 1.* qui tandem docet, illud, quod datur Ecclesiasticis ob eorum meram sustentationem, debere distingui ab eo, quod datur Ecclesiasticis ob rationem integræ decimæ, quæ certe solet esse major, quàm sit illud, quod datur ob sustentationem, additque, integras decimas deberi Ecclesiasticis ex solo jure Ecclesiastico; id verò, quod est necessarium ob dictam sustentationem, deberi etiam de jure divino, & naturali, juxta illud: *Dignus est operarius mercede sua.*

Quotuplex sit Decima, & ex quibus solvenda.

3. INquires secundò: Quotuplex est Decima? Respondeo. Triplex. Prædialis, Personalis, Mixta. Prædialis est illa, quæ proficiscitur ex fructibus agrorum, arborum, piscinarum,

rum, molendinorum, locationum, domorum, &c. Personalis est, quæ proficiscitur ex fructibus, & proventibus ab industria personæ; ut ex lucro negotiationis, ex mercatura, ex ludo, ex bello, venatione, &c. Mixta, quæ partim provenit ex industria personæ, partim ex prædijs; hujusmodi est, quæ provenit ex fructibus animalium, lacte, caseo, butyro, &c. ad hos enim fructus concurrit industria hominis, & pascua prædiorum.

4. Notandum autem est, hodie sive ex consuetudine, sive alio ex capite, jam non esse usum solvendi decimas personales, ut habent Doctores plures, quos citat, & sequitur Castropalaus, *loc. cit. p. 6. n. 10.*

5. Notandum item, decimas mixtas, qua parte sunt decimæ personales, esse pari modo usu abrogatas; sunt enim omnes personales abrogatæ. Quare non erit necesse, ut in hac disputatione de mixtis agamus: siquidem qua parte proficiscuntur à prædiorum pascuis, prædiales sunt, de quibus certè deinceps agendum nobis erit.

6. Regula igitur sic universalis, decimas de jure deberi Ecclesiæ ex omnibus fructibus, & proventibus, qui habentur ex bonis mobilibus, qualia sunt animalia, & ex bonis immobilibus, quales sunt domus, prædia, piscinæ, &c. Ita clarè habetur *cap. Nobis. cap. Non est*, & passim *titulo de decimis.*

7. Dices: hinc sequitur, quòd non solùm ex frumento e. gr. collecto ex agris deberetur decima, verùm etiam ex palea, & ex herbis, quæ venduntur in foro ad animalia pascenda, ex omnibus fructibus arborum, ex oleribus minutis, ex leguminibus; hæc enim omnia, & similia fructus sunt prædiales. Item deberetur etiam ex melle, & cera, quæ sunt fructus apum.

8. Respondeo: Concedendo sequelam ex vi, & rigore juris: tres tamen limitationes sunt adhibendæ. Prima est, excipienda esse olera minuta, quæ ex hortis colliguntur, non ad lucrum, sed ad quandam commoditatem, & voluptatem propriæ familiæ, ut notat S. Thomas, *2. 2. quæst. 83. art. 2. ad 3.* id enim exigere, nimis esset Fidelibus onerosum.

9. Secunda limitatio est, ex examinibus, & alvearibus apum, quæ denuò prodeunt ex præcedentibus apibus, non deberi decimam; hæc enim vel habentur quasi animalia sylvestria, & industriæ personæ ea colligentis tribuuntur, vel ipsa consuetudine legitimè introducta non debentur, ut notat Azor, *lib 7. tom. 1. cap. 35. quæst. 9. & caq. 34. num. 4.*

10. Tertia limitatio, hæc esse dicta de rigore juris; nam cæterum in multis ex his per consuetudinem legitimè præscriptam derogatum est: propterea enim omnes Doctores, de hoc argumento decimarum tractantes notant, debere in unaquaque Ecclesia considerari, & servari illud, quod ibi consuetum est.

CAPUT II.

A quibus solvenda est decima?

1. INquires tertiò: *Quinam* debent solvere, decimas?

Respondeo: Omnes baptizati, quicumque ij sint, ut habetur *c. extransmissa de decimis* Id quod confirmat ipsa ratio, quia decima datur in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, qui conferunt Sacramenta, aliáque spiritualia Fidelibus: at hi inserviunt quibuscunque baptizatis in ejusmodi ministeriis ergo &c.

2. Dices, ergone etiam pauperes, parvulum agellum habentes, debent?

Respondeo: Cùm præceptum de decimis, ut decimæ sunt, sit Ecclesiasticum, ut diximus *cap. præced. num. 2.* non obligare cum tanto rigore: quare, tum pauper, qui sit in extrema necessitate, tum qui sit in gravi, ut si solvat decimam, debeat pro suo, familiæque victu mendicare, excusatus erit ab earum solutione: nec judicandum est, Ministros Ecclesiæ velle ita arctare pauperes, ut cum tanto ipsorum incommodo velint decimas ab illis eximere: multò magis, quia in tanta necessitate omnia sunt communia. Quare illas decimas jure suo potest tantus pauper sibi consumere. Lege Suarium, *tom. 1. de relig. lib. 1. c. 16. & 18.*

3. Dices secundò: Ergóne non solùm Laici omnes cujuscumque status, & conditionis, verùm etiam omnes Clerici?

Respondeo: Ita profectò; quia etiam ipsi Sacramenta, aliáque spiritualia ministeria recipiunt à Parocho. Ipse autem Parochus ideò non solvit decimas, quia, cum ipse eas omnes recipiat ab alijs, sibi retinet etiam illam decimam, quam deberet, si Parochus non esset. Adde hic illud, quòd dicam *num. 6.*

4. Dices tertiò: Ergone etiam Religiosi?

Respondeo: Etiam & illi propter eandem rationem deberent; tamen ex privilegiis multis, quæ ipsi obtinuerunt à Pontifice jam eximuntur ferè omnes, ut expresè habetur *c. ex p. 1. de decimis.*

Quæ quidem privilegia præter Castropalaum *loc. cit. num. 11.* Suarium, *tom. 2. de Religione lib. 1. cap. 8.* Leandrum, *de decimis disp. 6. à quæst. 30.* aliósque, sic breviter habet Pasqualigus in Laurerum de Franchis, *part. 2. quæst. 72.* De jure communi, ait, Religiosi omnes sunt exempti à solutione decimarum de novalibus, ac de hortis, quos ipsi colunt, & animalimalibus, quæ ipsi nutriunt *cap. ex part. 2. de decimis, & alibi.*

At verò ex privilegiis Summorum Pontificum ferè omnes Ordines Religiosorum absolutè eximuntur à solutione omnium decimarum, etiam prædialium, cuicumque solvendæ sint. Ex his autem privilegiis plura ab aliis recensentur: sed insigne est privilegium concessum à Gregorio XII. Societati JESU, & omnibus Religiosis, qui communicant cum ejus privilegijs. Hoc autem sic habet.

Universam Societatem, omniaque, & singula illius domos, etiam Probationis, & Collegia, ubique existentia, præsentia,

sentia, & futura, eorumque personas, fructus, reditus, & proventus etiam bonorum Ecclesiasticorum, Sæcularium, & Regularium, quorumcunque illis pro tempore unitorum, aliásque res, & bona, quæcumque, à quibusvis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis subsidiis, etiam charitativis, & aliis oneribus, quomodolibet impositis, perpetuò liberamus, & eximimus. Hæc Gregorius.

Hactenus Pasqualigus. Legite item eundem *ibid. quæst. 34.* ubi eximit etiam colonos, qui prædia Religiosorum conducunt, ut ea colant, parte una fructuum sibi retenta, & altera ipsis Religiosis soluta, quo pacto dicuntur Partitarii: ut item eos, qui eadem prædia conducunt eo pacto, ut quodannis talem censum Religiosis solvant, quo modo dicuntur conductores censuales. Et ratio est, quia illa prædia semper sunt ex bonis Religiosorum; & ex alia parte supponimus, ejusmodi Religiosos participare privilegium prædictum tum personale, tum reale non solvendi decimas.

Lege denique eundem *ibid. quæst 75.* qui eximit quidem eosdem Religiosos, qui habent sæcularium prædia in Emphyteusim, sed non eximit eos Religiosos, qui ejusmodi prædia sæcularium habent per paucos annos conducta. Ratio diversitatis est, inquit, quia is, qui habet prædium sæcularium in Emphyteusim, licet non habeat proprietatem, habet tamen ejus utile dominium, & sic potest dici, illud esse bonum Religiosorum, hoc est, bonum utile ipsorum. At qui habet ex locatione, non habet illud in ullo dominio, & sic quamvis illud per breve locationis tempus retineatur à Religiosis, non potest dici, esse bonum Religiosorum. Ita dictus Pasqualigus, cum Azor Lezana, Peyrino. Verùm Suarez, & Castrop. ab ipso citati docent, ejusmodi bona sæcularia, sive ad longum tempus, quæ dicitur Emphyteusis, sive ad breve, quæ dicitur conductio, vel locatio, accepta, & culta à Religiosis, docent, inquam, esse subjecta decimationi, quia Emphyteusis, ajunt, non differt à conducto, nisi secundùm majus, vel minus tempus. Quare ea bona utroque modo considerata non dicuntur absolutè bona Religiosorum, quæ sola eximuntur ab obligatione decimarum. Utraque sententia videtur probabilis.

5. Illud pro Clericis sciendum omninò est, Clericorum bona duplicis generis esse posse. Alia enim ipsi habent titulo temporali, hoc est, titulo hæreditario, vel patrimonij, vel legati, donationis, vel simili. Alia habent titulo spirituali, qualia sunt, quæ habent ex beneficijs Ecclesiasticis. Ex his ergo bonis posterioribus non debentur decimæ, saltem sic concedente, seu interpretante consuetudine: & de his bonis explicant Doctores cum Suario, *loc. cit. n 23.* dictum illud Pontificis, *c. de decimis. Novum esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant.* Sensus enim est, ut insolitum sit Clericos exigere à Clericis decimas ex illis rebus, quæ titulo Clericali habent. Addit *ibid.* Suarez Clericos nec etiam teneri solvere decimas ex acquisitis titulo spirituali.

6. At verò ex bonis prioris generis decimæ debentur omninò ; quia etiam ipsi, ut dictum est, debent recipere aliqua Sacramenta , Pastorémque debent suum recognoscere. Hic autem est illa exceptio , quam innuimus *num.* 3. Parochi enim , & multò magis Episcopi, excipiuntur à solvendis decimis : quamvis enim Parochi Episcopo tanquam suo Pastori ; & Episcopi Summo Pontifici subdantur , & pariter ipsi indigeant, ut sibi spiritualia ministrentur , unde deberent decimas solvere ex suis saltem redditibus temporalibus ; tamen eis hanc obligationem noluit imponere Ecclesia , ut notavit Suarez, aliique apud Castropalaum *loco cit. n. 4. p.* 11. Excipe, nisi fortè prædia sint in alienis Ecclesiis , quibus solitum erat decimas solvi. Id , quod explicatius , vide apud eundem Castropalaum *n.* 5.

Quibus debeantur decimæ?

7. INquires quartò. Quibusnam personis debent solvi decimæ?

Respondeo. Ut id radicitus intelligatur ; sciendum est : olim tempore nascentis Ecclesiæ cætui Clericorum debitas fuisse decimas , quas Episcopus pro mensura , & qualitate laboris secundùm eorum necessitates ipsis partiebatur, juxta illud Gregorii XVI. *q. 7. c.* 1. *Decimas sub manu Episcopi fore censemus , ut ille , qui cæteris præest , omnibus justè distribuat.*

8. At verò processu temporis facta fuit divisio Parochiarum , designatique sunt Clerici , qui in Parochiis ministrarent ; & tunc Episcopo , & Clero simul decimæ debebantur.

9. Postea verò facta est alia major divisio ; crescente enim proventu decimarum, plures decimæ fuerunt applicatæ illis , quibus beneficia Ecclesiastica fuerunt concessa : aliæ verò fuerunt applicatæ aliquibus ex gratia , vel privilegio , ratione meritorum , quæ ii haberent de Ecclesia : aliæ denique applicatæ fuerunt pro stipendio servitij , seu obsequij , quæ aliqui Ecclesiæ præstarent , & sic in præsenti servatur. Quare hi omnes , quamvis aliqui ex his nec Parochi sint , nec Beneficiarij , decimas recipiunt titulo spirituali , quia omnes inserviunt Ecclesiæ. Nam decimæ licet præcipuè dentur Parochis , eò quòd ministrent populis Sacramenta ; dantur tamen etiam iis , qui sunt ex officio deputati ad divinum cultum , eíque inserviunt. Ita latè Suarez *lib. 1. cap.* 28. & 29. His cognitis.

10. Respondeo ad quæsitum. Decimas jam hodie deberi sive Parochis, sive Beneficiariis , sive illis Clericis, quibus jam applicatæ illæ sunt. Ratio est jam toties dicta, quia ij Ecclesiasticis ministeriis sunt deputati.

11. Hinc vides primò , Clericis alis non inservientibus nullas deberi hodie decimas, quia non sunt ab Ecclesia designati , ut ejus Ministri.

12. Vides secundò. Nec ex Jure Communi deberi decimas Religiosis, quia hi pari modo non sunt ab Ecclesia deputati ad ministeria Ecclesiæ , sed id faciunt ex devotione , vel ex voto , vel ex professione propria suæ Religionis.

13. Di-

13. Dixi (ex Jure Communi:) nam sive ex privilegio Pontificis, sive ex eo, quòd ipsi Religiosi Parochiam aliquam legitimè administrant, recipiunt aliquando decimas, quia tunc ab Ecclesia deputantur ad ejusdem servitia præstanda.

An decimæ debeantur Parochis divitibus, lege apud Excobar *de Præcept. solvendi decim. sect. 2. c. 15.*

CAPUT III.

De Loco, Tempore, aliisque circumstantiis solutionis Decimæ.

De Loco.

1 INquires primò. Ubi decimæ solvendæ sunt?

Respondeo. Decimam prædialem propriè, hoc est, illa, quæ ex fructibus terræ colligitur, omnes Doctores docent esse ex Jure Communi solvendam in Ecclesia Parochiali, in cujus Jurisdictione situm est prædium, etiamsi Parochianus, hoc est, Dominus prædij alibi inhabitet, atque alibi Sacramenta percipiat. Ita expressè definitur *c. ult. de restitutione spoliatorum in 6. & alibi*; cujus definitionis ratio fuit, ut Jura Ecclesiæ, & decimæ fixæ essent, nec mutatione personarum variarentur.

2. Decima verò, quæ ex animalibus debetur, quamque nos supra largè reduximus ad Prædialem, sed alii mixtam appellant, pari modo debetur integrè illi Ecclesiæ, in cujus situ animalia pascunt, vel accubant, seu dormiunt, quamvis dominus alibi commoretur.

Unde, si hyeme in una, in æstate in alia accubant, & pascunt, dividendæ sunt decimæ.

3. *Quid*, si toto anno alibi pascunt, alibi accubant?

Respondeo. Duas esse sententias. Altera probabilis, quam sequitur S. Thomas 2. 2. q. 77. *ar.* 3. & Fagundez *de 5. Eccl. Præcept. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 10. affirmat, integras decimas deberi Ecclesiæ, in cujus situ pascunt. Altera probabilior, quam sequitur Suarez cum Castropalao *de decimis c.* 8. *n.* 8. ait, esse inter illas duas Ecclesias dividendas, sed majorem partem esse dandam Ecclesiæ, ubi pascunt. Ratio S. Thomæ est, quia fœtus animalium proveniunt ex fructibus prædiorum, hoc est, ex herbis, quas animalia depascunt. Ratio Suarij est, quia non potest negari aliquid conferre ad dictos fœtus ipsum accubitum, quo animalia requiescunt, & somno refecti, vel uterum gerunt, vel concipiunt.

4. Illud adverte, decimam propriè prædialem totam deberi Ecclesiæ, in qua sita sunt prædia, ut dictum est, quia ita definitur in Sacris Canonibus, ut diximus n. 10. at verò decimam hanc ex fœtibus animalium, quia de ea nihil expressè definitum invenitur; aliqui Doctores volunt, de his dandam esse aliquam partem ei Ecclesiæ, ubi Dominus habitat, recipitque Sacramenta. Ita Navarrus, quem citat Castropalaus *loc. cit. n.* 6. affirmans, id esse probabile.

Sem-

Semper autem recole, hæc dici ex vi Juris, nam cæterum semper erit legitima Ecclesiarum consuetudo servanda.

5. Adhūc locum pertinet illa quæstio, an scilicet decima deferenda sit ad Ecclesiam, seu ad horreum Clerici, cui illa solvitur, an satisfiat debito, si illam des in agro, in vinea, in tua domo?

6. Respondeo. Nullibi in jure communi definitur, debere deferri ad domum Clericorum. Quare sufficiet, si in agro, vel vinea des. Ita Suarez num. 6. aliique: spectanda tamen semper est consuetudo, quæ consuetudo erit legitima, si decem annis viguerit; ad firmandum enim consuetudinem de re, quæ non est contra jus, seu quæ non est in jure prohibita, sufficiunt anni decem, ut notat etiam hic cum aliis Castropalaus *loco cit. n.* 5. nam quando est contra jus, aliqui requirunt annos 40. sed vide Castropalaum *loco cit. punct.* 4.

7. At verò addo, non sufficere, si des in tua domo, seu horreo tuo, nisi quando ipse, cui decima debetur, sit in causa. Explico. Fructus indecimatos, hoc est, à quibus non est extracta decima, non potes ad tuum horreum deferre, nisi prius admoneas ipsum, cui decimam debes, quia secus injuria fieret Ecclesiæ. Quòd si, monitus sibi sumere, negligat, tunc sanè poteris illos in tuum horreum recondere, vel in area relinquere, nec teneris expectare; tunc enim decimæ creditor sibi imputet damnum, si quod patitur. Ita cum aliis Bonacina *disp. ult. de Præcept. Eccl. q. unic. p.* 1. *n.* 2.

Tempus.

8. INquires secundò. Quandonam sunt decimæ solvendæ?

Respondeo. Decimam propriè prædialem dicitur à Pontifice, *c. Cumbominis de decimis*, deberi statim fructibus collectis. Quare vindemiata e. g. uva, antequam exprimatur, separanda est decima, quia tunc jam fructus vineæ est collectus. Idem dic in reliquis fructuum generibus.

9. Adverte tamen, ex fœtibus animalium tunc decimam solvendam esse, quando fœtus sine matre vivere potest: secus, nullius ferè utilitatis essent. Lac verò, caseus & butyrum, quia successu temporis ea colliguntur, solvenda sunt in fine collectionis. Lana item, quando oves tondentur. Atque hæc ex jure. Cæterum servetur legitima consuetudo, si illa alicubi extat, ut toties dictum est.

10. Quæres: si ille, cui decima debeatur, eam à me suo tempore non exigat, obligórne illam solvere?

Respondeo. Sanè obligaris, quia statim decima solvi debet, ait Pontifex, & statim ac fructus collecti sunt, quod debitum solo decursu temporis non extinguitur. Ita Suarez, Azor, Castrop. *loco cit.* aliique communiter. Quòd si aliqui Doctores requirunt, debere peti: ij sunt explicandi, debere peti ad efficiendum, ut debitor decimæ possit excommunicari, non verò ut à culpa excusetur. Hinc notanter modo n. 7. dixi, non debere debitorem fructus indecimatos in domum, vel horreum suum

suum deferre, nisi consentiente eo, cui decima debetur, vel eo negligente, modo *ibid.* dicto, quia statim ac collecti sunt, etiam nullo petente, Ecclesiæ omni jure debentur, & Ecclesia habet jus in re, nec solùm ad rem in illis fructibus collectis, quamvis in cumulo adhuc sint, & nec dum sint separati, ut fusè Castropalaus, *loc. cit. p. 2.* Legite Elcobar, *de præcepto solvendi decimas sect. 2. cap. 14 dub. 25.* afferentem Castropalaum, innuentem, esse probabile non teneri, nisi petente Parocho, aliòque citantem.

An deducendæ expensæ.

12. INquires tertiò? An debitor decimæ possit ex fructibus deducere expensas, & decimam solvere ex eo, quod ijs deductis, supereſt. Titius e. grat. colligit ex suo agro viginti mensuras frumenti, pro quo frumento expendit arando, metendo, frumentum serendo, & pro cæteris necessariis, expendit, inquam, decem aureos, quanti valent decem mensuæ e. g. frumenti, debéne Titius duas mensuras, an unam?

13. Respondeo: omninò debere duas; sic enim definit Pontifex *capit. Cùm non sit de decimis.* Ne igitur dicas, per legem civilem, & per aliquos contractus illos dici fructus, qui supersunt, ablatis expensis; ne id, inquam, dicas, quia per leges civiles, & per contractus respicitur lucrum, quod certè illud est, quod remanet, deductis expensis: at in materia decimarum per sacros Canones non respicitur lucrum, sed expressè respiciuntur ij fructus, qui è terra nascuntur; sive autem multas expensas effeceris, sive modicas, semper id, quod colligitur, est fructus nascens à terra, DEO scilicet concurrente, in cujus recognitionem debetur decima.

14. Dices, ergo si e.g. ego seminavi decem mensuras tritici, & in aliquo sterili anno collegi non nisi decem, adhuc debeo unam mensuram, & omittere expensas pro illis factas. Meliùs sic fuisset, si nihil seminassem, nam nihil deberem?

15. Respondeo: Concedendam esse omninò consequentiam. Nam etiam ille modicus fructus ex terra, concurrente DEO, profectus est. Quòd si nihil seminasses, jam cùm nihil habuisses à terra, non est mirum, quòd tunc debuisses nihil. Ita Fagundez, Suarez, Bonacina, Lessius, Castropalaus, *loc. cit.*

16. Duo adde. Primum, sive colas agrum per te ipsum, sive per Colonum, sive per Partitarium, semper debetur integra decima, qua tamen integra soluta, nihil ampliùs debet Colonus, vel Partitarius, quia secus bis eadem decima solveretur.

17. Secundum, graviter te peccare, si ex fructibus eligas deteriores, & illos des pro decimis, quia cùm æquè boni, ac deteriores procreentur ex terra, æquè de illis decimas solvere teneris. Ne igitur pro te eligas meliores, & pro Ecclesia deteriores, sed ex collecto, sine fraude, cumulo, da bona fide, quod debes. Ita Doctores citati. Te posse separare meliores à pejoribus, & decimam dare de

de melioribus, sanè actus esset Religionis valdè laudabilis.

CAPUT IV.

Pœna non solventis decimam.

1. INquires primò. Quas pœnas incurrit, qui decimam non solvit?

Respondeo: Præter peccatum mortale, quod habet duplicem malitiam, nempè sacrilegij, & injustitiæ, quia tollitur à DEI Ministris id quòd ipsis debetur in recognitionem DEI Creatoris omnium; præter id peccatum, inquam, incurrit excommunicationem non quidem latæ sententiæ, sed ferendæ, id est, postquàm monitus quis reddere, non reddit. Quòd hæc sit excommunicatio ferenda, non verò lata, apertè colligitur ex Tridentino *sess. 25. cap. 12. de reform.* Qui decimas, inquit, aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, absolvantur. Idem dicitur *in c. statuimus 16. quæst. 1.*

2. Nota autem singula Tridentini verba. Primò, illud (*subtrahunt, aut impediunt:*) non solùm enim, qui non reddit decimas, sed etiam qui impedimentum affert, ne reddantur, in easdem pœnas incidit.

3. Nota secundò illud (*excommunicetur:*) cum enim sit modus imperativus, denotat excommunicationem ferendam, ut dicitur in tractatu de excommunicatione. Atque hîc corrige, quod mendosè Typographus scripsit in Castropalao, *de decimis p. 14. n. 1.* ubi sic impressit (qui non solvunt integras decimas, excommunicationi subjiciuntur:) corrige, inquam, (subjiciantur.)

4. Nota tertiò (*nisi plena restitutione:*) nam non excusatur ab excommunicatione, si partem quis reddiderit, totam enim, & integram solvere debet. Lege Leandrum, *de decimis disp. 2. q. 39.* Excipio, nisi fortè pars non reddita sit tam modica, ut propter generalem rationem parvitatis materiæ, parum quod deest, pro nihilo reputetur.

5. Nota quartò (*non absolvatur:*) id enim intelligitur, si est in crimine. Posset enim evenire, ut quis fuerit potens reddere decimas, unde excommunicationem contraxerit, sed nunc sit impotens, & absolutionem petat. Dico igitur cum Leandro *loc. cit. q. 38.* & Sanchez, *lib. 2. sum. cap. 20. num. 19.* tunc posse absolvi, quia non est in crimine, si nunc impotens est. Addit Castrop. *loc. cit.* ut is, priusquam absolvatur, debeat jurare, se soluturum, cùm possit.

6. Pœna secunda est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, ut notat cum aliis Leander, *loc. cit. q. 50.*

7. Pœna tertia est excommunicatio lata, non tamen Papæ reservata, contra Religiosos persuadentes populo, ne decimas solvant, vel illas ipsas usurpantes, & cætera similia tentantes circa solutionem decimarum, ut clarè pronunciatur *in Clementina 1. de decimis, & in Clem. Cupientes, de pœnis.* Lege Toletum *l. 6. c. 20. n. 5.*

8. Pœna

8. Pœna quarta est excommunicatio in Bulla Cœnæ, & quidem lata, & Pontifici reservata contra exigentes, usurpantes, occupantes, sequestrantes decimas, & ad id auxilium præstantes, ut fusè habet Suarez, Toletus, aliique in explicatione Bullæ Cœnæ.

9. Hæc de pœnis. Ubi insurgit illa quæstio, quæ non rarò occurrere solet. Magistratus sæcularis, quando est sterilitas in civitate, cogunt Ecclesiasticos, ut vendant frumentum, quod ex decimis collegerunt, vel etiam ex suis agris, immò aliquando vi, quamvis justo pretio dato, vel promisso, ab illis auferunt, vel sequestrant, peccántne; & in Bulla Cœnæ excommunicationem incurrunt?

10. Respondeo verbis Castropalai *loc. cit. p. 14 n. 4. Dicendum est*, ait, *eos Magistratus excommunicatione ligari ob talem sequestrationẽ, nisi priùs tentaverint necessitati subvenire auctoritate Judicis Ecclesiastici: quia, dum ille negligens non est, non habent Magistratus auctoritatem fructus beneficiorum, vel Clericorum usurpandi. At Judice Ecclesiastico negligente, ne populus pereat, poterunt illa bona, quæ Clericis necessaria non sunt (quæque ipsi certè obligarentur populo vendere) in sequestro ponere: & favet lex Regia, Guttierez, & Matrenzo supra dictam legem.* Hæc Castropalaus.

CAPUT V.

De Primitijs, & oblationibus Primitiæ.

1. Occasione decimarum, loquimur breviter de primitiis. Inquires ergo primò, quid sint? Secundò, cujus juris sint primitiæ?

2. Respondeo ad primum. Olim in veteri lege *Exod. 13. & alibi* præceptum erat, ut universa frugum initia, quæ gignit humus, Domino reportarentur. Distinguuntur autem Primitiæ à decimis in duobus. Nam decima est pars decima fructuum: primitiæ verò sunt ipsi primi fructus. Præterea decima solvitur in sustentationem Ministrorum Dei, & in recognitionem supremi dominij in nos ejus subditos. Primitiæ autem offeruntur Deo, ejúsque Ministris in gratiarum actionem pro beneficiis receptis, & in recognitionem Dei, quo auctore provenit nobis, quidquid à terræ fructibus accipimus.

3. Respondeo ad secundum. quamvis in lege nova *c. qui 13. q. 2. c. 1. de decimis, & alibi* adsit præceptum Ecclesiasticum (non enim apparet esse divinum, nec naturale: nam recognitioni Dei, gratiarum actioni, & sustentationi Ministrorum Ecclesiæ satis, supérque fit per ipsas decimas, vel per alias vias;) quamvis, inquam, adsit hoc præceptum; tamen rectè notant Lessius *lib. 2. c. 39. dub. 6. num. 31.* & Azor *tom. 1. lib. 7. c. 38. q. 3.* in omni ferè regione illud esse legitima consuetudine abrogatum, nam, cùm sit merum

rum Ecclesiasticum, potuit contraria consuetudine aboleri.

4. Dixi tamen (*ferè.*) Nam audio in aliqua regione adhuc durare. Advertit autem *loco cit.* Azor, quòd ubi lex hæc extat, non soluuntur primitiæ, nisi à Clericis petantur. Adderem ego, si talis est consuetudo petendi. Advertit item potest cum Castropalao *de decimis p.* 60. eam quantitatem, vel qualitatem, & eo in loco, vel eo in tempore primitias donari, quæ ipsamet consuetudo in ea regione solet usurpare. Advertit denique Vega *in responsionibus casuum Bononiensium*, alicubi primitias solvi loco decimarum: quare tunc obligatio erit, illas solvendi, quæ est solvendi decimas.

5. Quæres. Ubi primitiæ solvi consueverunt, in qua quantitate solvi debent?

Respondeo, in jure nullam esse quantitatem primitiarum definitam; relinquitur enim arbitrio offerentium, ut testatur S. Hieronymus de primitiis Hæbreorum, ad quarum imitationem dantur à Fidelibus, & refertur *in Decr. lib. 3 c. 1.* cujus hæc sunt verba: *Primitiæ*, inquit, *quas de frugibus offerebant Hæbrei, non erant specialis nomine definitæ, sed offerentium arbitrio derelictæ. Traditionem quoque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed arbitrio Magistrorum inditam, quòd qui plurimum, quadragesimam partem dabant Sacerdotibus: qui verò minimum, sexagesimam.*

Oblationes.

6. Inquires secundò de Oblationibus.

Respondeo. Oblatio, ut de illa hic sermonem habemus, est donatio alicujus rei sive ex mobilibus, sive ex immobilibus facta Ecclesiæ ad ejus necessarias expensas, sive pro fabrica, sive pro ornamentis, sive pro similibus. Differt à decimis, vel primitiis, quia latiùs patet, quàm illæ; cùm offerri ex omnibus bonis, nec solùm ex terræ fructibus, aliquid possit.

7. Si ergo quæramus, quid juris de illis, dico nullum extare præceptum in jure de his, ut notant Doctores cum Suario *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 2. Quare, si tu obligeris e.g. aliquid Ecclesiæ offerre, quia id vovisti, vel quia ad aliquid offerendum tuus Pater testamento te obligavit, hoc debitum non est ex vi præcepti obligationis, sed ex vi voti, vel testamenti.

8. Hîc autem duæ quæstiones sunt dissolvendæ. Prima est, an saltem in aliquo casu sit obligatio apud Fideles, aliquid offerendi, seu donandi Ministris Ecclesiæ, si fortè hi indigeant, vel debeat reparari Ecclesiæ fabrica, nec habeatur unde? Ad quam sic rectè respondet Castropalaus *loco cit. punct.* 17. Si Fideles Parochiani primitias, vel decimas solvunt sufficientes ad Parochi proprij, & Episcopi (addo, & Ministrorum Ecclesiæ) sustentationem; non tenentur oblationes alias facere; quia ipso jure non tenentur ampliores donationes facere, quàm eas, quæ sufficientes judicantur ad debitam Ministrorum

strorum sustentationem. Quòd si decimæ in beneficia simplicia divisæ sunt, aut aliis usibus applicatæ, cujus causa deficit congrua sustentatio Episcopo, Vicario, aut Beneficiario, non tenentur ipsi Fideles supplere, sed aliunde provideri debet. Hæc Castropalaus.

9. *Quæres.* Quid, si Parochiani sint adeò pauperes, ut non valeant decimas, aut oblationes facere sufficientes ad Parochi sustentationem?

Respondeo cum eodem Castropal.: tunc Episcopum debere uti remediis traditis à Tridentino *sess. 31. c. 7. & 8. de reform. & sess. 24. c. 3. de eadem*, id est, transferendo Ecclesiasticos alios redditus ad has necessitates, atque his applicando, & similia: quæ remedia, si adhuc sufficientia non sint, recurrendum erit ad Summi Pontificis providentiam.

10. Secunda difficultas est, an ex aliqua consuetudine, saltem immemorabili, possit fieri, ut his oblationes, de quibus loquimur, obligentur sub mortali Fideles exhibere?

Ad quam respondet Sotus *lib. 2. de Just. q. 7. art. 2.* non posse, quia consuetudo hæc aliquid offerendi in ipso principio fuit, & debuit fuisse spontanea, & libera, ergo absque ulla obligatione, ergo neque per continuationem potest nasci de illa obligatio, quia nunquam adfuit in Fidelibus animus, se obligandi: continuata enim fuit illa prima, quæ non fuit cum obligatione.

Respondet autem Suarez *loco cit. l. 5. c. 5. n. 1.* posse, quam Suarii sententiam communem Doctorum, Lessij, Fagundez, aliorúmque esse, testatatur. Castropalaus *loco cit.* quia *c. ad Apostolicam de Simonia* Pontifex sic pronunciat. *Pravam exactionem fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari.* Si igitur, dicunt hi Doctores, piæ consuetudines sunt observandæ, ergo est observanda illa consuetudo de oblatione, quæ saltem per immemorabile tempus est continuata.

11. Sed certè non video, sicuti nec videt Castropalaus *loco cit. n. 4.* convincentem esse hunc textum; nam Pontifex explicat, observandas esse quidem consuetudines pias; sed eo modo, quo sunt introductæ, cum libertate erunt observandæ. Erit ergo, inquit Castropalaus, sententia obligans solùm propter authoritatem tot Doctorum probabilior judicanda.

PARERGON AD QUINTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

DISPUTATIO UNICA.

De Immunitate cujusdam Monasterij à quadam Gabella.

CAPUT I.

Proponitur status quæstionis.

TItius Laicus non multarum ovium dominus requirit ab Abbate, seu Procuratore cujusdam Monasterij, habentis ovium gregem, pascentium in suis proprijs Monasterij prædijs? Titius, inquam, requirit, ut is Procurator admittat paucas illas oves intra Monasterij gregem, ea conditione, seu pacto, ut pro compensatione pascuorum, Titius det, seu vendat Monasterio omnem fructum lactis, qui eo anno habebitur ex suis ovibus; nam partus earundem sibi idem Titius acquiret. Breviter Titius, & Monasterium ejusmodi contractum ineunt, ut hoc det pascua pro fructibus lactis, hoc est, caseo, butyro, recocta, quam vocant; ille verò det dictos lactis fructus pro pascuis.

Quoniam verò in ijs locis impositum est vectigal (quod vulgò, gabellam appellamus) super lactis fructibus; ideò vectigalium publici Quæstores illud exigere à præfatis lactis fructibus Monasterio à Titio concessis, intendunt; à Titio, inquam, Laico, Nam Immunitatem Ecclesiasticam Monasterij sic nequaquam lædi, sibi persuadent. Quærimus ergo quid juris?

CAPUT II.

An contra Immunitatem agant Gabellarij, si à prædictis lactis Fructibus Gabellam Extorqueant?

ANtequam id decernatur, recolendum est breviter, qualis nam, & quanta sit hujusmodi Immunitas Ecclesiasticorum à vectigalium solutione? Certa enim est, & explorata Theologorum, Canonistarum, & juris civilis peritorum sententia, quam nemo ex Catholicis audet impugnare, bona Ecclesiastica, immunia, & omninò libera esse ab oneribus, seu gabellis impositis per Communitates, vel Principes quoscunque Laicos. Ita definitum est *in Conc. Lateranensi sub Alexandro III. p.1.*

p. 1. cap. 19. sub Innocentio III. cap. 46. & habetur *C. Non minus, & C. Adversus. De immun Eccl. & c. 1. & 3. eod. tit. in 6. Et c. quamquam de censibus in 6, & in Clem. unica de Immun. Eccles.* Quæ Sanctiones innovatæ fuerunt per Sactum Concil. Trid. *sess. 25. c. 2. de reform.* Romanique, Pontifices quotannis in Bulla Cœnæ Domini hujusmodi onera imponentes Ecclesiasticis, & ab ijdem exigentes excommunicatione latæ sententiæ Summo eidem Pontifici reservata percutiunt. Sed alijs multis omissis, proderit hîc proponere Canonis verba *in prædicto c. quamquam de censibus in 6.*

Ecclesiæ (inquit) *Ecclesiasticæque personæ, & RES IPSARUM non solum jure humano, quin immò divino à Sacularium personarum exactionibus sunt immunes.*

Conionat Pius V. qui eximit omnes Ecclesiasticos, Monasteria, eorúmque AGROS, ET BONA ab omnibus gabellis, impositionibus, &c. Hanc Pij V. Constitutionem habes in promptu apud Dian. *p. 3. tract. 1. resol. 19.*

His in memoriam revocatis, assero pro prædictis fructibus lactis, nullo modo posse Gabellam exigi.

Probatur id primò hoc efficaci argumento. Omnes Ecclesiastici, atque adeò prædictum Monasterium, sunt immunes à solutione gabellarum in suis quibuscunque bonis, & rebus, ut ex præcedente capite constat; sed prædicti lactis fructus, de quibus noster est sermo, acquisiti ex pretio, seu consumptione, quam Titij oves faciunt de Monasterij pascuis, sunt in ejusdem Monasterij bonis, ergo Monasterium in dictis fructibus est Immune à solutione gabellæ, ergo in excommunicationem ille incurret, qui ex ijs illam exigere præsumpserit.

Major hujus argumenti est evidens ex illis verbis citatis in præcedente capite Pij V. (Ecclesiasticæ personæ, & RES ipsarum, & BONA) & ex alijs *ibidem* dictis.

Minor est certissima ex vi ipsius contractus inter Monasterium, concedens Titio pascuorum commoditatem, & Titium dantem fructus lactis Monasterio. Consequentia igitur est manifesta.

Quamvis autem hîc non sit rigorosè, & propriè emptionis, & venditionis contractus; est nihilominus per æquipollentiam; siquidem intercedunt pascua pretio æstimabilia, atque adeò intervenit pecunia æquivalenter, & res, quæ venditur, nempe lactis fructus. In rigore autem est contractus commutationis, seu contractus innominatus, quem appellare consuevimus, *DO ut DES*: qui quidem quoad translationem dominij eundem parit effectum, perinde ac parit rigorosa venditio; scilicet ut res, quæ ementi traditur, transeat omninò, & in omni rigore in dominium recipientis. *L. Naturalis ff. de præscript. & passim Jurisconsulti, & Theologi de contractibus innominatis.* Ex Theologis instar omnium hîc sit De Lugo *tom 2. de Just. d. 22. num. 6.* qui in hunc modum contractus innominatos breviter explicat.

Ad innominatos contractus pertinet primò. Quando das Petro, ut laboret

in

in tua vinea, quod est: Do, ut Facias.

Secundò. Quando laboras, ut tibi det Boves, quod est. Facio, ut Des.

Tertio. Quando das Boves, ut det tibi vinum, quod est: Dò, ut Des.

Quartò. Quando laboras in ejus vinea, ut ipse te doceat aliquam artem, quod est: Facio, ut Facias.

Et quidem contractus in casu nostro est ille tertius, dat enim Monasterium pascua, ut Titius det lactis fructus.

Probatur secundò nostra assertio ex definitione dominij. Dominium est jus (id est, facultas, seu potestas) perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Bart. *in leg. Si quis H. de acquirenda possession.* cum juris peritis communiter. Molina, *d. 3. de just. & jure* cum Theologis passim. De Lugo autem, *tom. 1. de just. d. 2 num. 3.* sic dictam definitionem declarat.

Dominium (ait) *est tale jus in re, ut ratione illius possit Dominus disponere de re in quoslibet usus.*

Jam ex hac dominij descriptione sic assertio nostra probatur. Monasterium habet perfectum dominium illorum fructuum lactis, quos habet acquisitos suorum pascuorum pretio, ergo est eorum perfectus Dominus, ergo illi sunt res, & bona Monasterij. Subsumo: sed super rebus, & bonis Monasterij nullum imponi vectigal potest, ergo &c.

Quamvis enim super lacte, quod nondum existit extra prædictas oves nutritas Ecclesiæ pascuis, Monasterium habeat dumtaxat jus ad rem; tamen postquam emungitur, & existit extra illarum mammas, acquirit Monasterium, super illas, jus in re, utpote legitimè suis pascuis per illas oves detonsis acquisitum. Habe paritatem non ineptam ad hunc discursum comprobandum. Si ego Dominus meæ servæ gravidæ donarem, seu pretio venderem Petro, non quidem servam ipsam, sed futuram ejus prolem, sanè statim, ac fœtus ab utero existentis servæ excluderetur, transiret in absolutum dominium Petri. Ita ergo in casu nostro, & consequenter, qui aliquid intendit contra dictos lactis fructus, contra Ecclesiæ dominium intendit.

Probatur tertiò, ex notabili doctrina decisionis Rotæ apud Ascanium Tamburinum *de Jure Abbatum 3, decis. 104. sub Merlino n. 4.*

Bona, inquit, dum Ecclesiæ traduntur, eo ipso eximuntur à dominio, & potestate LAICORUM, & ex speciali jure sub dominio CHRISTI DOMINI constituuntur, nec per Metaphoram, sed per omnimodam proprietatem, ita ut tale dominium super his bonis Ecclesiarum sit proximè, & immediatè in CHRISTO DOMINO, illique dicatur acquisitum tanquam principali Domino, ut per Innocentium *in c. Cùm super n. 3. de causis poss. & prop. Et in c. Verùm n. 2. de foro comp. Afflict. dec. 361. à n. 22. Suar. ad Regem Angliæ lib. 4. c. 17. n. 9 & c. 18 n. 5. & 7. & c. 21 n. 5. Comitol. resp. mor. lib. 1. c. 30. resp. latè id prbantem.* Unde si CHRISTUS DOMINUS omninò immunis fuit à tributis per SS. Patres allegatos à Suario *loco cit. c. 5. n 1.* consequens est,

est, ut bona Ecclesiarum, quæ subsunt immediato, & proximo dominio CHRISTI DOMINI ab omnibus tributis sint immunia.

Et paulò post. Si bona patrimonialia Clericorum, etiam laicalia, sunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem personarum, quia dignitas personæ influit Immunitatem in ipsa bona, illa enim adhærent personæ Clerici, nec persona dici potest plenè, & perfectè exempta, nisi etiam illius bona exempta sint, ut notat Abbas, Decius, Felinus, & alij Canonistæ communiter *in c. Ecclesiæ S. Maria, & in c. quæ in Ecclesiarum de const. Baldus in l. 2. c. de Episc. & Cler.* Suarez alios referens *d. lib. 4. c. 75. n. 4. & seqq.* multò magis idem erit in bonis Ecclesiarum: tum quia perpetuò sunt Ecclesiastica, & in divinum cultum per se ordinantur, tum quia non Clericorum, qui Christi famulatum agunt, sed ipsius CHRISTI DOMINI patrimonium sunt.

Hactenus Rota. Si igitur prædicti fructus sunt res Ecclesiæ, atque adeò res sunt bona Christi Domini, quis tam temerarius erit, qui ab illis vectigalia extorquere non dubitabit?

Neque opponas, hanc exceptionem Clericorum esse de bonis Ecclesiæ solùm immobilibus, quia hæc vox (Bona) videtur tandummodò significare res immobiles, quales sunt ejusmodi fructus lactis; ne id opponas, inquam, quia signatè modò audivimus Summum Pontificem sic pronunciantem: *Ecclesiasticæ personæ, & res ipsarum, &c. ab exactionibus secularibus sunt immunes.*

At sub voce (Res) mobilia etiam involui, nemo sapiens inficiatur. Adde, quæ modò etiam legimus.

Bona Patrimonialia Clericorum sunt omninò immunia ab oneribus laicorum ob dignitatem personarum, quia dignitas personæ influit immunitatem in bona; illa enim adhærent personæ Clerici. Nec persona dici potest plenè, & perfectè exempta, nisi etiam ipsius bona exempta sint.

Atqui tam bona immobilia, quàm mobilia adhærent personæ Clerici, ergo dignitas ipsius personæ tam in immobilia, quam mobilia exemptionem debet influere. Et profectò ridendus esset, qui affirmaret, prædium Clerici e.g. esse exemptum, non verò frumentum, quod colligitur ex prædio; quid enim notabilis emolumenti sic redundaret in Clericum? Idem esset in jure annui redditus, si jus esset exemptum, sed obnoxia vectigalibus esset annua pensio. Adde denique, nimis ineptè excludi à nomine bonorum prædicta mobilia.

Bonorum (ait Barbosa in variis V. bona) simpliciter appellatione veniunt mobilia, se moventia, nomina debitorum, jura, & actiones. L. *Bonorum 49. fine* L. *Rei appellatione 13.* H. *de verb. signif.* L. *Si legat 30.* §. 1. H. *ad Treb.* L. *Nomen C. quæ lex pignori Gloss. in l. Principes 21. de Verb signif. Abbas Consil. 43. Videtur 1. n. 3. lib. 1.*

Probatur quartò, assertio nostra ex doctrina, quam affert Diana, *part. 3. tract. 1. res. 19.* quam etiam confirmat Thomas Belbene, *de imm. p. 1. cap. 5. dub. 7 sect. 18.*

Notandum est (*ait Diana*) Colonos, seù affictatores prædiorum Ecclesiasticorum non teneri solvere gabellam, vulgò dictam (*de fieri*:) quia quando dicti Gabelloti taxant, & pretiant dictam gabellam, fructus non est separatus à solo Ecclesiastico immuni à gabella: ergo &c. Et ideò Carolus de Graffis *de effectib. Clericatus effectu 3. n. 9.* sic asserit: In facti contingentia in hac urbe Panormi fuit decisum pro emptoribus fructuum pendentium viridarii Religionis Melitensis contra Gabellotos, qui prætendebant jus gabellæ ab ipsis emptoribus: & hoc, quia fructus non erant separati à solo, tempore venditionis.

Hactenus Diana. Ex qua doctrina sic in rem nostram arguimus. Conductores laici prædiorum, & arborum Ecclesiasticarum non debent gabellam ex fructibus, qui pendent in arbore, quia illi sunt in dominio Ecclesiæ, cujus sunt ipsæ arbores; quando autem separantur ab arbore, & asportantur, ideò gabellam debent, quia tunc jam transierunt in dominium conductorum Laicorum, qui eos emerunt, ergo è contra in casu nostro quando lac nondum est expressum ab ovium uberibus, quòd æquiparatur tunc fructibus ab arbore pendentibus, quia tunc est in dominio Titij Laici, ejus nempè, cujus sunt oves, debet esse gabellæ obnoxium, si impositum fortè sit aliquod onus ovibus lactescentibus. At verò quando lac jam emunctum, atque est extra ovium ubera, quasi fructus extractus ab arbore, quia est in dominio Ecclesiæ vigore præfati contractus, Do, ut Des, subjectum esse vectigali nullo modo potest.

Probatur quintò: Fac, impositum esse tributum super piscibus e. gr. quos piscatores suis retibus, & instrumentis expiscantur: aliquis verò Ecclesiasticus emat (ut fieri solet) jactum retis, dato pretio, de quo facta sit convention, vel data aliquatre, e. g. amphora vini, qui est contractus Do, ut Facias. Extrahantur autem multi pisces. Profectò hi omnes erunt ejus Ecclesiastici, qui pretium, vel vini amphoram contulit. Nam quamvis, dum in mari natabant, non fuerint in ullius dominio, extracti tamen incidunt in dominium illius, qui emerat. Quare, si piscator pro se extraxisset, vectigal solvere ex illis deberet: nunc verò, quia pro Clerico exempto extraxit, nihil Clericus debet. Simile quid contingit in casu nostro. Si Titius Laicus non convenisset cum Monasterio per contractum, Do, ut Des, essent fructus lactis prædicti subjecti utique impositio oneri: nunc verò, cùm sint Ecclesiæ, nihil debet Ecclesiæ.

Probatur denique evidenter ratione ducta à possessionis beneficio. Monasterium per multos annos in possessione immunitatis ab hoc onere existit, illam enim prætensam gabellam nunquam persolvit, ut ipsimet Exactores testantur, seu fatentur. Qua ratione igitur ab ejusmodi possessione Monasterium deturbare sine injustitia, ne dicam, sine sacrilegio, audebis? Confirmatur, quia à nemine auferri possessio potest, quam quis habet legitimè acquisitam (qualem sine dubitatione Mo-

Monasterium habet) nisi luce meridiana clariùs constet, illegitimam illam esse, ut est communis, & certa doctrina Doctorum apud Sanchez, *lib. 6. in decal. c. 3. n. 7. & lib. 4. cap. 40. n. 8.* Castrop. *tom. 1. tract. 1 disp. 3. p. 2. n. 11.* De Lugo, *de just. tom. 1. disp. 16. n. 106.* & passim apud juris peritos, ergo non poterunt Exactores vectigalium, nec quilibet Judex Monasterium depellere ab hac immunitatis possessione sine evidenti ratione in oppositum, quæ nulla excogitari profectò potest.

Duæ oppositiones diluuntur.

PRima oppositio. Probabilis est sententia, quòd Colonus Partitarius Clerici pro portione suorum fructuum teneatur solvere gabellam, ut docent viginti Doctores, quos laudat Menochius, *de arbitrariis cap. 202. num. 36.* ergo pari modo, si non Monasterium, certè Titius illam debebit, qui est Colonus Partitarius Monasterii.

Respondeo primò. Sed est probabilissima opinio, quòd dictus Partitarius, pro portione suorum fructuum illam solvere non adstringatur, ut docent sexdecim Doctores, quos laudat, & ipse idem Menochius sequitur *loc. c. num. 46.* & idem alii plures, Ascanius Tamburinus, Abbas, Diana hos citans, *p. 3. tract. 1. res. 19.* De Lugo, *de just. tom. 2. disp. 36. num. 107.* Delbene, *de parlamentis dub 30. sect. 18* Cùm ergo utraque opinio sit probabilis, prævalebit nostra, quia pro nobis additur continuata possessio, ut item favor Ecclesiæ, quæ semper præferenda est.

Sed respondeo secundò. Nam non indigemus nos prædicta Menochii doctrina pro nostra disputatione, quæ est longè diversa ab ea, quam ipse exagitat. Ipse enim loquitur de parte fructuum, qui sunt in dominio laici Partitarii. Nostra autem quæstio est de parte fructuum, qui sunt in dominio Ecclesiæ. Esto igitur, quòd noster Titius debeat gabellam ex suis agnis, hædis, & ovibus, quæ cedunt in ipsius portionem, si super illis aliquod onus impositum fore sit. At qua ratione id extendis ad fructus lactis, qui cedunt in portionem Monasterii? Monasterium enim, & Titius celebrant veluti contractum Societatis. Titius contribuit oves, Monasterium contribuit pascua, ea conventione, & pacto, ut fructus ex lacte sint Monasterii, fructus partuum sint Titii.

Quòd autem in hujusmodi contractibus Societatis animalium, ut & in aliis Societatibus, debeatur vectigal ab Ecclesia, pro sua parte, nullus unquam dixit, nullus somniavit.

Secunda opposita. Saltem ex alio capite prædicti fructus vectigales esse debent quia nimirum Monasterium in hoc contrahendo modo videtur esse negotiator; Clerici autem negotiantes ex vulgatis juribus de Clerico negotiatore debent ex negotione gabellam.

Respondeo, nimis falsum esse, hic intervenire negotiationem à Sacris Canonibus interdictam. Etenim, quòd agit Monasterium in hoc contractu inito cum Titio, nihil aliud est, nisi vendere, seu dare pascua, ut recipiat pre-

tium in fructibus lactis. Venderéne, seu distrahere rem suam, ut rem æqui valentem recipiat, est mercaturam facere? Ergo Clericus, si commutet suum bovem cum æquo laici, negotiationem exercet? Idemque si frumentum ex suis agris collectum distrahat, ut accipiat vinum, mercator est? Profectò hæc oppositio neutiquam fieret ab eo, qui vel primis labiis attigerit sacros de hac re vulgatos Canones, præsertim C. *Secundùm institutа, ne Clerici, vel Monachi, & ejus Glossam: & idem Doctores passim: Molinam tom. 1. de just. tract. 2. disp. 342. Alter. tom 1. de cens. disput. 19. num. 5. cap. 6. dub. 7. Martam de jurisd. p. 4. casu 3. num. 9. & 10. Barbos. tom 2. de coll. in jus Can. lib. 3. tit 50. cap 6 num 3. Malder. part. 2. de just. tract. 5. cap. 2. d. 4. & sexcentos alios Theologos, & Canonistas.*

Quòd si Monasterium hos lactis fructus velit pro suo usu, vel suorum operariorum consumere, ne umbra quidem apparebit negotiationis. Immò, si velit eos vendere, & re ipsa venderet, nec id saperet vetitam ullam negotiationem, ut ex sequentibus luce clarius erit manifestum.

CAPUT III.

Monasterium, si venderet prædictos fructus, negotiator non esset.

SI ejusmodi fructus Monasterium emeret, purè ut venderet, certè negotiationem exerceret, Clericis vetitam; definitio enim negotiationis vetitæ est emere quid, ut immutatum, lucri causa, vendatur. C. *Pervenit 88. distinct. & alibi.* Less. *libr. 2. de justit. cap. 21. dub. 1. num. 8.* Duardus in *Bulla Cœnæ lib. 2. can. 18. quæst. 8 num. 14. & sequentibus.* *Rizzius tom. 1. praxis resolut. 317.* Sperellus *decis. 94. num. 8. & seq.* Diana, *multos alios referens part. 11. tract. 6. res. 41.*

At quia Monasterium non emit hos lactis fructus, ut lucri causa vendat, sed ne suorum pascuorum jacturam patiatur, consequens est, ut dicamus, mercaturam nullam facere. Sic autem potest id per convincentem argumentationem confirmari. Is, qui non emit, ut vendat, & quæstum faciat, negotiator non est; sed Monasterium non intendit quæstum ullum, sed solùm curat recuperare pretium suorum pascuorum eo meliore modo, quo potest, ergo &c.

Quòd si deinde ex his lactis fructibus, quos propter prædictam necessitatem emit, aliquam partem vendat, quæ fortè illi supereat ex suo, & famulorum suorum usu, per accidens est, & nullo modo mercaturam importat. Immò affero, tametsi Monasterium omnes lactis fructus, quotquot ex suis pascuis recipit, venderet, negotiationem exercere ex sacris Textibus, & Doctoribus minimè diceretur, quia semper constabit, non emere, ut lucri causa vendat, sed ut sua pascua non amittat. Ecce C *secundùm institutа ne Monachi, vel Clerici.*

Sub

Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur.

An ésne causâ lucri negotiari, curare ut non pereant pascua Fundi Ecclesiastici? Adde Glossam *ibid. V. causa lucri.*

Sed causa (ait) *necessitatis possunt.*

Innocentius autem *ibidem in principio V. lucrum*, sic habet clarissimè.

Prohibitio hæc negotiationis limitatur, nisi lucrum proveniat ex opere, vel re sua.

Sed piget cumulare Doctores in re manifesta. Lege illos apud Fagnanum, *in dictum cap. secundùm instituta.*

Probatur secundò, ex quotidianis exemplis. Nam si Clericus horreum suum locaret Petro e. grat. mercatori, qui locationis pretium solveret in frumento, quod pro victu, cultuque Clerici necessarium non esset, quis, rogo, negabit, illum posse dictum frumentum vendere absque ullo mercaturæ vetitæ timore? Si Clericus quisquam locaret molendinum, vel vineam, reciperetque à conductore tritticum, vel vinum, quis dicet, hunc Clericum negotiari, si dictum tritticum, vinumque divenderet? Par igitur ratio est in casu nostro. Doctores citati id passim docent, & præsertim Pyrrus Corradus sic habet *in praxi dispensationum libr. 5. capite 4. num. 24.*

Non debet molestari Clericus sub prætextu illicitæ negotiationis, si is vendat frumentum, vinum, aut oleum ex redditibus sui beneficij, ait Guttierez de gabellis q. 93. n. 25.

Certè in nostro casu fructus lactis sunt ex redditibus, seu proventibus prædiorum Monasterii, quæ sunt veluti bona beneficialia Religionis.

Probatur tertiò, ex iis, quæ docet Pellizzarius *in manual. tom 2. tract. 6. cap. 20.*

Non est, inquit, negotiator Clericus, si ex frumento in propriis agris collecto conficeret panem, cúmque venderet, Et paulò post reddit rationem hanc.

Quia panis factus ex frumento collecto in propriis agris est fructus, seu quasi fructus propriorum prædiorum; adeóque licuti Clerici vendentes frumentum perceptum in suis agris non sunt negotiatores, ita nec erunt, si vendant panem.

Dicamus ergo nos. Lac factum ex herbis Monasterii est quasi fructus prædiorum Monasterii, ergo &c.

Et de pascuis nota, quid sentiat Pyrrhus Corradus, *l c. n. 28.*

Nec debet molestari Clericus, si habens pascua multa, emit animalia (hoc est, boves, oves, &c.) ut depascant pascua ipsius Clerici, & cum pinguia facta sint, vel cum partus ediderint, illa, & eorum partus, vendant, quod eis non est interdictum ex Rodoano de spoliis &c.

Si igitur licèt Clerico emere animalia, ut ipsius pascuis pinguescant, & cariori pretio vendantur, quantò magis licebit Monasterio, oves illas Titii veluti conducere (quod est longè minus, quàm emere) quæ ejusdem Monasterii pascuis alantur, & sic utilius pro ipso Monasterio lacteſcant.

Denique probatur quartò, ex vulgato illo juris consultorum axiomate, Subrogatum sapit naturam ejus cui subrogatur. Barbosa *in varijs, Axiomate subrogatum cum innumeris Doctoribus ibidem allatis;* atqui fructus lactis, de quibus est sermo, subrogantur, seu dantur loco pascuorum, ergo & ipsos participes esse oportet qualitatis (ut ita loquar) moralis pascuorum, ut scilicet quemadmodum immunia sunt pascua ab omni onere, & divendi cum exemptione possunt, sic & ipsi lactis fructus acquisiti à Monasterio ex suis exemptis pascuis. Atque hæc de hujusmodi nimis manifesta Monasterii immunitate dicta sint hactenus satis. Et nos item de quinque præceptis Ecclesiæ satis. Verùm SS Virgini, majore, quo possumus, obsequio, gratias agere, ne oblivi-scamur.

FINIS.

LAUS DEO, AC BEATISSIMÆ VIRGINI, AC BEATO ALOYSIO GONZAGÆ.

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Prior Numerus indicat Paragraphum: posterior paginam.

A.

Absolutio.

VAriæ formulæ absolutionis Sacramentalis. Parag. 8. pag. 54.

Quænam verba sint absolutè necessaria ad essentiam absolutionis. 10 ibid.

Duo notanda quoad hoc punctum. 11. ibid.

Absolutio plurium in casu necessitatis. 13. 55.

Vnum mortale non absolvitur sine alio saltem indirectè remisso. 14. ibid.

Mutatio verborum, si remaneat idem sensus, non officit validitati absolutionis. 16. ibid.

Valida est absolutio, si detur sub imperativo modo, vel indicativo passivo. ibid.

Variæ formulæ absolutionis, quas ut validas admittit Scotus. 17. ibid.

Sed profectò sunt dubiæ. ibid. 55.

Invalidè absolves sub verbis modi optativi, vel sub verbis deprecatoriis. 18. ibid.

Semper peccatur graviter in absolvendo, si ita mutetur forma, ut invalidum, vel dubium reddatur Sacramentum. 19. 56.

Nisi tam modica esset mutatio, ut parum pro nihilo reputaretur. ibid.

An valida sit absolutio, data sub quacunque conditione in futurum pendente? 20. ibid.

Valida est sub conditione de re præsenti, vel de re præterita, quæ supponatur præextitisse. 21. ibid.

Vnum valdè notandum ad hoc propositum. ibid.

Varii casus, in quibus licita est absolutio sub conditione? 22. ibid.

Quibusnam verbis conferenda sit absolutio ab excommunicatione? 26. 57.

Aliquod est animadvertendum in hac materia. 28. 58

Formula absolvendi excommunicatum morte imminente. 29. ibid.

Absolutio à censuris debet præcedere absolutionem à peccatis in foro conscientiæ, 26. & 31. ibid.

Proba-

Probabiliſſimum tamen eſt, quòd per hæc ſola verba (abſolvo te à peccatis tuis) remaneat pœnitens abſolutus ab excommunicatione. ibid.

Abſtinentia.

An, & quandonam peccet, qui ſumit quidem aliquid cibi, ſed non quantum ſufficit ad ſanitatem conſervandam? 17. 391.

Actus interni & externi.

Actus interni peccaminoſi toties multiplicantur, quoties retractantur, & iterum reſumuntur. 17. 100.

Si verò non retractantur, quamvis interrumpantur per alias actiones, probabile eſt non multiplicari. 20. 101.

Adeóque ſufficit in confeſſione aperire tempus, quo quis tales actus continuavit. ibid.

Duæ hujus opinionis explicationes. 21. ibid.

Oppoſita ſententia eſt in rigore probabilior. 20. ibid.

Vbi tales actus ſint diſparati, nec unus ab alio præcedente dependens, ſunt ſingillatim in Confeſſione aperiendi ibid. 101.

Quid dicendum de actibus externis inter ſe connexis ratione finis? 23.

Si non ſunt connexi, debent ſingillatim explicari in Confeſſione. 27.

Excipe probabiliter, niſi ſint peracti in eodem impetu, & calore. 29. ibid.

Duo notanda circa modò dicta. 32. 104.

Adoleſcens.

Adoleſcentes, qui nondum viginti, & unum annum compleverunt, non tenentur jejunare: obligantur tamen ad abſtinentiam carnalium, & lacticiniorum diebus vetitis. 14. 305.

Obligantur tamen ad jejunia, quæ ipſi fortè vœverunt, vel quæ ipſis impoſuit Confeſſarius. 15. ibid.

Quid de adoleſcentibus religioſis? 19. 306.

Adoleſcens negativè dubius, an compleverit vigeſimum primum ætatis annum, non tenetur ad jejunium. 22. ibid.

Si pro utraque parte probabiles tibi occurrant rationes, potes ſequi, quam mavis. 24. ibid.

Immò, & ſi probabiliores ſint pro obligatione, adhuc potes illam excutere. ibid.

Quid, ſi ruſticus adoleſcens omnino neſciat, an compleverit vigeſimum primum ætatis annum? 25. 307

Adulterium.

Turpis congreſſus conjugati cum ſoluta, vel contra, eſt adulterium. 27. 116.

Congreſſus conjugati cum conjugata duplicat malitiam adulterij 28.

Alij actus turpes, quibus committitur adulterium. 29. ibid.

Qui ſolùm celebravit ſponſalia, non committit adulterium, ſi peccet cum alia à ſua ſponſa. ibid.

Amentes.

Qui perpetuò amentes ſunt, non tenentur ſervare legem jejunij. 13. 304

Non

Non perpetuo amentes ex alio capite excusantur. ibid.
Id quod merito extenditur ad amentes in una sola materia. ibid.

Approbatio.

Quid sit approbatio ad Sacramentum pœnitentiæ ministrandum Sacerdoti necessaria? 2. 138
Debet semper ab Ordinario loci expediri. 3. ibid.
Decretum Tridentini quoad talem approbationem. ibid.
Regulares exempti ad audiendas Confessiones suorum Religiosorum, etiam novitiorum, non indigent alia approbatione, nisi proprij Prælati. 138 4.
Hæc autem facultas non extenditur ad famulorum confessiones audiendas. ibid.
Constitutio Pontificia quoad hoc ultimum. 5. 139
Quid de Monialibus? 6. ibid.
Quid de Parochis? 7. ibid.
Approbatio, quæ conceditur conjuncta cum delegatione jurisdictionis, debet concedi à proprio pœnitentis Ordinario. 8. ibid.
Immò & ea, quæ datur disjunctim à jurisdictione. 8. ibid.
Dubius negativè de licentia Ordinarii non potest illa uti. 11. 139
Injustè, adeóque invalidè revocatur approbatio, si absque justa causa revocatur. 12. 140
Discrimen quoad hoc inter Sacerdotem sæcularem, & Religiosum exemptum. 13. ibid.
Decretum Summi Pontificis pro Regularibus quoad hoc punctum. 14. ibid.
Si non gratis, illicitè, quidem, sed validè datur talis approbatio. 15. ibid.

Arma.

Decens quidem est fine ornatu armorum ad sacram mensam accedere: oppositum tamen nullum est peccatum. 12. 243
Quid sentiendum quoad hoc punctum de equitibus Religionum militarium? 13. ibid.

Attentio.

Attentio externa ad Missam quæ? 4. 38
Attentio, seu applicatio interna triplex. ibid.
Quælibet ex his addita externæ attentioni sufficit, ut Missæ præcepto satisfacias. 5. ibid.
Exercere actus internos virtutum, vel alio modo cum DEO agere, non tollit debitam attentionem. 6. ibid.
Potes idem, dum sacro assistis, horas canonicas, vel alias orationes vocales recitare. 7. 38
Etiamsi aliunde ad illa tenearis. ibid.
Etiam si non memoriter, sed legendo recites. 8. ibid.
An sit sufficiens præcepto Missæ sola attentio externa? 10. 39
An aptare pennam cultro tollat attentionem externam? 16. 41
Qui tempore sacri deliberato animo versat sceleratas cogitationes, an teneatur talem circunstantiam in confessione aperire? 18. 19. 42
Quid de legente libros profanos tempore Missæ? 20. ibid.
Quid de legente libros pios, non tamen precatorios? 22. & seq. ibid.

Quid de precatorijs? ibid.
Quid de eo, qui tempore sacri confitetur sacramentaliter, & de eo, qui seriò audit confessionem? 25, 43.
Quid de eo, qui dum Missæ adest, cum patre spirituali colloquitur de rebus divinis? 26, 27. ibid.

B.

Bestialitas.

Quid sit, & an explicanda in confessione, species animalis, cum quo committitur? 49. 120

Blasphemia.

Quænam blasphemiæ sint ejusdem, quænam verò diversæ speciei? 10. 107

Bulla Cruciatæ.

Habentes Bullam Cruciatæ non possunt uti ejus privilegio quoad carnes, & lacticinia in illis Regnis, in quibus Bulla non promulgatur. 17. 319
Quid emolumenti habeat privilegium Bullæ, quo conceditur carnis comestio diebus vetitis de consilio utriusque medici? 21. ibid.
Hoc privilegium de carnibus intelligitur etiam pro feriis sextis, & sabbatis. 24. 321
Dispensatus ad carnes potest illas pluries in die comedere, nisi aliqua sit addita limitatio. 25. ibid.
Privilegium Bullæ comedendi lacticinia intelligitur pro omnibus diebus aliàs quomodocunque vetitis. 26. ibid.
Etiam pro diebus jejunii ex voto, vel pœnitentia, dummodo vovens, aut Confessarius aliud non expresserit. 28. ibid.
Tale privilegium illos etiam includit, qui non tenentur, vel excusantur à jejunio. 30. 321
Prælati excluduntur ab hoc privilegio in diebus quadragesimalibus. 31. ibid.
Quid veniat nomine Prælatorum? ibid.
Non excluditur Episcopus, si sit tantum electus, & non confirmatus. 34. 321
Secus, si sit confirmatus, quamvis nondum consecratus. 35. ibid.
Excluduntur Religiosi qui professionem Religiosam emiserunt per sua vota. 36. ibid.
Senes, Religiosi omnes militares, etiam Jerosolimitani. 37. ibid.
Quid de Sacerdotibus Ordinum Militarium? 38 ibid.
Excluduntur certò ab hoc privilegio Presbyteri sæculares. 40. 323
Si tamen habeant Bullam, probabile est, tum sacerdotes sæculares, tum alios exclusos, posse uti illius privilegio in Dominicis Quadragesimæ, 41. ibid.
Quid veniat nomine sexagenarij in Bulla Cruciatæ? 42. ibid.
Excluſi ab hoc privilegio lacticiniorum in Bulla communi, includuntur ab alia Bulla Urbani VIII. 44. 324
Quanta eleemosyna sit eroganda pro hac bulla particulari? 45. ibid.
Non valet, nisi in illis regnis, in quibus evulgatur bulla communis. 46. 325
Exclusa in hac Bulla pro lacticiniis hebdomada majore, intelligitur exclusa De-

Dominica Palmarum. 47. ibid.
Ejus eleemosyna taxatur juxta mensuram bonorum Ecclesiasticorum. 48.
Episcopi autem, Abbates, & Dignitates etiam Canonicales obligantur ad taxatam Eleemosynam nullo habito respectu ad quantitatem reddituum Ecclesiasticorum. 49. ibid.
In prædictæ taxa nomine Beneficiatij, & Canonici non veniunt eorum Coadjutores. 50. ibid.
Privilegium hujus bullæ particularis habetur sine bulla communi. 52. 326
Non est necesse, ut huic Bullæ inscribatur nomen sumentis. 53. ibid.

C.

Carnes.

Quid veniat nomine carnium, quando ab Ecclesia prohibentur? 1: 310
Omnes partes animalium, quæ inter carnes computantur, prohibentur in diebus vetitis. 6. 311
Quid de pinguetudine porcina igne liquefacta, quam vocant sagimen? 7. ibid.
Quid de pinguedine liquefacta ex adipe aliorum animalium? 9. ibid.
Ova nonnata non computantur inter carnes. 12. 312
Abstinentia à carnibus est de substantia jejunii. 13. ibid.
Hinc dispensatus ad comedendas carnes, non tenetur ad jejunium. 16. 313
Qui dispensatur, ut semel carnes comedat; peccat, si bis illas eodem die manducet. 19. ibid.
Cui licet carnes manducare, licebit simul (quantum est ex hoc capite) lacticiniis, & piscibus vesci. 21. ibid.
Qui inadvertenter die jejunii carnes comedit, potest eo die plurios cibos legales comedere, non verò carnes. 22. ibid.
An dispensatus ad carnes, si nolit eas comedere, possit eo die non jejunare? 23. ibid.
Toties quis peccat, quotics post sufficientem distantiam in die vetito carnes manducat. 26. 314
Quænam sit sufficiens distantia? 28.
An plura peccata committat, qui non ex præcepto, sed aliunde obligatus ad jejunandum, pluries eodem die carnes comedit? 30. 315
Qui non haberet, nisi panem, & carnem, posset ne illam cum pane comedere in diebus vetitis? 57. 362
An die cinerum possint pauperes licitè assumere reliquias carnium antecedentis diei, donatas à ditioribus? 61. 363
Duo peccata specie diversa committit medicus, si irrationabiliter concedat alicui potestatem comedendi carnes die jejunii. 9. 372

Casus reservati.

Si alicui differatur confessio ad Jubilæum requisita, poterit deinde absolvi à reservatis etiam commissis post Jubilæum, tempore suæ dilatationis. 20. 177
Per Jubilæum, sicut & per bullam Cruciatæ, nequit tolli reservatio, vel excommunicatio invito pœnitente. 23. 178

Tempore Jubilæi potest quis toties absolvi à reservatis commissis, antequàm pœnitens illud lucretur. 20. 181

Etiam si talia reservata committantur in confidentiam Jubilæi. ibid.

Si quis, dum ignoratur Pontificis obitus, absolvitur à reservatis, validè est absolutus. 3. 194

Caupones.

Caupones, & similes vendentes possunt parare, & invitare ad emendos cibos legales in quadragesima. 10. 378

Possunt etiam parare, & offerre lacticinia in locis, ubi promulgatur bulla Cruciatæ. 15. 379

Quid de vendentibus carnes tempore jejunii, & lacticinia, ubi non est usus bullæ? 16. ibid.

Circumstantiæ.

Circumstantiæ mutantes speciem necessariò sunt aperiendæ in confessione. 8. 98

Quid de non mutantibus speciem? 9. ibid.

Cocolata vide V. Potus.

Cæcus.

Cæcus tenetur sacro interesse. 17. 4

Cogitatio.

Qui involuntariè, dum communicat, indifferentia cogitat; neque effectus Sacramenti frustratur, neque peccat venialiter. 2. 240

Si voluntariè, venialiter peccat. 3. ibid.

Si malas graviter cogitationes voluntariè admittit, novum addit sacrilegii reatum. 4. ibid.

Communio annua.

An præceptum de communicando sit divinum; an merè Ecclesiasticum? 1. ad 4. 204

An in aliquibus circumstantiis teneatur quis sub mortali communicare? 4. 205

Ex præcepto Ecclesiastico teneamur quotannis in Paschate communicare. 1. 210

In jure communi nulla fulminatur excommunicatio contra non communicantes in Paschate. 2. ibid.

Non peccat, nec pœnam incurrit, qui ex rationabili causa à Confessario approbata non communicat in Paschate. 3. ibid.

Qui Eucharistiam sumunt infra hebdomadam sanctam, vel infra octavam Paschatis, præcepto satisfaciunt. 4. ibid.

In multis locis legitimè est introducta consuetudo huic præcepto satisfaciendi quocumque die Quadragesimæ. ibid.

An præscindendo ab his locis, in quibus est introducta consuetudo, probabile sit satisfieri præcepto communicandi à prima Dominica Quadragesimæ? 4. ibid.

Sacerdos huic præcepto satisfacit, si solùm sacrificet tempore Paschali. 6. 211

An qui non communicat in Paschate, teneatur deinde communicare? 10. & seq. ibid.

Si verò id evenerit extra tempus Paschale, affirmat probabiliter Fagundez ad id teneri. 17. 212

Pro-

Probabiliùs tamen id negat Azorius. ibid. 18.
Excommunicatus, si per ipsum non stat, quin absolvatur, non tenetur ad communicandum. 19. 213
Tenetur tamen, si potest tollere impedimentum. 21. ibid.
Opposita tamen sententia non est omninò improbabilis. 23. ibid.
An sit suspectus de hæresi, qui non communicat in Paschate? 24. 214
Idem dic de non suscipiente Sacramentum pœnitentiæ semel in anno. 25. ibid. ibid.
Si communicas manibus tui pastoris, etiam in aliena Ecclesia, satisfacis præcepto. 1. ibid.
Secus verò, si id præstes in tua Parochia, sed non è manibus Pastoris, aut ejus Delegati. ibid.
Quo peccato quis peccet, non communicando in tua Parochia, seu non à manibus sui Parochi. 2. ibid.
Omnes, qui sunt de Diœcesi, possunt huic præcepto satisfacere in Cathedrali. 4. ibid.
Vagi, Peregrini, & Advenæ, ubi libet, satisfaciunt præcepto communicandi. 6. 215
Idem dic de quibuscunque legitimè impeditis. ibid.
An hoc præceptum impleri possit in Ecclesiis mendicantium, & eorum privilegia participantium. 8. & seq. ibid.
Pars negativa est omnino consulenda. 12. 216
An Religiosi possint suis famulis Eucharistiam in Paschate, & in articulo mortis ministrare? 13. ibid.
An oporteat in interdicto locali generali communicare in Paschate? 16. 217.

Communio?

Præter tempus paschale, sæpius licet ex devotione communicare. 1. 217
Etiam in die Paraſceve. ibid.
Non licet eodem die bis communicare, nisi in casu supervenientis periculi mortis, &c. 2. 218
Non est licitum Sacerdoti in die Natalis Domini extra Missam, nisi semel, laicè communicare, neque post unicam illam communionem potest illo die amplius celebrare. 3. ibid.
Potest quis quacunque hora communicare. 4. ibid.
An expediat quotidiana communio. 5. ibid.
Obligatur pœnitens obedire Confessario neganti communionem ex causa, quam ipse Confessarius sufficientem existimat. 6. ibid.
Peccabit pœnitens, si Confessario imponenti, ut toties vel toties communicet, non pareat. 8. 219
Si dubites, an id tibi sub mortali sit injunctum, nec sit locus interrogandi, te obligatum sub mortali, puta. 11. ibid.
Non licet (per se loquendo) communicare in testimonium innocentiæ, maximè cum petitione miraculi. 12. 220
Ex devotione possunt hodie fideles communicare in qualibet Ecclesia, sive Sæcularium, sive Regularium. 18. 221

Non est tamen id concedendum Oratoriis privatis cum notabili concursu. ibid.
Vbinam communicare debeant Græci; & an semper in fermentato? 22. ibid.
Ad Commonionem requiritur status gratiæ prudenter existimatus. 1. 230
Non sufficit contritio, sed est necessaria Sacramentalis Confessio. 2. ibid.
An, qui est negativè dubius de suo peccato, debeat illud confiteri ante Communionem? 3. ibid.
Qui bona fide confessus est suum peccatum dubium, si deinde advertat fuisse certum, an debeat illud fateri ante Communionem? 8. 231
Oblitus aliquod peccatum in Confessione debet illud clavibus subjicere ante Communionem. 11. ibid.
Qui ad Communionem accedit cum pluribus, vel gravioribus peccatis, gravius peccat. 15. 232
An, qui communicat non jejunus, & simul gravatus mortali, unum tantum committat peccatum, an duo distinctim in Confessione aperienda? 16. ibid.
Qui sacrilegè communicat, non sufficit, si dicat in Confessione: aliquod Sacramentum suscepi indignè. 18. 233
Sacrilega Communio est atrocius peccatum quolibet alio contra homines admisso. 20. ibid.
An sit peccatum veniale, accedere ad Evchariſtiam cum uno, vel pluribus venialibus? 22. ibid.
An in aliquo casu possit quis licitè communicare, quamvis sit in statu peccati mortalis, 26. 234
Septem casus, in quibus dubitatur, an Sacerdos, peccato mortali gravatus, deficiente Confessario, Missam celebrare possit cum contritione, vel actu amoris Dei super omnia, sine prævia Confessione? 31. 235
Ex his septem casibus primus & ultimus admitti debent ut certi; quartus est probabilis, cæteri excludi debent. 32. ibid.
Primus & ultimus casus militat etiam pro Sacerdote excommunicato, vel suspenso, vel interdicto; cæteri autem nullo modo. 32. 236
Tres casus, in quibus potest quis, ne infamiæ notam incurrat, celebrare, vel communicare cum solo actu contritionis, vel amoris Dei super omnia, nulla prævia Confessione, mortalium. 35. ibid.
Qui sine prævia Confessione mortalium celebrat, vel communicat, non committit duo peccata. 39. 237
Quandonam censetur, copia non adesse Confessarii? 41. ibid.
Non peccat communicans ipso die, quo graviter lapsus est, dummodo legitima præcedat Confessio. 5. 240
Non est peccatum, ad Communionem accedere non lotis manibus & facie. 3. 242
Quidquid dicat Granado. 5. ibid.
An liceat statim à Communione comedere, vel bibere? 2. 262
An etiam licitum sit, statim à Communione debitum conjugale petere, vel reddere? 5. ibid.
Probabile est, majus bonum (spirituale (non

(non quidem per se, sed per accidens) recipere communicantem ex sumptione plurium particularum, vel largiori haustu vini consecrati. 1. 282
Non licet, id ex industria quærere, etiam ex devotione. 3. ibid.
Secus, si esset ex necessitate consumendi particulas consecratas. 4. 283
Aut si parum excederentur termini in Ecclesia consueti. 5. ibid.
An communio utiliter applicetur sive pro vivis, sive pro defunctis? 18. 286
An sacra communio præservet à mortalibus, & quomodo? 29. 288
An etiam præservet à venialibus, & quomodo? 33. 289
Delet sacra communio suscepta in gratia peccata venialia ex opere operato. 35. ibid.
An etiam remittat pœnam temporalem, quam debemus pro venialibus? 40. 290
Communio tempore Jubilæi est omnibus necessaria; legitimè tamen impeditis commutetur. 2. 182
An satisfiat Jubilæo per communionem sacrilegam? 3. ibid.
Impediti etiam cum culpa à communicando tempore Jubilæi, possunt impetrare commutationem, vel melius dilationem. 4. ibid.

Confessarius.

Quo pacto se gerere debeat in exquirendis circumstantiis peccatorum turpium? 14. 127
Peccat mortaliter Confessarius, si confessiones suscipiat cum conscientia peccati mortalis. 1. 141
Sufficit tamen, quòd eliciat actum contritionis antequam absolvat. 2. ibid.
Licitè absolvet proximè moriturum, quamvis peccati mortalis sibi conscius. 3. ibid.
Confessarius sit potius benignus pater, quàm severus Judex. 4. ibid.
Nullum det admirationis signum, dum audit gravia. 5. ibid.
Excusatur in universum Confessarius ab onere interrogandi de circumstantiis etiam mutantibus speciem. 9. 142
Quot munera exerceat respectu pœnitentis? 1. 143
Quænam sint, quæ aliquo saltem modo scire debeat Confessarius. ibid. 144
Peccat mortaliter, qui ex industria quærit indoctum Confessarium. ibid.
Peccat etiam mortaliter Sacerdos insufficiens, si extorqueat licentiam audiendi Confessiones. ibid.
Admonitio pro Sacerdotibus scrupulosis. ibid.
Quo pacto se gerere debeat Confessarius in ordine ad dignoscendam gravitatem, vel levitatem peccatorum? ibid.
Confessarius pro tempore Jubilæi debet eligi approbatus ab Ordinario loci. 1. 173
Potest tempore Jubilæi ab uno Confessario petere commutationem votorum, ab alio absolutionem casus reservati. 3. ibid.
Si à Confessario differatur tibi ex justa causa confessio, poteris etiam elapso Jubilæo, vel eundem, vel alium Con-

Confessarium ritè approbatum tibi eligere. 4. ibid.
Potest Confessarius omnia, & singula opera injuncta per Jubilæum commutare, vel, si adsit rationabilis causa, etiam differre. 18. 177
Potest Confessarius tempore Jubilæi absolvere pœnitentem à censuris, licet differat ablolutionem ad aliud tempus. 12. 198

Confessio.

Aliquorum sententia de confessione valida, sed informi. 39. 69
Confessio quoad substantiam est præceptum Divinum. 1. 70
Quinam teneantur ad confessionem? 2. ibid.
Cur Apostoli non tenebantur ad confessionem? 3. 71
Beatissima Virgo nec unquam fecit, nec facere potuit confessionem. ibid.
Non statim ac quis peccat, tenetur ad confessionem. 4. ibid.
Præceptum confessionis quoad determinationem temporis longioris, vel brevioris, est Ecclesiasticum originem tamen habens à Divino. 5. ibid.
Si Ecclesia non determinasset hujusmodi tempus, tale præceptum non obligasset, nisi in articulo mortis. ibid.
Præscindendo ab Evchariſtia, in susceptione, vel administratione aliorum Sacramentorum non tenemur præmittere confessionem. 7. 72.
Canon præcipiens annuam confessionem. 1. ibid.
Si quis toto anno non gravatur nisi venialibus, non tenetur confiteri ex vi hujus præcepti. 6. 73
Tenetur tamen quandoque ex alio capite. ibid.
Obligantur fideles confiteri peccata mortalia etiam purè interna, 7. ibid.
Non satisfacit præcepto confessionis, si quis confitetur sine dolore, vel non integrè, vel non accepta absolutione. 8. ibid.
Non tenetur hoc præcepto, qui nonnisi per interpretem confiteri valeat. 9. 74
Excipe mortis periculum. ibid.
Improbatur sententia Delgadillo, qui negat, confessionem per interpretem esse validam. 12. ibid.
Semel in anno tenemur confiteri. 13. ibid.
Pascha non est tempus obligans ad confessionem. 17. 75
Qui in anno non confitetur, obligatúrne anno sequenti ad duas confessiones? 20. 76
Non tenetur quis prævenire confessionem, quamvis prudenter timeat suorum peccatorum oblivionem. 22. ibid.
Secus verò, si differendo confessionem usque ad finem anni, timet rationabiliter carentiam Confessarij. ibid.
Prævidens anno sequenti non habiturum copiam Confessarij, non ideò prævenire tenetur anno antecedenti. 24. 77
Tenetur verò prævenire, si quis prudenter timeat, non habiturum confessarium in fine vitæ. ibid.
Pœnæ contra omittentes confessionem annuam. 25. ibid.
Quid sit, confessionem debere esse simplicem. 1. 78

Æqui-

Æquivocare in confessione quid ? 2. ibid.
Quo situ debeat fieri confessio ? 1. 78
Jactantia peccatorum in confessione. 4. ibid.
An possit complex complici confiteri ? 6. 79
Item latè per totum parergon secundum, in fine hujus tractatus à pag. 158
An repetenda sit confessio bona fide facta complici ? 7. 79
An per hoc, quòd quis confiteatur Sacerdoti sollicitanti, evadat onus denunciandi ? 8. ibid.
Peccat mortaliter, qui confitetur propter finem mortaliter peccaminosum. 2. 80
Venialiter verò, si finis secundarius sit peccatum veniale. 3. ibid.
Si tamen finis confitendi sit unicus, & venialiter peccaminosus, mortaliter peccabit confitens cum tali unico fine. ibid.
Nullo modo peccat, qui ad tuendam bonam opinionem confitetur uni Confessario peccata gravia, alteri verò venialia, dummodo gravium confessio præcedat. 4. 80
Quibus modis peccatur contra fidelitatem Confessioni requisitam ? 1. 81
Vide V. mentiri.

Confessio dimidiata.

In quibus casibus liceat dimidiare confessionem, ex capite impotentiæ physicæ ? 30. 87
Ex impotentia morali. 32. 88
Caput inculpatæ oblivionis, vel inculpati erroris sufficiens est ad Confessionem dimidiatam. 34. 89
Quinque diligenter notanda pro modo dictis. 33. 88
Septem modi confitendi peccata in genere. 2. 90
Qui recentibus mortalibus caret, validè utitur quolibet ex his septem modis, etiam extra necessitatem. 3. ibid.
Immò etiam licitè uti valde est probabile. 4. ibid.
Examinantur duo alij modi confitendi peccata in genere. 10. 92
An aliquando debeat, vel saltem licitè possit pœnitens aperire in Confessione sui socij peccatum, & sui peccati objectum ? cap. 12. per totum. 93
Confessionis integritas alia materialis, alia formalis. 1. 96
Prima non est necessaria ad validitatem Sacramenti : secus verò secunda. 2. ibid.

Conjugium.

An, & quando ratio conjugij excuset à jejunando ? 68. 365
Excusatur uxor Catholica, si à viro hæretico prohibeatur jejunare. 70. ibid.
Quid, si uxor Latina prohibeatur jejunare à viro Græco ? 71. ibid.

Consuetudo.

Consuetudo peccandi non distrahit peccatum à propria specie. 12. 108

Copula.

Copula licita inter uxoratos regulariter non impedit Communionem. 10. 241

D.

Damnatus ad mortem.

Damnatus ad mortem potest non jejunus communicare : immò tenetur, si

si tempus jejunè communicandi non supperat. 18. 259
Vide V. Viaticum.
Potest item communicare eadem hora mortis. 24. 260

Damnum.

Damnum notabile excusat famulum à deserendo Domino, qui non permittit ejusmodi famulum ritè festivos dies servare, dummodo absit contemptus præceptorum. 29. 6
Quodnam in tali casu reputandum sit damnum notabile? 31. 7
Leve damnum sæpiùs repetitum, pro gravi est habendum, ibid.
Grave damnum erit famulo amissio dimidij, vel etiam tertiæ partis salarij. 32. 7

Decima.

Quid sit decima, & an sit de jure divino? 1. 410
Quoruplex sit decima, & ex quibus solvenda. 3. Ibid.
Per se loquendo, ab omibus baptizatis solvendæ sunt decimæ. 1. 412
Excipiuntur pauperes, qui sunt in gravi necessitate. 2. ibid.
Omnes etiam Clerici tenentur, præter Parochos. 3. & 6. ibid.
Eximuntur omnes ferè Religiosi Ordines ex varijs privilegijs, quæ obtinuerunt. 4. ibid.
Tenentur tamen ad decimas prædiorum, quæ à Sæcularibus conducunt ad tempus. ibid.
Probabile est, non teneri ad decimas prædiorum Sæcularium, quæ habent in emphyteusim. ibid.
Eximuntur à decimis Coloni, qui prædia Religiosorum conducunt. ibid.
Non tenentur Clerici ad Decimas ex bonis acquisitis titulo spirituali. 5. 413
Secus, ex titulo temporali. 6. 414
Quibusnam personis debentur decimæ 7. ibid.
Decimæ, quæ sunt propriè prædiales, solvendæ sunt in Ecclesia Parochiali, in cujus jurisdictione situm est prædium, quamvis Dominus prædij alibi commoretur. 1. 415
Quid de decima, quæ ex animalibus debetur? 2. ibid.
An teneamur decimam deferre ad Ecclesiam, seu horreum Clerici, cui debetur? 5. 416
Quonam tempore solvendæ sunt decimæ? 8. ibid.
In solvendis decimis non sunt expensæ detrahendæ. 12. 417
Graviter peccas, si ex fructibus eligas deteriores, & illos des pro decima. 17. ibid.
Quas pœnas incurrant, qui non solvunt decimas. 1. 418
An incurrant excommunicationem Magistratus, qui obligant Clericos tempore necessitatis ad vendendum frumentum, quod ex decimis collegerunt? 9. 419

Dedecus.

Ubi dedecus existimatur, quòd aliquæ mulieres templum adeant, tale dedecus excusat ab auditione sacri. 74. 14
Inopia vestium, vel comitatus necessarij juxta decentiam proprij status excusat ab audiendo sacro. 73. 15

Delectatio.

Delectatio morosa quænam sit, & quomodo differat à desiderio? 5. 124
An sit explicanda qualitas personæ, circa quam versatur delectatio morosa? 5. ibid.
Quod dicitur de morosa delectatione, dic de eo, qui aspicit affectu venereo. 8. ibid.
Explicari debet votum castitatis, non autem status conjugalis. 9. ibid.

Denunciatio.

An sit denunciandus Confessarius, qui in Confessione dicat pœnitenti; hodie domi tuæ me expectes? 46. 291
Quid, si det pœnitenti litteras amatorias, sigillo munitas, ut domi legat? 47. 292
An Sacerdos dicens mulieri, dum ei porrigit Eucharistiam, ut ipsum expectet domi sub vesperas, sit denunciandus? 45. 291
Statuitur, non esse necessariò denunciandum. 55. 293
Conveniens tamen est bono communi, ut talis Sacerdos denuncietur. ibid.

Detractio.

Quænam sit, & quo pacto in confessione explicanda? 59. 121
Si ex detractione præter damnum famæ, aliud damnum proximi prævidisti, utrumque est explicandum, & restarciendum. 61. ibid.
Non est necessario explicandum, an coram paucis, an verò coram multis proximo detraxeris. 62. 122
Neque (per se) est explicanda qualitas personæ, cui detraxeris. ibid.
Aliquod advertendum quo ad hoc punctum. 63. ibid.

Dispensatio.

Dispensatio communicandi non jejunè à solo Summo Pontifice concedi potest. 61. 251
Dispensatio quandoque valida, sed illicita. 1. 370
Aliquando nec valida, nec licita. 2. ibid.
Quænam sit justa causa dispensandi? 3. 371

Vide V. Jejunium.

Diaconus.

An Diaconus, abiente Sacerdote, possit se ipsum communicare ex mera devotione? 12. 265

Dæmon.

Congressus cum Dæmone est bestialitas, & contra religionem. 51. 120
Debet in confessione explicari, quam formam assumpserit. 52. ibid.

Dolor de peccatis.

Vide V. Peccatum.

Dormiens.

Non est ligitimè præstens Missæ. 9. 19

Dubium.

An, & quando tenetur quis confiteri peccatum, de quo sit negativè dubius. 11. 83
Quid de peccato probabiliter non commisso, vel probabiliter confesso? 17. 85
Quid de peccato certo, confesso ut dubio? 22. 86
Quid de dubio, confesso ut certo? 27. 87

E.

Ebrius. Ebrietas.

Durans in ebrietate non satisfacit sacro, licèt illi præsens sit corporaliter. 9. 19

Inebriare se voluntariè, est peccatum mortale. 2. 397

Quinque rationes ad id probandum. 4. ibid.

Ebrietas semper est peccaminosa, etiam si non procedat à potatione vini, sed ab alia causa. 10. 398

Improbabilis hodie est antiquorum opinio, quòd nimirum semel se inebriare, non sit mortale. 15. 399

Quid de ebrietate imperfecta? 25. 401

Quid, si quis fiat ex liberali potatione vini paulò hilarior? 27. ibid.

An licitum sit, se inebriare ad sanitatem recuperandam. 29. ibid.

An ad evitandum morbum impendentem. 34. 402

An ob metum mortis ab extrinseco allatum? 36. ibid.

Illicitum est, se inebriare, ad suum honorem servandum. 43. ibid.

An ad vitandum grande aliquod malum, liceat aliquem inebriare? 45. 404

An sit mortale, se inebriare modico vino? 48. 405

Quandonam imputantur peccata commissa in ebrietate? 51. ibid.

An debeat quis in confessione explicare tum ebrietatem, tum actum malum ex ea sequutum? 57. 406

An peccet mortaliter, qui vendit vinum volenti se inebriare? 63. 407

An sit gravius peccatum se inebriare in Ecclesia? 70. 409

Eleemosyna.

Ad lucrandum Jubilæum sufficit eleemosyna etiam modica. 1. 187

Sufficit eleemosyna facta consanguineo pauperi. 3. ibid.

Sufficit etiam, si des mutuum, vel commodes aliquod temporale. ibid.

Satis etiam est, si eleemosyna fiat per alium, sed de bonis proprijs. 4. 188

Immò etiam si amicus det pauperi meo nomine. ibid.

Sufficit, ut illi des eleemosynam, quam bona fide putes pauperem. ibid.

Quid, si eleemosynam do meo famulo, ut distribuat, ille verò sibi retineat? 5. ibid.

Si mittatur pauperi absenti, sufficit, quòd tandem illi tradatur, licèt in eadem hebdomada Jubilæi non fuerit tradita. ibid.

Religiosi lucrantur Jubilæum per eleemosynam, quam pro illis dat eorum superior. 6. 188

Si superior nolit dare, licitè subditi aliquod moderatum subripient ex bonis Monasterii, ut dent pauperibus. 7. ibid.

An sufficiat pro Jubilæo eleemosyna, quam superior facit nomine subditorum, ipsis tamen inscijs? 8. ibid.

An etiam sufficiat eleemosyna spiritualis? 9. 189

Satisfacit Jubilæo, si detur Sacerdoti pauperi eleemosyna, ut celebret pro anima alicujus defuncti. 10. ibid.

An satisfacias Jubilæo, si præstes pauperi aliquod ex septem operibus misericordiæ corporalibus? 11. ibid.

Epileptici.

Epileptici quando, non infestantur paroxismo, sunt communicandi, secus verò, quando infestantur. 226

Eucharistia.

Quid juris de continuò ardente lumine coram venerabili Eucharistiæ Sacramento? 18. 267

An peste infectis ministrare liceat Eucharistiam medio aliquo instrumento? 9. 269

An indigno ministranda sit aliquando Eucharistia? 1. 271

Num, & quando sit communicandus publicus peccator infirmus? 8. 272

An communicandus publicus peccator moribundus sensibus destitutus? 12. 273

Peccatori occulto non licèt porrigere particulam non consecratam. 15. Ibid.

Evnuchus.

Evnuchus, vel frigidus cum aliqua peccans debet in Confessione explicare, se esse talem. 13. 112

Examen Conscientiæ.

Quale examen debeat præcedere Confessionem. 1. 59

Quo pacto Confessarius debeat pœnitentem examinare. 2. ibid.

Illud examen est necessarium, & sufficiens, quod faceret quis in aliquo suo negotio gravi 5. 60

Nemo obligatur, peccata scribere, ut illorum memoriam retineat. 4. 59

Excommunicatus.

Peccat mortaliter, si interfit Missæ, vel notabili ejus parti, nisi excuset ignorantia, vel gravis necessitas. 36. 8

Si autem appellet ad tribunal superius, potest durante lite, & publicata appellatione, licitè interesse Sacro. 37. ibid.

Ad quid obligetur celebrans, quando aliquis excommunicatus (sanè cum peccato) velit interesse Sacro. 40. 9

Ad quid item auditores prædicti Sacri. 42. ibid.

An excommunicatus obligetur, petere absolutionem, ut possit licitè adesse Sacro. 43. 9

An excommunicatus vitandus peccet mortaliter ministrando Eucharistiam. 35. 277

Quid, si ministret infirmo morti proximo. 37. ibid.

Valida sunt Sacramenta, quæ ab excommunicato vitando ministrantur. 40. 270

Excipe tamen (regulariter) Sacramentum pœnitentiæ. 42. 278

Probabile est, Parochum vitandum venialiter tantùm peccare, si assistat matrimonio. 43. 279

An peccet mortaliter excommunicatus non vitandus Sacramenta ministrans. 45. ibid.

Excommunicatus contrahens matrimonium non peccat, quatenus minister est matrimonij. 59. 281

Licitè audies Sacrum à Sacerdote excommunicato non vitando, immò teneberis, si alio Sacro careas die festivo. 4. 29

Peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem minorem, qui audit Missam à Sacerdote excommunicato vitando. 5. ibid.

Non potes tamen ab illo petere, ut sacrum faciat. ibid.
Quid, si Sacerdos sit suspensus, vel interdictus. 7. 30
Quid, si sit concubinarius? 11. 31

F.

Fama.

Virgo, vel quævis alia mulier honesta, quæ peccando infert damnum suorum famæ, addit novam speciem peccati. 12. 112

Famuli.

Hæreticorum famuli, & infidelium debent discedere à famulatu prædictorum, si sæpe impediantur ab audiendo Sacro, aliisve Ecclesiæ præceptis servandis. 23. 5
Secus verò, si id rarò accidat. ibid.
Aut si absque magno incommodo discedere nequeant. 24. ibid.
Excipe, si adsit periculum negandi fidem, aut contemptus Religionis. ibid.
Licitè obediunt dominis Catholicis in servitiis necessariis, quæ Sacrum impediunt. 29. 6
Quid, si servitia non sint necessaria? ibid.

Fatui, & Semifatui.

An semifatuis, seu stultis concedi possit Communio. 9. 224
Potest iis, qui evaserunt fatui post adeptam rationem, si absit periculum irreverentiæ, concedi communio. 12. ibid.
Modò in amentiam non inciderint, dum in peccato essent mortali. 13. ibid.
Non sunt tamen obligandi. 17. 225
An tales fatui sint per Sacramentum pœnitentiæ præparandi ad Communionem. 23. 226

Festum.

Quando Antecessores Civitatis voverunt festum, tenentúrne successores illo die ad Missam? 23. 48
Quisnam legitimè dies festos instituit. 25. 49
Monitio Urbani VIII. de festis parcè instituendis. 30. ibid.

Fides.

Peccata nonnulla circa fidem. 2. 106

Fornicatio.

Quænam sit simpliciter fornicatio. 11. 112
Idem peccatum est fornicari ter cum eadem soluta, ac semel cum tribus. ibid.
Fornicari cum filia Confessionis nil addit supra ipsam fornicationem. 12. ibid.

Furtum.

Major, vel minor quantitas in furto non mutat speciem. 53. 120
In furto contra plures non est attendendus numerus damnificatorum. 54. ibid.
Quodnam sit furtum sacrilegum, & cur specialiter explicandum. 56 120
Quot modis committitur. ibid.
Quandonam furtum non sit sacrilegum, licet in Ecclesia. 57. 121
Quandonam incurratur excommunicatio ex furto sacrilego. 58. ibid.

G.

Gabella.

Probatur immunitas cujusdam Monasterij à quadam gabella. 422.

Græci.

Excusatur uxor latina, si à viro Græco prohibeatur jejunare. 72. 365

An Græcus græco ritu vivens possit licitè servare jejunia Latinorum, & negligere sua. 74. 366

Græci satisfaciunt Jubilæo, si jejunent cum lacticiniis, 7. 186

H.

Hæreticus.

An pœnitenti hæretico relapso ad mortem damnato concedenda sit communio. 30. 261

Homicidium.

Quænam circumstantiæ addant homicidio novam peccati speciem. 5. 111

Horæ Canonicæ.

An liceat in Quadragesima comedere ante recitationem Horarum vespertinarum. 9. 341

Hospitium.

Sola ratio hospitij non excusat à jejunio. 77. 368

Transiens per loca infidelium, si ibi timeat grave aliquod incommodum, potest jejunium negligere, secluso Religionis contemptu. 80. ibid.

I.

Jactantia.

Si sit de peccato mortali, mortale erit peccatum. 1. 124

Si sit pura jactantia, nec aliud addatur, sufficit dicere in Confessione: toties me jactavi de mortali. ibid.

Debes verò explicare peccati speciem, si, dum te jactasti, illud desiderasti, vel de illo gavisus es. 2. ibid.

Jejunium.

Non jejunus licitè assistit Sacro. 15. 31

Quid sit jejunium Ecclesiasticum. 1. 301

Est præceptum Ecclesiasticum. 2. ibid.

Per se obligat sub mortali. 3. 302

Aliud est excusari à jejunio, aliud non obligari. 1. ibid.

Hæretici tenentur jejunare, non verò infideles, neque Cathecumeni. 2. ibid.

Infidelibus, & Cathecumenis potes licitè ministrare carnes diebus prohibitis. 3. 303

Qua hora incipit, desinítque in die jejunii obligatio jejunandi. 1. 342

An dubius de media nocte possit licitè comedere carnes. 5. 343

Quando jejunandum. 1. & seq. 344

Cur die Sabbati sancti, non obstante summa illius lætitia, debeat strictè jejunari. 3. ibid.

Quot numero peccata committit, qui unico voluntatis actu proponit, nunquam in quadragesima jejunaturum, & de facto nunquam jejunat. 5. 345

Quid faciendum, quando jejunium ex voto incidit in Dominicam? 11. 346

An peccet, qui expresè voveat jejunare die Dominico? 14. ibid.

Si vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in diem Corporis Christi, jejunandum die Mercurii præcedente; nec satisfa-

faceret præcepto jejunans die jovis. 15. 347
Quot peccata committit, qui violat jejunium, quod præcipitur duplici præcepto? 16. ibid.
Quid, si violet jejunium, ad quod fortè teneatur ex præcepto simul, & ex voto? 17. ibid.
Quid, si teneatur ex regula, & præcepto? ibid.
Quid, si teneatur ex præcepto Ecclesiæ, simul & Confessarii? 18. 348
Feria sexta, & sabbato non est obligatio jejunandi. 20. ibid.
Potest quis voluntariè laborare, & non jejunare 65. 364
Potest etiam de victu ad jejunandum necessario detrahere, & non jejunare, ut sic restituat. 60. ibid.
Quoties damnum aliquod extrinsecum notabile rationabiliter times ex jejunio, potes non jejunare. 76. 367
An præscindendo à periculo gravis damni teneantur Catholici servare jejunium in locis infidelium, & hæreticorum? 81. 368
Quis dispensare potest in lege jejunij Ecclesiastici? 4. 371
Quænam causa sit sufficiens ad dispensandum jejunium? 11. 373
Potest Episcopus dispensare ex justa causa, ne totus populus jejunet in Quadragesima. 14. ibid.
Potest etiam ex rationabili causa transferre jejunium de uno in alium diem. 16. 374
An, quando vigilia Sancti Matthiæ Apostoli occurrit ipso die Cinerum, possit vigilia jejuniumque antecedens transferri in alium diem? 19. 375
Quid, si talis vigilia incidat in diem Lunæ in triduo bacchanalium? 23. ibid.
Filij, ac Servi possunt patribus ac dominis cibos parare, licèt sciant, eos fracturos jejunium. 8. 377
Nequeunt tamen carnes ministrare, nisi, urgente periculo gravis damni, ibid.
An amicus possit coamicis lautam cœnam parare, ac offerre, si timeat, eos jejunium fracturos? 9. ibid.
Quocunque die præcepti frangis jejunium, eandem speciem malitiam semper contrahis. 5. 109
Nisi jejunium aliàs præceptum, voveris, vel à Confessario tibi sit injunctum. ibid.
Si quis in prima hebdomada Jubilæi sit legitimè impeditus ad jejunandum, non tenetur expectare secundam hebdomadam, sed uti potest commutatione. 2. 184
In Jubilæo jejunandum more Ecclesiastico. 4. 185
Lædens venialiter jejunium satisfacit Jubilæo. 5. ibid.
Admittuntur tamen lacticinia extra Quadragesimam. 6. 186

Jejunium in Pane, & Aqua.

Quænam vini quantitas frangat Jejunium in pane, & aqua? 1. 380
Non potens jejunare in pane, & aqua, ad quid tenetur? 3. 381
An obligatus jejunare in pane, & aqua, toties peccet, quoties in illo die vinum bibit? 8. 382
Non frangit votum jejunandi Sacerdos, qui eo die celebrans, vinum sumit in utraque ablutione. 11. ibid.

Jejunium in pane, & aqua non admittit pastillos, & similia, ex sola farina compacta. 19. 384
Admittit tamen panem communem, aqua elixatum. 21. ibid.

Jejunium Naturale.

Per quid differat jejunium naturale ab Ecclesiastico? 15. 243
Jejunè naturaliter communicandum. ibid.
Frangitur tale jejunium per qualemcunque minimam quantitatem cibi vel potûs. 16. 244
Quinam cibus, vel potus violet, aut non violet jeiunium naturale ad Communionem requisitum? 17. ibid.
Cibus indigestus, vel evomuisse, vel dormivisse, non repellit à communione. 35. 247
Repellit tamen cibus sumptus post mediam noctem, licet totus omnino evomatur. 36. ibid.
Frangit quoque naturale jejunium aqua absorbta ab eo, qui decidit in flumen, quamvis nolens hauserit. ibid. 37.
Negativè dubius, an sit naturaliter jejunus, potest tutò, & sine scrupulo ad Evchariſtiam accedere. 38. ibid.
Idem dic, si ex utraque parte probabiles rationes occurant. 41. 248
Quodnam sit fortius præceptum, communicandi jejunè an communicandi in Paschate? 55. 250
Licitum est non jejunè communicare, ad dandum Viaticum graviter ægrotanti 2. 252
Item ad evitandum scandalum & infamiæ notam. 3. ibid.
Item ad servandam Christo Domino reverentiam. 8. 253
Item ad servandam rationem, & ordinem sacrificij. 9. ibid.
Deciduntur duo casus valde notabiles de duobus celebrantibus non jejunè. 294. usque ad 300.
An per assumptionem panis, & vini consecrati frangatur jejunium naturale. 14. 383

Jentaculum.

Variæ sententiæ de quantitate jentaculi serotini die jejunii. 1. 334
Ex his sententiis sexta, & septima sunt cæteris præferendæ. 9. 335
Si cui sufficerent duæ, vel tres cibi unciæ ad sustentationem naturæ, aut ad somnum conciliandum, adhuc potest sumere septem, vel octo uncias cibi. 10. ibid.
An excusaretur à mortali, qui ad octo uncias adderet nonam. 12. 336
Non potes licitè panem octo unciarum coquere in aqua, & totum sumere pro jentaculo. 15. ibid.
Potes tamen prædictum panem, vel biscoctum in vinum, vel aquam infundere. ibid.
In sumendo jentaculo non est licita major quantitas de fructibus recentibus, ac de siccis. 16. ibid.
Purum caput nobilitatis, aut applicationis ad studia, sicuti sola difficultas capiendi somnum, non dant licentiam largioris jentaculi. 17. ibid.
Omnes ferè cibi quadragesimales adhiberi licitè possunt pro serotino jentaculo. 21. 337
Includuntur etiam lacticinia, (quando

do hæc licitè conceduntur) præter ova. 22. 338
Admitti etiam possunt biscocti, ac placentulæ ex immixtis ovis confectæ. 25. ibid.
Quanam hora sumi possit prædictum jentaculum. 26. 339
An, qui ex justa causa nequit jejunare, nisi jentando manè, sed prandendo vespere, teneatur sic jejunare. 33. 340

Ignorantia.

Si sit vincibilis, seu culpabilis, est peccatum mortale, quando materia præcepta est gravis. 1. 129
Si peccasti ex ignorantia vincibili, non est necesse regulariter id aperire. 2. ibid.

Impedimentum, Impeditus.

An peccet mortaliter, qui ponit impedimentum, ex quo nequeat sacro interesse. 79. 16
Impedita ex fide promissa, vel obedientia Superiori debita, legitimè excusatur ab audiendo sacro. 55. 11
Quid de addicto ad custodiam ægroti. 56. 60. ibid.
Quid de eo, cui necesse sit ire ad audiendam confessionem graviter ægrotantis. 57. ibid.
Quid de uxore, timente rixam alicujus momenti cum marito, si exeat. 58. ibid.
An excusetur omittens sacrum ob quodcunque etiam majus bonum spirituale, non necessarium. 59. 12
An excusetur quis à sacro, si illius accessus ad templum sit alicui efficax peccati mortalis occasio. 61. ibid.
Excusaris ab auditione sacri, si probabiliter timeas tibi notabile damnum. 62. ibid.

Incestus.

Quidnam sit, & quotuplex. 30. 116
An incestus differant inter se specie morali. 32. 117
Quod dicitur de conjunctis per consanguinitatem, dicitur de conjunctis per adoptionem. 33. ibid.
Incestus inter conjunctos conjunctione spirituali differt à carnali, vel legali, estque specialiter explicandus. 24. ibid.
Quot modis nunc oriatur cognatio spiritualis. 35. ibid.
Quinam actus turpes sint incestuosi. 36 ibid.

Indulgentiæ.

Si Pontifex diem non determinet, lucratur quis indulgentiam, si communionem requisitam fecerit, quatuor ante diebus. 6. 283
Etiam si quando communicavit, nullam habuerit mentem de indulgentia acquirenda. 8. ibid.
Immò una communio potest inservire pro lucrandis pluribus indulgentijs. ibid.
Non requiritur communio ad acquirendam indulgentiam Portiunculæ. 9. 284
Neque ad eam lucrandam semel in vita, & semel in morte, & stationum indulgentias per Bullam Cruciatæ. 11. ibid.
Decretum Alexandri VII. de indulgentijs, in alium non transferendis. 20. 200

Præ

Praxis pro prædicto decreto. 21. ibid.
Cathalogus indulgentiarum, quas apocryphas declaravit Sacra Congregatio. 26. 201

Infans.

Infantes nullo præcepto jejunij ligantur. 6. 303
Idque etiamsi usu rationis polleant ante septennium. 8. 304

Infirmus.

Negativè dubitans reincidendi in morbum, excusatúrne ab auditione Missæ? 64. & 67. 12
Notabiliter infirmi, excusantur à jejunio. 10. 351
Huc reducuntur prægnantes, & nutrientes. 17. 352
Quid de fœmina, antequam concipiat. ibid.
Quid de sentientibus maximam difficultatem in jejunando. 18. ibid.
An die Jejunii licitè quis sumat electuarium, vel simile quid, ut sanitatem, vel recuperet, vel conservet. 20. ibid.
Quænam infirmitas concedat usum carnium in diebus prohibitis. 21. 353
De infirmis quò ad lacticinia. 27. 354
An, & quo pacto, quis peccet, si noxios cibos comedat, unde sequatur infirmitas prohibens Jeiunium. 43. 357
An peccet infirmus cibum obstinatè respuens cum gravi periculo vitæ. 2. 387
An validum, & licitum sit votum de non comedendis carnibus etiam in extremo vitæ periculo. 6. 388
An, qui febri laborat, teneatur sub mortali abstinere ab aqua. 10. 389
Quænam infirmitas concedit Viaticum non ieiuno. 2. 256
An, si possit, teneatur infirmus, in articulo mortis communicare ieiunus. 5. ibid.
Quid, si non sit in articulo, sed in periculo mortis. 8. 257
Quid, si infirmitas non sit periculosa. 10. ibid.
Quoties in eadem infirmitate liceat. 11. ibid.
Infirmo impotenti communicare, non est deferenda sacra hostia, ut adoretur. 13. 258
Numquam est infirmo concedendus Sanctissimus Christi sanguis. 15. ibid.

Ingratitudo.

Si ingratitudo erga DEUM, ac inobedientia expressè intendatur, novam addit specie malitiam. 16. 109

Injuria.

Iniuria contra coniunctos specie differt ab ea, quæ fit contra proximum. 1. 110

Intentio.

De intentione audiendi missam. 3. 32
Intentio non est necesse, quòd sit explicita. 10. 34
Qui immemor diei festi audit missam, si postea advertat, non tenetur alteri sacro interesse. 14. 35
Neque tenetur, si dicat: nolo satisfacere per hanc, sed per aliam. 11. ibid.
Neque si dicat: nolo satisfacere, neque per hoc, neque per aliud sacrum, licèt peccet mortaliter. 16. ibid.

Satisfacit præcepto, qui ritè audit missam, quamvis addat aliam pravam intentionem. 20. 36

Interdictus.

An excusetur ab audiendo sacro. 47. 10

Itinerantes.

An, & quando excusantur itinerantes, & navigantes ab audiendo sacro. 78. 16

Quid importet pro itinerantibus illud (quàm primùm) in Bulla Jubilæi. 11. 197

Jubilæum.

Quonam die communicandum tempore Jubilæi. 13. 284

An sit necessaria præcedens confessio. 15. 285

Non lucratur ex vi publicationis factæ Romæ. 5. 170

Quid agendum, ubi nulla fit publicatio Jubilæi. 6. 171

Quid de itinerantibus. 7. 10. ibid.

Non potes exequi opera Jubilæi antè publicationem. 14. 172

Probabile est, te bis lucrari Jubilæum, si in duplici loco opera requisita ponas. 15. ibid.

Immò & in eodem loco. 16. ibid.

Quænam peccata, & censuræ absolvi possunt per Bullam Jubilæi? 14. 176

An absolutio excommunicationis dari possit extra forum Sacramentale? 17 ibid.

Per confessionem sacrilegam non acquiritur. 9. 179

Immò neque per confessionem validam, sed informem. 10. ibid.

Non peccat mortaliter, qui post absolutionem obtentam spe acquirendi Jubilæum, illud posteà nolit consequi. 11. 180

An nulliter absolutus, sed bona fide ex parte pœnitentis, lucretur Jubilæum? 12. ibid.

Qui post acquisitum Jubilæum recordatur alicuius mortalis inculpabiliter omissi, non tenetur illud fateri, antequam spiret tempus Jubilæi. 16. ibid.

Quin, si sit ex reservatis, poterit deinde absolvi à quolibet Confessario. ibid.

quænam Ecclesia sit visitanda? 1. ibid.

quænam requiratur oratio, & quanto tempore sit orandum? 7. 183

Oratio vocalis potest alternatim recitari cum socio. 10. ibid.

Oratio infecta peccato mortali non est sufficiens ad Jubilæum. 12. 184

quid, si peccato veniali? ibid.

Non est applicabile animabus Purgatorii, nisi exprimatur in ipso diplomate. 2. 194

An spiret per mortem Pontificis. 3. ibid.

An lucretur, qui in operibus iniunctis utitur opinione probabili? 4. 195

An possit commutari privatio petendi debitum, orta ex voto castitatis? 5. ibid.

Commutatio Jeiunii quando? 6. 196

An ex operibus iniunctis possint poni aliqua in prima hebdomada, reliqua verò in secunda. 13. 187, 188 & 189

Nemo indiget Bulla Cruciatæ ad lucrandum Jubilæum. 9. 197

Publicatio Jubilæi debet incipere ex die Dominico. 10. ibid.
An possit transferri publicatio Jubilæi. 13. 198
Ad Jubilæum sufficit intentio interpretativa. ibid.
Sufficit commutatio operum bona fide facta. 15. ibid.

Judex.

Non tenetur dare tempus damnato ad mortem, ieiunè communicandi. 19. 256
Tenetur tamen sub mortali tempus communicandi concedere. 20. ibid.
Excipe, nisi aliquod grave damnum timeatur. ibid.
Longius tempus est concedendum reo ad Sacramentum pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ. 21. ibid.

Jurisdictio.

Quid sit iurisdictio in genere: quid verò in Confessario. 1. 135
Actualis jurisdictio Confessarij dependet à facultate legitimi superioris. 2. 136
Quot modis acquiratur. 3. ibid.
Validè, sed illicitè exercet Confessarius jurisdictionem acquisitam per communem errorem, aut titulum coloratum. 4. ibid.
Per opinionem probabilem acquirit Sacerdos actualem jurisdictionem. 5. ibid.
Triplex modus concedendi jurisdictionem. 10. 137
Si concedatur absolutè, durabit, donec legitimè revocetur. ibid.
Quid, si concedatur ad tempus incertum? 12. ibid.

L.

Laborantes.

Quænam artes laboriosæ excusent à jejunio. 30. 355
Quænam verò minimè. 33. ibid.
Potéstne quis laboriosum opus ex sua voluntate assumere, ne jeiunet? 38. 356.
Possunt Domini præcipere servis consueta opera laboriosa, licèt prævideant inde sequi, ut illi nequeant jeiunare. 4. 376

Lacticinia.

Quid veniat nomine lacticiniorum. 1. 316
Licitum est fidelibus, in feriis sextis, & sabbato lacticiniis vesci. 3. ibid.
Servetur tamen contraria consuetudo, ubi sit introducta. ibid.
Quid de vigiliis, & quatuor temporibus extra quadragesimam? 4. ibid.
Quid tempore quadragesimæ? 10. 318
Quid de eo, qui non haberet, nisi panem, & lacticinia? 58. 363
Quid de pauperibus quoad hoc punctum. 63. 364
Quænam quantitas lacticiniorum admitti possit in vespertino ientaculo. 22. 384

Laicus.

An aliquando liceat laico Eucharistiam aliis distribuere? 7. 264

Leprosi.

Leprosis concedenda est communio. 35. 228
Quid de laborantibus vomitu? 36. ibid.
Quid de laborantibus tussi? 40. ibid.

Lucrum.

Lucrum cessans, si sit notabile, satis excusat ab audiendo sacro. 77. 15

Luxuria.

Quotnam sint species morales luxuriæ 10. 112

M.

Malum.

In quibus casibus debeat pœnitens explicare speciem mali, quod voluit proximo. 7. 111

Mater.

Excusatur ab audiendo sacro, si necessario infantem ducere debeat ad templum cum notabili perturbatione, & incommodo. 15. 3

Mahometanus.

Non licet propinare vinum Mahometano, nisi is primùm conscientiam erroneam ponat. 4. 303

Media.

Si mala sint, sed diversæ speciei à malo finaliter intento, debent speciatim explicari in Confessione. 8. 111

Media Nox.

Communicaturus sequi potest quodcunque urbis horologium, de quo non certò constat, minus rectè currere. 44. 248

Quinam horologii ictus designet mediam noctem in puncto, primus, an ultimus? 47. 249

Menstrua.

Non impediunt Communionem. 1.

Mentiri.

Qui mentitur Confessario in re ad Confessionem non pertinente, venialiter tantùm peccat. 3. 81

Non mentitur, qui in Confessione generali nova aliqua peccata antiquis immiscet. ibid.

An peccet mortaliter, qui legitimè interrogatus à Confessario, mentitur quoad individuationem peccati? 9. 82.

Metus, aut Vis.

Qui ex metu Missæ intereſt ut sacræ, satisfacit præcepto. 21. 36

Quid, si faciat vi compulsus. 22. 37

Missa.

Quid sit? 1. 17

Quænam sit Missa, quæ dicitur sicca, & an aliquando sit obligatio illam audiendi. ibid.

Quæ recitatur in Paraſceve, non est vera Missa, nec ad illam obligamur, etiam si occurrat festum de præcepto. 2. 18

Quid sit audire Missam. 3. ibid.

De corporali præsentia. 6. ibid.

Quænam sit moralis præsentia. 7. 19

Integra est audienda. 16. 21

Datur in ea parvitas materiæ. 17 ibid.

Quænam sit pars notabilis Missæ. 18. 22.

Qui non potest toti, obligabitur ad notabilem Missæ partem. 17. 23

Probabile est satisfacere præcepto, qui partem Missæ audit ab uno Sacerdote, partem verò ab alio successivè sacrificante. 28. ibid.

Non satisfacit tamen, qui duas vel plures partes Missæ simul audit à diversis Sacerdotibus. 31. 24

An audiens Missam extra januam Ecclesiæ, præcepto satisfaciat. 11. 19

Quid, si ex Choro ab Ecclesiæ solo sublevato. 20

quid

Quid, si ex dicto Choro audiat, sed non videat. ibid.
Quid, si ex loco extra januam ad latus altaris majoris. 12. 20
Quid, si ex fenestra habitationis tuæ. ibid.
Quid de audiente Missam ex janua magni templi. 13. 21
Quocunque situ audiatur, satisfit præcepto, remoto tamen scandalo. 1. 37.
Quibus diebus sit audiendum sacrum. 1. 44
An die Defunctorum, & Cinerum. 3. 44.
An die Jovis, & Sabbati Sancti, si occurrat festum de præcepto. 12. 45
Peccaret mortaliter Sacerdos, si celebraret in die Paraseeve. 5. 44
Cur hoc ab Ecclesia prohibeatur? 7. 45
An liceat in casu necessitatis, & quænam celebranda. 8. & seq. ibid.
Quando Sacerdoti non datur posse Missam audire, tenetúrne ipse celebrare? 13. 46
Quid dicendum de eo, qui secretas Missæ orationes elata voce profert. 21. 47
qua hora sit audiendum Sacrum. 31 50.
An aliquando ante mediam noctem. 34. ibid.
Omittere Missam quocunque die præcepto semper ejusdem speciei peccatum est. 13. 108

Mollities.

quænam sit? 11. 126
Debet in Confessione explicari objectum. ibid.
Si quis alium adjuvet ad se polluendum, vel contra, debet explicare statum adjuvantis, vel adjuti. 12. ibid.
quid de impuberibus, & evnuchis in hac materia. 13. ibid.

Mutus.

Mutus solum, obligatur ad Sacrum. 17. 4

N.

Numerus.

De pluralitate individualis malitiæ in actu. 11. 99
Duo documenta pro tradita doctrina. 15. 100

O.

Obedientia.

Ecclesia non exigit nisi obedientiam materialem. 16. 35

Oblationes.

quid sint, & cujus juris? 6. 420
An fideles teneantur in aliquo casu oblationes dare ministris Ecclesiæ? 8. ibid.
Et an hoc ex aliqua immemorabili consuetudine? 10. 421

Occasio.

quid sit occasio proxima, & quando quis excusatur ab ea vitanda. 11. 143.

Oratorium.

An audiens Missam in Oratoriis privatis Sæcularium satisfaciat præcepto. 7. 25
An familiares non necessarij domino satisfaciant in Oratoriis privatis. 8. 26.
An audiens Missam in Oratorio private in solemnioribus festis, vel aliam ab illa

illa una concessa, præcepto satisfaciat? 9. 27
Quidnam conceditur in hac materia habenti Bullam Cruciatæ ? 10. ibid.
Quid de Oratoriis privatis Religiosorum, 12. 28
Quid de Oratoriis Episcoporum, 14. ibid.

Ornatus Muliebris.

Qualis esse debeat in sumenda sacra Hostia, 14. 243

Ordinarius.

Tenetur sub mortali publicare Jubilæum. 1. 170
Potest ex justa causa differre. 2. ibid.
Quid veniat in Jubilæo nomine Ordinarii loci, 6. 171

P.

Parentes.

Si certum sit, puerum post septennium nondum esse rationis compotem, non tenentur parentes curare, ut sacro interfit. 12. 3
Tenentur verò, si id sit dubium, ibid.
Ante septennium tamen, neque si id sit certum, obligantur, 10. 2

Parochus.

Qua obligatione teneatur ad Eucharistiam porrigendam contagiosa peste infectis. 1. 267
An liceat porrigere aliquo instrumento. 9. 269

Peccator, Peccatum.

Peccator habitualis, quo pacto aperire debeat in confessione diversa numero, vel specie peccata. 34. 105
Quinam sit dolor de peccatis, qui dicitur contritio, 6. 60
Attritio quæ. 7. ibid.
An propositum de non peccando inposterum debeat esse explicitum. 8. 61
Non sufficit pro Confessione tale propositum, abstrahendo à dolore, 11. ibid.
Timor, immo & certitudo, quòd sis relapsurus, non officit proposito, 12. ibid.
Praxis actus contritionis. 13. 62
Ad contritionem non requiritur amor Dei actualis, sed sufficit virtualis. 14. ibid.
Signum probabile actus contritionis, ibid.
Praxis actus attritionis. 13. ibid.
An, qui dolet, se non dolere de peccatis, sit sufficienter dispositus ad confessionem? 15. 63
An solus actus amoris Dei sine dolore sit sufficiens dispositio pro confessione. 16. ibid.
Dolor de peccatis elicitus ante Confessionem, licet sine intentione confessionis, sufficiens est ad confessionem. 17. ibid.
Sufficit etiam dolor elicitus post Confessionem, dummodo præcedat absolutionem. 19. 64
Non requiritur novus dolor pro Confessione peccatorum aliàs absolutorum. 62. 65
Neque pro peccatis, quorum recordamur post acceptam absolutionem, dummodo præcedens dolor habuerit motivum universale. 27. ibid.
Ad Confessionem pro solis venialibus requiritur etiam dolor. 30. 66
Sufficit dolor de uno, vel altero veniali licet non de omnibus, 31. ibid.

Sufficit dolor de uno veniali, & non de alio. 34. 67
Peccat contra naturam, qui dispergit semen extra finem generationis. 42. 119.
Si peccatum duas continet malitias, utraque est explicanda. 9. 129

Peregrini, & Vagi.

Quo pacto obligantur ad servanda Jejunia, addicta loco alicui particulari. 27. 307

Periculum.

Qui se exponit peccandi periculo, debet explicare speciem peccati, ad quod fuit periculum. 14. 113

Phrænetici.

Æquiparantur fatuis, tum quoad communionem, tum quoad pœnitentiæ Sacramentum. 25. 226

Pœnitentia, seu Sacrificio.

Triplex genus pœnitentiæ à Confessario imponi solita. 1. 131
Acceptari semper, & adimpleri debet in praxi. 2. ibid.
Si sit medicinalis, quo pacto obliget. 3. ibid.
Potest adimpleri in statu peccati mortalis. 5. 132
Probabiliter non potest pœnitens sibi pœnitentiam commutare. 6. ibid.
Potest tamen illam commutare, vel diminuere Confessarius. 7. ibid.
Leviores potiùs, quam graviores imponendæ pœnitentiæ. 10. 133
Huic doctrinæ non opponitur Tridentinum. 11. ibid.
Aliqui casus, in quibus potest Confessarius pœnitentiam non injungere. 12. ibid.
Quatuor casus, in quibus pœnitens excusatur ab adimplenda pœnitentia. 14. 134
An indulgentia plenaria excuset ab implenda pœnitentia. 17. ibid.
Debent tempore Jubilæi imponi à Confessario pœnitentiæ salutares. 11. 175
Injungi etiam debet, si opus est, satisfactio partis. 12. ibid.
Quid, si omnibus pensatis pœnitens sit impotens ad satisfactionem. 13. 176
Mitiores sunt imponendæ pœnitentiæ tempore Jubilæi etiam pro peccatis gravioribus. 16. ibid.
Idem dic de Indulgentiis plenariis extra Jubilæum. ibid.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Materia remota, & circa quam hujus Sacramenti, sunt peccata. 2. 52
Non quidem originale, nec actuale ante baptismum commissum, sed actuale commissum post baptismum. Ibid.
Item & actuale commissum in ipso baptismo. 3. 53
Venialia sunt materia idonea, & sufficiens, non tamen necessaria. 5. ibid.
Materia proxima non est sola oris confessio. 7. ibid.
Sed sunt tres actus pœnitentis, doloris nimirum, confessionis, & satisfactionis. ibid.
Satisfactio autem est pars integralis, non essentialis. ibid.

Pollutio.

Epistola Auctoris ad Caramuelem de cooperante cum alterius turpitudine. 148

Caramuelis ad Auctoris Epistolam responsio. 151

Germana doctrina auctoris de polluente alium. 154

Potus.

Potes die Jejunii potum sumere, quoties tibi libuerit. 3. 326

Quænam habeant rationem potus. 6. 327

Quænam verò minimè. 7. ibid.

Quid dicendum de cocolata. 9. ibid.

Potest quis licitè, quoties die Jejunii bibit, aliquid cibi sumere, ne potus noceat. 13. 328

Cibus tamen sit ex quadragsimalibus. 15. 329

Sed quantanam erit cibi parvitas? 17. ibid.

Præceptum.

Ecclesiæ præcepta non obligant ad mutandum licitam conditionem, & proprium statum licitum. 29. 6

Præcepto Missæ non potest satisfieri per alium. 1. 29

Prælatus.

V. Bulla Cruciatæ.

Primitiæ.

Quid sint. 1. 419

Cuiusnam sint Juris. 3. ibid.

Ubi, quando, & in quanam quantitate solvendæ sunt, si alicubi earum lex vigeat. 4. 420

Propositum.

Quale debeat esse propositum vitandi venialia. 36. 68

Vide V. Peccatum.

Pueri, & Puellæ.

Alii citiùs, alii tardiùs obligantur ad Missam. 5. 2

Tardiùs rusticani, quàm civiles pueri. 6. ibid.

Priùs puellæ, quàm pueri, ibid.

Regulariter tenentur completo septennio. 8. ibid.

Pueri, & puellæ, si ratione utantur, tenentur ad annuam confessionem. 3. 72

Puer iam septennis, de quo dubitatur, an perfectum rationis usum acquisiverit, non tenetur ad annuam confessionem. 4. ibid.

Quid agere debeat Confessarius, quando talis puer afferat mortale dubium? quid, si veniale certum. 5. 73

Quandonam pueri admittendi sunt ad communionem? 1. 211

Quandonam obligandi ad Paschalem communionem? 3. 223

Instante morte sufficit septennium. 4. ibid.

Idque etiam, si sit dubium de usu rationis. 5. ibid.

Non incurrit pœnas, si in Paschate non communicat. 7. ibid.

R.

Recidivum.

quid sit, & quando debeat absolvi, quando non. 12. 143

Refectio.

Unica plena refectio conceditur die Jejunii. 1. 316

De continuatione refectionis. 18. 319

Quanto tempore interrumpi poteſt. 21. 330
Parvitas materiæ poteſt aſcendere ad duas uncias Romanas. 30. 331
A veniali tamen non excuſat. ibid.
Quid de ſucco duarum arundinum melitarum. 33. 332
Quoad carnes octava unciæ Romanæ pars poteſt dici parva materia. 34. ibid.
Tres doctiſſimorum hominum opiniones quoad hoc punctum infideliter ab aliquibus relatæ. 35. 333
Quænam ſit parva materia in ovis, quænam verò in aliis lacticiniis. 38. ibid.
Hora ſumendæ refectionis die jejunii hodie eſt meridies. 1. 340
Quænam ſit hora meridiei. 2. ibid.
Non prohibetur autem volenti tardiùs plenè comedere. ibid.
Qui horam prædictam anticipat, non frangit jejunium. 3. 341
An peccet mortaliter, qui prædictam horam notabiliter anticipat. 5. ibid.

Regulares.

Spectare debent publicationem Jubilæi factam ab Epiſcopo, non à proprio Superiore. 8. 171
Poſſunt tempore Jubilæi eligere ſibi quemcunque Confeſſarium pro reſervatis, approbatum ab Ordinario loci, licet hic non ſit approbatus à Prælato Religionis. 8. 174
Idem dicendum de Religioſis Societatis Jeſu. 9. ibid.
Idem etiam de Monialibus, ſaltem pro foro conſcientiæ. 10. 175

Religio.

Quandonam quis cenſetur imperare in contemptum Religionis? 25. 5
Quandonam ſit periculum proximum negandi fidem in famulo hæretici, vel infidelis? 26. 6

S.

Sacerdos.

Sacerdos, qui tempore Paſchali non habet, à quo percipiat Communionem, obligatur celebrare. 13. 46.
Idem dic in die feſtivo. 14. ibid.
Quænam ſint neceſſaria Sacerdoti ad Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrandum? 1. 135
Sacerdos, ſi manus habeat immundas non peccat celebrando ſine ablutione manuum. 7. 242
Neque obligatur ſub peccato uti ſtolâ, cùm laicè communicat. 11. 243
Poteſt Sacerdos etiam ex devotione, extra Sacrificium ſeipſum communicare, ſi alius non adſit Sacerdos. 11. 265
Licet Sacerdoti alios communicare cum parte ſuæ hoſtiæ. 13. 266
Non peccat mortaliter, ſi extra Miſſam miniſtret Communionem, non accenſis candelis, nec præmiſſa abſolutione generali. 16. ibid.
An exiſtens in peccato poſſit licitè aliis miniſtrare Euchariſtiam. 17. 274
Quid, ſi ſit læſus digitis Canonicis? 28. 376
Vide V. Confeſſarius, Communio, & Excommunicatus.

Sacrilegium.

In materia luxuriæ contrahitur sacrilegium, vel ex persona sacra, vel ex loco sacro. 17. 113
Quænam sit persona sacra. ibid.
Duplex committit sacrilegium persona sacra peccans cum alia sacra. 18. 114.
An baptizatus peccans cum infideli committat sacrilegium. 19. ibid.
Quinam sit locus sacer in hac materia. 20. ibid.
Quænam seminis effusio constituit sacrilegium, si fiat in loco sacro. ibid.
Quænam sint loca, ubi non sit sacrilegium talis effusio, quamvis videantur sacra. 22. 115
Oscula, & similia obscæna sine seminis effusione, in Ecclesia peracta, non sunt sacrilegia, ex Jure Ecclesiastico. 24. ibid.
Possunt tamen esse talia ex natura sua. 25. ibid.
Regula ad hoc dignoscendum. 26. 116.

Scandalum.

Quodnam sit, & quot modis accidere soleat. 64. 122
Est peccatum contra charitatem, quamvis non intendatur. 60. 123
Nisi proximus sit aliunde paratus ad peccandum. 67. ibid.
Ad peccatum scandali requiritur, ut proximus ex tuo peccato conjiciatur in gravem tentationem. 68. ibid.
Si scandalum sit directum, debes explicare determinatum peccati genus, ad quod proximum induxisti. 71. 124

Senes.

Ex puro titulo senectutis non excusantur ab obligatione abstinendi à carnibus, & lacticiniis. 3. 349
Excusantur tamen à Jejunio. 4. 350
Ad talem excusationem sufficit annus sexagesimus inceptus, licèt non completus. 5. ibid.
Idem regulariter dicendum de jejuniis, quæ suscipiuntur ex voto. 6. ibid.
Non videtur probabile, fœminas excusari anno quinquagesimo completo. 8. ibid.

Sigillum.

Confessionis sigillum nunquam frangi potest sine expresso, liberóque pœnitentis consensu. 1. 145
Septem casus, in quibus violatur tale sigillum. 2. ibid.
Quinam teneantur sigillo confessionis. ibid.
Pœnæ violantibus sigillum infligendæ, & à quonam Judice. 147

Sodomia.

Quænam sit perfecta. 43. 129
An explicari debeat, fuerítne quis agens, an patiens. ibid.
Ad sodomiam perfectam requiritur affectus ad indebitum sexum. 44. ibid.
quænam sodomiæ species intelligitur reservata. 45. ibid.
quænam sit imperfecta. 47. ibid.

Sollicitatio.

quandonam, quis teneatur explicare, se fuisse priorem ad sollicitandum puellam. 15. 113

Spes.

Non addit circumstantiam peccaminosam, qui peccat cum spe obtinendi veniam de suo peccato. 8. 107

Stuprum.

Est congressus viri cum virgine reniteate. 37. 118

Superstitio.

Quænam peccata superstitionis differant specie, quænam solo numero. 7. 107

Surdus.

Surdus solùm, obligatur sacro interesse. 17. 4

Surdo, & muto à nativitate ministrandaan Evchariſtia ? 31. 227

Secus verò, si sit mutus, surdus, & cæcus à nativitate. 32. ibid.

T.

Temperantia.

Non est contra temperantiam in gravi necessitate humanas carnes comedere. 1. 393

Non tamen tenemur, eas comedere. 3. ibid.

An liceat medicamenti causa humanum sanguinem bibere. 4. ibid.

An sit peccatum mortale, carnes animalium crudas comedere. 5. 394

Quid de comedente cretam, terram, carbones. 7. ibid.

An teneamur abstinere à carnibus, & vino ob bonum spirituale. 14. 396

An sit peccatum, se cibis usque ad vomitum ingurgitare. 16. ibid.

V.

Vectores Mercium.

Vectores mercium, & cursores, an teneantur audire missam. 77. 15

Viaticum.

Præceptum de communicando per sacrum Viaticum, probabilius est, esse divinum. 1. 204

Qui paucis diebus ante mortis periculum communicavit, probabilius non tenetur iterum communicare superveniente eo periculo. 8. 206

An qui manè communicavit ex devotione possit serò iterum communicare, si incidat in periculum mortis. 12. 207

Quænam sit consecratio tumultuaria. 18. 208

An ea uti possimus in casu necessitatis dandi Viaticum. ibid.

Quinam sit minister Viatici. 23. 209

In casu necessitatis potest fidelis (præciso scandalo) Viaticum sumere à Sacerdote hæretico, vel schismatico, vel excommunicato non tolerato. 24. ibid.

Quænam infirmitas det facultatem sumendi Viaticum non jejuno. 2. 256

Votum.

Si votum sit juramento munitum, novam addit malitiam. 11. 168

Vota ejusdem sunt speciei, sive DEO facta sint, sive SS. Virgini, sive aliis Sanctis. ibid.

Diversitas inter dispensationem, & commutationem voti. 1. 190

Potest Confessarius commutare votum, remittens determinationem rei subrogandæ ad virum doctum. 2. ibid.
Liberum est, pœnitenti redire ad suum votum, & opus subrogatum relinquere. 3. ibid.
Nequit fieri subrogatio in aliquod opus, quod sit aliàs debitum. 6. ibid.
Secus, si de operibus, quæ ex devotione fiunt. 9. 191
Omnia vota commutari possunt per Jubilæum, præter duo; nimirum, absolutæ castitatis, & absolutæ Religionis ineundæ. 12. ibid.
Nequeunt commutari per Jubilæum juramenta facta in favorem alterius. ibid.
An possint commutari per Jubilæum vota jurata facta Ecclesiæ. ibid.
Peccat mortaliter Confessarius, si nolit commutare votum, aliàs commutabile per Jubilæum. 15. 192
An talis commutatio fieri possit extra Confessionem. 16. 193
An item possit per nuncium, aut per litteras. ibid
Tenet commutatio votorum, si fiat elapso tempore Jubilæi. 20. 194
Differt commutatio votorum, facta per Bullam Cruciatæ, ab ea, quæ præstatur per Jubilæum. §. 23. 194

FINIS INDICIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


manet in bibliotheca

TAMVHH
in
Bibliotheca
ALVARRA
Tom. I. de
Theol. Quæst. Disput.
E. III
30/6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Manet in bibliotheca

TAMBVRINI
in
Sacrosanctæ
XLVARIA
de
Deo uno et tribus
E.III
30.6.


Manet in bibliotheca
TAMVHIN
in
Alvarr
E.II
30.6.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
2139


manet in bibliath:
LAVRET
in
5:i Eccl: præcept:
XLVARRVS
de
restitutione
E III
30:6: